THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

TRADITA

A P. JOSEPHO MONSCHEIN

S. J.

SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore

p. t.

UNIVERSITATIS DILINGANÆ

CANCELLARIO.

TRACTATUS VI.

DE

INCARNATIONE.

Cum facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VIND. & FRIBURGI BRISGOIÆ,

Impensis FRATRUM IGNATII & ANTONII WAGNER

Bibliopolarum, anno 1764.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO
Domino Domino
JOSEPHO
S.R.I. PRINCIPI,
Epiſcopo Auguſtano,
Landgravio Haſſiæ
a Darmſtadt,
Principi Hirſchfeldenſi,
Comiti Catimelibogi, Diez,
Ziegenheimb, Nidda, Schaumburg,
Iſenburg, & Bidingen,
ABBATI INFULATO
S. Helenæ de Földwar in Hungaria,
Equiti S. Huberti &c. &c.

Domino Domino Clementiſſimo.

INDEX MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

PARS I.

De poſſibilitate, exiſtentia, & eſſentia Incarnationis.

DISPUTATIO I.

De poſſibilitate, convenientia, & exiſtentia Incarnationis.

DISPUTATIO II.

De eſſentia Incarnationis.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De modo, quo Incarnatio Verbi Divini facta eſt.

PARS II.

De cauſis & effectibus Incarnationis.

DISPUTATIO I.

De necessitate & fine Incarnationis.

DISPUTATIO II.

De meritis Christi.

DISPUTATIO III.

De satisfactione Christi.

*An

DISPUTATIO IV.

De causa morali Incarnationis?

PARS III.

De præcipuis Christi proprietatibus, & perfectionibus.

DISPUTATIO I.
De scientia Christi.

DISPUTATIO II.
De Sanctitate Christi.

DISPUTATIO III.

De Impeccabilitate Christi.

DISPUTATIO IV.

De Libertate Christi?

DISPUTATIO V.

De adoratione Christi, cultu Sanctorum, SS. Reliquiarum, & Imaginum.

TRACTATUS VI.

DE INCARNATIONE.

Post DEUM Unum, & Trinum consideratione theologica facile dignissimus est DEUS Homo, qui præcipuum hujus Tractatus objectum erit. Aget enim de grandi illo mysterio, quo unigenitus DEI Filius, qui ab æterno erat in sinu Patris, eique coæqualis, ac consubstantialis, tandem ex intemerata Virgine Maria naturam humanam sibi per physicam, & realem unionem hypostatice ita univit, ut ipse in duabus naturis, Divina & humana, subsistens sit una persona, verusque DEUS, & verus Homo, qui in Scripturis vocatur Jesus Christus. Præcipua de hoc mysterio dogmata exponuntur in symbolo S. Athanasii, & in definitione fidei Concilii Chalcedonensis. Ego ea, quæ elenchus noster præscribit, tribus partibus complectar. In prima possibilitatem, existentiam, & essentiam Incarnationis: in secunda ejusdem causas, & effectus: in tertia præcipuas Christi proprietates, & prærogativas considerabo.

PARS I.

De possibilitate, existentia, & essentia Incarnationis.

1 Mysterium Incarnationis variis nominibus apud veteres Patres & Doctores Ecclesiæ exprimitur. Modo enim vocatur unio, unitas, adunatio, modo inhumanatio, incorporatio; imo etiam mixtura, & commixtio, non quasi naturæ Divina, & humana invicem commisceantur, sed quia intime uniuntur. Interim omnium aptissima, & communi Theologorum usu approbata nuncupatio est Incarnatio, desumpta ex illis Scripturæ verbis: *Et verbum caro factum est*. Joann. 1 v. 14. ubi per carnem juxta familiarem Scripturæ morem intelligitur totus homo, seu humanitas. Unde Incarnatio breviter definiri potest, quod sit naturæ Divinæ cum humana conjunctio physica in unitate personæ. Ut hæc definitio clarius intelligatur, declaranda sunt quædam vocabula, quæ in hoc Tractatu sæpius occurrere solent.

2 Itaque per naturam hic nihil aliud intelligitur, quam essentia, seu ratio specifica cujuscunque rei in definitione exprimi solita, præscindendo, an sit una, vel multiplex, an in se, vel in alio subsistat; sic natura hominis est animal rationale. Quamquam enim Philosophi inter naturam, & essentiam faciant discrimen, eo quod natura formaliter accepta importet ordinem ad operationem, ideoque illam dicant, esse principium motus, & quietis ejus, in quo est; ad hoc tamen in mysterio Trinitatis, & Incarnationis Theologi non solent attendere; hinc Patres Concilii Lateranensis IV in professione fidei, abstrahendo ab hac subtilitate philosophica, dixere, quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres quidem sint personæ, sed

ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura, ut refertur cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate.

3 Porro ſubſtantia quandoque etiam uſurpatur pro ſuppoſito (de quo paulo poſt) ut advertit S. Thomas 1 part. q. 30 art. 1 ad 1, & Joannes Theologus in Concilio Florentino ſeſſ. 18 dicens: *Subſtantia duobus modis a Doctoribus ſolet intelligi, uno quidem pro rei ratione, quæ definitionem quod quid eſſe rei ſignificantem, vel alio nomine, entitatem, atque naturam rei ſignificat: altero modo ſubſtantia pro ſuppoſito capitur.* Simili modo ſubſiſtentia apud Patres quandoque accipitur in concreto pro natura ut ſubſiſtente, in quo ſenſu idem ſignificat, ac ſuppoſitum; in ſcholis autem frequentius uſurpatur in abſtracto, prout eſt forma denominans rem ſubſiſtentem, in quo ſenſu definiri ſolet, quod ſit ultimum complementum, quo natura in ſua ratione jam completa conſtituitur in ratione ſuppoſiti.

4 Subſiſtentia in abſtracto conſiderata vel eſt propria, vel aliena. Subſiſtentia propria eſt, vi cujus res ita ſiſtit in ſe ipſa, ut non exiſtat in alio tanquam pars, neque per unionem trahatur ad aliud tamquam totum dignius. Subſiſtentia aliena tunc datur, quando res non ſubſiſtit in ſeipſa, ſed exiſtit in alio tanquam pars, aut ſaltem per unionem trahitur ad aliud tanquam totum dignius. Hinc 1 quælibet natura humana ſingularis puri hominis habet ſubſiſtentiam propriam, & in ſe; hanc vero non habent accidentia, partes eſſentiales, aut integrales hominis. 2 Natura humana unita Verbo Divino non habet ſubſiſtentiam propriam, quia per unionem trahitur ad conſtituendum Chriſtum, qui utique eſt totum aliquod dignius, quam ſola natura humana. 3 Econtra Verbum divinum, licet per unionem exiſtat in natura humana, nihilominus habet exiſtentiam propriam, & in ſe; nam totum, quod ex natura humana, & perſona Verbi conſtituitur, non eſt aliquid dignius, quam ſolum Verbum infinite dignum.

5 Ex natura, & ſubſiſtentia in abſtracto ſumpta conſurgit ſuppoſitum, quod ex Boetio libr. de duabus naturis communiter definitur, naturæ completæ individua ſubſtantia, vel potius ſubſiſtentia. Unde ad ſuppoſitum requiritur 1, ut ſit ſubſtantia completa. Nam licet anima rationalis in ſtatu ſeparationis habeat propriam ſubſiſtentiam in ſe, ideo non eſt ſuppoſitum. 2. Ut ſit natura per ſe ſubſiſtens. Ex defectu hujus requiſiti non ſunt ſuppoſitum accidentia, partes integrales, eſſentiales, & natura humana Chriſti, ut patet ex numero ſuperiore. 3. Ut ſit natura individua, id eſt ſingularis, & determinata, non ſolum prout ſingulare opponitur univerſali, ſed etiam communi, ſeu communicabili pluribus per identitatem; conſequenter a ratione ſuppoſiti non tantum excluditur natura univerſalis e. g. humana, equina &c. ſed etiam natura divina, eſto, quod ut præciſa a Divinis perſonalitatibus haberet ſubſiſtentiam propriam abſolutam, quia nihilominus per identitatem communicatur tribus perſonis Divinis.

6 Perſona eſt naturæ rationalis, & completæ individua ſubſtantia. Differt a ſuppoſito per τὸ rationalis; quippe non tantum dicitur ſuppoſitum e. g. hominis, ſed etiam equi, leonis &c. At nomen perſonæ ſoli ſubſtantiæ rationali convenit, & ideo nomen dignitatis vocatur. In eodem ſenſu modo accipitur vox Hypoſtaſis, quamvis olim a quibusdam Patribus fuerit uſurpata pro natura, ſeu eſſentia. Ex quibus patet, quod tam in Divinis, quam creatis perſona differat a natura rationali determinata, & completa. Nam licet natura divina & humana Chriſti ſit ſingularis, & completa, in Chriſto tamen non datur perſona humana, & in DEO uno tres ſunt perſonæ diſtinctæ, quæ, ut fides docet, præter naturam dicunt perſonalitates, ſeu ſubſiſtentias quasdam poſitivas, realiter quidem cum natura identificatas, virtualiter tamen ab illa, & inter ſe realiter diſtinctas, nempe Paternitatem, Filiationem, & Spirationem paſſi-

passivam. Spiratio autem activa, cum sit communicabilis Patri, & Filio, non constituit novam personam, sed est tantum quædam relatio.

7 Major inter Auctores est controversia, quid ratio personæ superaddat naturæ singulari & completæ in creatis. Aliqui contendunt, subsistentiam esse aliquid positivum, &, licet inter se non satis conveniant, quid illud positivum sit, hodie tamen communiter dicunt, esse entitatem modalem, cujus officium sit reddere naturam in se subsistentem, & alteri incommunicabilem ita, ut essentialiter excludat unionem cum toto digniore. Unde juxta hanc sententiam natura humana Christi ideo non subsistit in seipsa, quia caret illa entitate modali, utpote quæ per unionem cum Verbo fuerit impedita, ne produceretur. Verum aliis hæc entitas superaddita merito videtur superflua, & fictitia, eo quod sine illa natura creata possit subsistere in se, modo per unionem non trahatur ad totum dignius; hoc enim posito natura creata e. g. Petri jam non existit in alio digniore; sed ita in se ipsa sistit, ut illi tanquam principio intimo tribuantur omnes operationes naturæ completæ, quæ operationes juxta commune axioma suppositis tribui solent.

8 Igitur juxta hos Auctores natura humana Christi ideo non subsistit in se ipsa, nec personam humanam constituit, quia per unionem trahitur ad totum dignius; in creatis vero ratio personæ naturæ singulari, & completæ nihil aliud superaddit, quam negationem unionis cum alio perfectiore, per quam negationem natura creata vere, ac formaliter redditur alteri incommunicabilis. Neque obstat, quod subsistentia sit ultima naturæ perfectio, & complementum. Quippe si complete accipiatur, non consistit in sola negatione, sed principaliter, & in recto importat ipsam naturam singularem & completam, negationem vero unionis cum digniore tantum dicit in obliquo. Plura de hac controversia passim inveniri

possunt apud Auctores, mihi videtur minoris momenti, quam ut illi diutius immorer, quæcunque enim sententia teneatur, natura humana Christi non habet subsistentiam propriam, sed subsistentiam divinam, quæ juxta dicta est aliquid positivum, & reale, nempe ipsum Verbum divinum.

DISPUTATIO I.

De possibilitate, convenientia, & existentia Incarnationis.

9 Cum Incarnatio sit mysterium quoddam supernaturale, quod cum nullo effectu naturali necessario connectitur, neque a pura creatura causari potuit, facile concedimus, nullum dari sufficiens fundamentum ex sola ratione naturali petitum, ex quo illius possibilitas, & existentia certo posset inferri, aut positive demonstrari, sive dein spectetur quasi in genere, prout est assumptio naturæ humanæ a persona divina, præscindendo adhuc a mysterio Trinitatis, sive in specie, prout est assumptio naturæ humanæ ab una tantum determinata persona ex tribus divinis. Equidem Auctores supposita revelatione hujus mysterii illud variis exemplis rerum creatarum explicare conantur e. g. exemplo unionis inter animam spiritualem, & incorruptibilem, ac inter corpus materiale, & corruptibile: exemplo insertionis, qua unus ramus ita arbori alterius speciei inseritur, ut in unum quasi suppositum, & truncum coalescat &c. Verum hæc exempla adhuc habent tantam cum unione hypostatica differentiam, ut inde pro illius possibilitate nihil solide possit concludi.

10 Certe Scriptura, & SS. Patres docent, mysterium Incarnationis creato intellectui, sibi soli relicto, esse ineffabile, ac inexplicabile; sic ad Ephes. 3 vers. 9 Incarnatio vocatur: *Dispensatio Sacramenti absconditi a sæ-*

a sæculis in DEO. Ad Colossens. 1 vers. 26: *mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus.* Concilium Ephesinum art. 1 in epist. Cyrilli ait, Incarnationem *factam esse modo inexplicabili, ac ineffabili Deitatis, & humanitatis in unum conventione.* S. Cyrill. Alexandrin. de Incarnat. cap. 1: *adunationem Verbi cum carne, omni humana ratione esse superiorem, & ænigma sacratissimum, quod nulla mens creata potest intelligere.* S. Chrysostom. Homil. 4: *si volumus persuadere rationibus, quomodo* DEUS *factus est homo, & non rationem fidei præmiserimus, gentiles magis irridebunt.* Unde in hac Disputatione nobis ferme ex solis principiis fidei, & argumentis negativis pugnandum erit.

QUÆSTIO I.

An Incarnatio Verbi divini sit possibilis?

11 Qui mysterium Incarnationis vel totum, vel ex parte impugnant, ad tres classes reduci possunt. Aliqui neque novo, neque veteri Testamento fidem habent, uti Gentiles, & Pagani: alii Scripturas veteris Testamenti quidem admittunt, sed respuunt Scripturas novi, uti Judæi: alii denique utrumque Testamentum recipiunt, sed spreta Ecclesiæ auctoritate illud pro arbitrio suo interpretantur; ideo variis argumentis impugnandi sunt. Hic præcipue agam contra Gentiles, & Paganos, quos tamen ex iis, quæ in Tractatu de DEO dixi, jam suppono de existentia DEI in tantum instructos, ut haud gravate admittant, dari Ens aliquod supremum, & excellentissimum, quod infinita sua potentia multa possit facere, ac revelare, quæ captum humani ingenii transcendunt. Unde si tale aliquid factum esse nobis revelet, in ejus obsequium captivandum esse intellectum, ejusque dictis firmissimam fidem ahhibendam, cum sit summa sapientia, & veracitas, quæ nec falli, nec fallere possit.

12 Dicendum. Incarnatio Verbi divini eſt poſſibiſis. Prob. 1. Neque ex parte Verbi aſſumentis, neque ex parte naturæ aſſumptæ, neque ex parte unionis ulla ratione poteſt oſtendi, quod Incarnatio Verbi divini involvat aliquam repugnantiam: ergo illius poſſibilitas omnipotentiæ divinæ non debet denegari, licet hoc myſterium ſit ſupra lumen naturale, & captum noſtrum ſuperet; ſi enim ſolo lumine naturæ illud poſſemus percipere, non eſſet myſterium, ut advertit S. Auguſt. epiſt. 137 alias 3 ad Voluſianum cap. 2, ubi ex ignorantia rerum naturalium, & obviarum optime reprimit audaciam, & temeritatem eorum, qui res divinas ideo ſolùm negare, aut in dubium vocare non verentur, quia illas non capiunt. De myſterio autem Verbi incarnati ita loquitur: *Si ratio hic quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus, DEUM aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

13 Prob. 2. Quod factum eſſe DEUS revelavit, id non repugnat lumini naturali, ſed eſt poſſibile; atqui Filium DEI Incarnatum eſſe, DEUS revelavit: ergo. Maj. patet. Fides enim, quæ auctoritate DEI revelantis nititur, & lumen naturale, ſeu ſana ratio neutiquam inter ſe pugnant, cum utraque deſcendat a Patre luminum, qui, quod per hanc impoſſibile eſſe manifeſtaret, per alteram factum eſſe, non poſſet revelare. Min. prob. quia Chriſtus ſæpe, & palam conteſtatus eſt, ſe eſſe DEUM, DEIque Filium ſimul, ac hominem; hoc autem teſtimonium verum eſſe, evidenter eſt credibile, ac ſaltem moraliter certum, ut conſtat tum ex ſumma ſanctitate, & ſapientia ipſius Chriſti; tum ex mirabili propagatione, & miraculis, quibus Religio chriſtiana per orbem eſt diffuſa, ac confirmata; tum denique ex judicio piiſſimorum, ac ſapientiſſimorum virorum, qui Divinitatem Chriſti inter acerbiſſimos etiam cruciatus profeſſi, & profuſa ultima ſanguinis gutta conteſtati

ſunt,

ſunt, quemadmodum fuſe demonſtratur in Tract. de Fide.

Objectiones.

Obj. 1. Verbum, & natura divina abſolute non poteſt mutari; atqui per Incarnationem mutaretur, & poſt unionem cum natura humana vere, ac intrinſece aliter ſe haberet, quam prius ſe habuit; acquireret enim novam denominationem intrinſecam phyſice uniti, & inciperet ſubſtantialiter eſſe homo: ergo Confirm. Nova denominatio intrinſeca ſupponit novam formam intrinſecam; ſed Verbo per Incarnationem ſuperveniret nova denominatio intrinſeca: ergo. Reſp. Conc. maj. Neg. min. Mutari non eſt tantum quomodocunque ſe aliter habere, quam antea, ſed cum acceſſione, vel amiſſione alicujus perfectionis, ut fieri ſolet in creatis. At Verbum divinum, uniendo ſibi naturam humanam, nullam ex ſuis perfectionibus amiſit, nec aliquam de novo acquiſivit, ſed quidquid perfectionis in natura aſſumpta, & quavis alia re creata relucet, jam ab æterno per identitatem eminenter continebat, ut adeo per nullius creaturæ acceſſum poſſit fieri perfectius aut æſtimabilius. Ad confirm. diſt. maj. Supponit novam formam intrinſecam qualemcunque, tranſ. maj. talem, per quam acquiratur nova perfectio, neg. maj & ſic diſt. min. conſ. 14

Dices 1. Verbum per Incarnationem naturam humanam intime in ſe reciperet: ergo non minus mutaretur, quam ipſa natura humana, ſi uniretur Verbo. Confirm. Verbum per unionem acquireret formaliter aliquam perfectionem, quam prius tantum habuiſſet eminenter: ergo perficeretur, ſicut eſſentia divina perficitur per attributa e. g. ſapientiam, ſanctitatem &c. licet ens a ſe omnes reliquas perfectiones radicaliter in ſe jam contineat. Reſp. Neg. ant. Sicut anima rationalis non dicitur in ſe recipere corpus, 15

pus, licet illi intime uniatur; ſic neque Verbum recipit naturam humanam. Ratio utriusque eſt, quia recipere aliquid apud Phyſicos idem ſonat, ac eſſe illius ſubjectum; ſubjectum autem dicitur illud, quod ex duobus unitis magis perficitur; atqui per Incarnationem Verbum quidem perficit, terminat, ac complet naturam humanam in ratione perſonæ, ſed nullam viciſſim a natura humana perfectionem acquirit. Ad confirm. diſt. ant. Acquireret formaliter aliquam perfectionem, quæ in Verbo recipitur, neg. ant. in alio ſenſu, tranſ. ant. & neg. conſ. Ens a ſe reliquas perfectiones nec formaliter continet, nec eminenter, quia illas, utpote infinite perfectas, non continet præciſis imperfectionibus, aut modo excellentiore, ſed ſuo modo per identitatem in ſe recipit, & ſic formaliter perficitur. At Verbum per unionem nullo modo fit perfectius, aut æſtimabilius.

16 Dices 2. Si Verbum in tempore poſſet uniri humanitati, ab æterno fuiſſet in potentia ad unionem, & per illam primum in tempore reduceretur ad actum, adeoque a privatione tranſiret ad habitum; hæc non poſſunt admitti: ergo. Confirm. Si DEUS de novo aliquem locum poſſet occupare, eſſet imperfectus; ergo etiam, ſi de novo ſibi aliquid poſſet unire. Reſp. neg. Maj. Nam 1. Ens in potentia proprie dicitur illud, quod in eſſendo, aut operando indiget aliquo complemento perficiente. 2 Reduci ad actum idem eſt, ac tale complementum perficiens acquirere. 3 Tranſire a privatione ad habitum, eſt in ſe recipere novam formam; privatio enim eſt carentia formæ in ſubjecto apto. Jam vero licet Verbum ab æterno habuerit potentiam ſe libere communicandi humanitati, non tamen per hanc communicationem perficitur, neque humanitatem, & unionem hypoſtaticam exigit, aut tanquam ſubjectum recipit. Ad confirm. conc. ant. Si ponatur, quod ille locus jam prius exſtiterit. Neg. conſ. Si DEUS non ſemper actu occuparet omnem locum exiſtentem,

tem, ratione suæ immensitatis non foret infinitus, neque ex defectu loci, sed ipsius DEI proveniret, quod non sit ubique præsens; econtra nulli perfectioni divinæ præjudicat, si libere, & absque ulla mutatione intrinseca terminet aliquam humanitatem. Hinc in DEO tantum datur potentia logica, quæ nihil aliud est, quam non repugnantia ad aliquam denominationem.

17 Dices 3. Saltem Verbum per unionem hypostaticam perficeretur in operando; fieret enim potens mereri præmium, redimere genus humanum &c. sicut anima rationalis per unionem cum corpore fit potens elicere sensationes: ergo. Confirm. Si unio hypostatica nullo modo perficit Verbum, nullum habet finem; nam unicus finis unionis est perficere extrema vel in essendo, vel in operando. Resp. neg. ant. Actiones Theandricæ, seu DEI viriles, ut vocant, per quas Christus meretur, satisfacit, redimit &c. non procedunt a Verbo tanquam principio quo, seu elicitivo, sed solum tanquam principio quod, seu dignificante, in quantum actiones adscribuntur supposito, in qua ratione natura humana a Verbo completur. Nulla itaque est paritas cum anima rationali, quæ per unionem cum corpore tanquam principium quo, fit proxime potens elicere sensationes, quod ad intrinsecum modum operandi pertinet. Ad confirm. neg ant. cum ratione addita. Quamvis Verbum per unionem hypostaticam non perficiatur, perficit nihilominus per eandem naturam humanam, per quod unio illa jam censetur habere finem etiam ex parte Verbi, ferme sicut actio creativa habet finem ex parte DEI, licet solam creaturam perficiat.

18 Obj. 2. Inter Verbum, & naturam humanam nulla datur proportio: ergo tam parum possunt uniri, quam summe calidum, & frigidum, hircus, & cervus. Confirm. Persona humana non potest uniri Verbo: ergo neque natura humana. Resp. dist. ant.

Nulla

Nulla datur proportio entitatis, & perfectionis, conc. ant. proportio habitudinis, neg. ant. & conf. Ad unionem fufficit proportio habitudinis, confiftens in eo, quod unum faltem extremum ab altero poffit perfici, adeoque quod unum fit perfectivum, alterum perfectibile. Unde quod fumme calidum, & frigidum faltem naturaliter nequeant uniri, non provenit ex inæqualitate perfectionis, fed ex contrarietate mutua, quæ non datur inter Verbum, & humanitatem. Si unio inter hircum, & cervum repugnat, tunc ideo, quia una fubftantia creata, & finita non valet perficere alteram, aut ab altera perfici; quamquam non defint, qui hanc unionem cenfeant effe poffibilem, nec ideo hircus, & cervus identificarentur, fed folum refultaret novum quoddam fuppofitum, conftans ex utriusque natura unita. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Perfona involvit negationem unionis cum digniore, vel entitatem quamdam naturæ fuperadditam, quarum utraque unioni cum Verbo effentialiter opponitur. Nihil tale involvit natura, ut patet ex dictis.

19 Dices 1. Natura humana non poteft fpoliari propria fua fubfiftentia, & perfonalitate; tum quia hæc nihil aliud eft, quam naturæ rationalis individua fubftantia; tum quia alias natura humana Chrifti femper effet in violento. Confirm. Si natura humana fubfifteret per fubfiftentiam Verbi, participaret a Verbo omnia prædicata, immenfitatem, omnipotentiam, infinitatem &c. hoc implicat: ergo. Refp. neg. ant. Quod per τὸ fubftantiam in definitione perfonæ non intelligatur natura, fed fubfiftentia, jam indicavi num. 5. & advertit S. Thomas part. 1 quæft. 30 art. 1 ad 1, quando autem natura humana Verbo unitur, fubfiftentia creata abunde compenfatur per divinam; nulla igitur creaturæ fit violentia, ficut nulla fit Beatis, dum loco beatitudinis naturalis accipiunt fupernaturalem. Ad confirm. dift. maj. Participaret hæc prædicata in fuppofito, tranf. maj. in

in ipſa natura ſecundum ſe, neg. maj. Quamvis ratione ſuppoſiti divini poſſit dici: Hic homo eſt immenſus, infinitus &c. nequit ideo dici: Humanitas eſt immenſa, infinita &c. ut ſuo loco declarabitur.

20 Dices 2. Nihil poteſt exiſtere per exiſtentiam alienam, aut intelligere per intellectionem alienam; ergo nec ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alienam. Confirm. Natura humana non poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Angeli; ergo neque per ſubſiſtentiam Verbi. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Exiſtentia actualis per ſtatum eſt forma denominans rem poſitam extra nihilum; atqui nulla res poteſt intelligi extra nihilum poſita præciſe per hoc, quod res alia exiſtat. Econtra res actu jam exiſtens per unionem poteſt trahi ad totum dignius conſtituendum. Intellectio quoque, cum ſit actio, & exercitium potentiæ vitalis, debet a proprio ſuo principio vitaliter agente procedere. At ſubſiſtentia nihil vitale importat, ſed eſt tantum ultimus naturæ terminus, qui per aliud ſuppleri poteſt. Ad confirm. tranſ. ant. neg. conſ. Complexum ex natura Angelica, & humana eſt totum aliquod dignius, cujus Angelus tantum eſt pars; hinc in tali caſu non amplius daretur ſubſiſtentia angelica, neque dici poſſet, quod homo fieret Angelus, & multo minus, quod Angelus fieret homo, ſed reſultaret ſuppoſitum alterius ſpeciei.

21 Obj. 3. Vel unio hypoſtatica eſt intrinſeca Verbo, vel non? ſi primum, Verbum mutatur: ſi ſecundum, Verbum humanitati non unitur intrinſece; cum tamen eſſe unitum juxta omnes ſit denominatio intrinſeca. Confirm. DEUS non poſſet in tempore denominari volens, aut intelligens, quin in ſe reciperet intellectionem, & volitionem; ergo a pari. Reſp. Unionem hypoſtaticam Verbo eſſe quidem intrinſecam terminative, quatenus facit, ut vi illius ſit intime præſens humanitati, & cum illa conſtituat unum per ſe cum intima, ac mutua DEUM inter, ac hominem prædicatorum communicatione; non

tamen

tamen eſt Verbo intrinſeca ſubjective, quaſi in illo reciperetur tanquam in ſubjecto. Hinc denominatio: Verbum unitum humanitati, nec eſt mere extrinſeca, ſicut e. g. denominatio: *DEUS cognitus, viſus* &c. nec eſt ita intrinſeca Verbo, ſicut humanitati, utpote quæ unionem hypoſtaticam in ſe recipit, & ab illa perficitur. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Sicut actiones vitales eſſentialiter debent a ſuo principio vitali procedere, ita eſſentialiter vel per unionem, vel per identitatem eidem immanent. At de ratione unionis phyſicæ non eſt, ut in utroque extremo recipiatur.

22 Dices 1. Unio hypoſtatica utrumque extremum æqualiter conjungit: ergo in utroque debet recipi; ſicut enim unire eſt agere, ſic uniri eſt pati. Confirm. Modus eſſentialiter eſt modificatio ejus, cujus eſt modus; ergo unio eſſentialiter modificat utrumque extremum; alias tantum eſſet unio moralis. Reſp. diſt. ant. Utrumque extremum conjungit æqualiter quoad intimam nexus firmitatem, conc. ant. quoad modum perficiendi, neg. ant. & conſ. Nam licet hoc forte ſit de eſſentia unionis inter extrema creata, quæ, cum ſint finita, ulterius perfici poſſunt; id non procedit de unione Verbi, quod a nulla creatura proprie poteſt pati, aut perfici. Ad confirm. tranſ. ant. diſt. conſ. Ergo eſſentialiter modificat utrumque extremum eo modo, quo illud eſt capax, conc. conſ. alio modo, neg. conſ. Unio hypoſtatica, ſi ita loqui placeat, modificat Verbum tantum in hoc ſenſu, quod illud reddat humanitati intime unitum; non tamen ideo eſt unio præciſe moralis, ut voluit Neſtorius, ſed eſt vere unio phyſica, in natura humana recepta.

23 Dices 2. Unio per ſe ipſam immediate, & formaliter dat Verbo effectum uniti; atqui hoc non poteſt intelligi, niſi Verbum afficiat: ergo. Confirm. Si unio in Verbo non recipitur, non magis unit Verbum, quam Patrem, & Spiritum Sanctum; producitur

ducitur enim a tota SS. Trinitate, & omnes tres Personæ divinæ humanitati essentialiter insunt. Resp. conc. maj. dist. min. Nisi Verbum afficiat terminative, conc. min. subjective, neg. min. Effectus formalis, & essentialis unionis in genere non est perficere extrema, sed illa conjungere, & facere unum per se. Ad confirm. neg. ant. Licet unio hypostatica, sicut aliæ res creatæ, effective sit a tota SS. Trinitate, nihilominus terminat, ac respicit solum Verbum. Hinc Pater, & Spiritus sanctus naturæ Christi tantum insunt ratione suæ immensitatis, & identitatis cum natura divina Verbi; Verbum autem insuper ratione unionis, ita, ut, quamvis immensum non esset, tamen vi hujus unionis deberet esse intime præsens humanitati, eamque constituere in ratione suppositi.

24 Obj. 4. Omne totum debet constare ex partibus ad se invicem ordinatis; sed Verbum, & natura humana ad se invicem non ordinantur: ergo. Confirm. Quod constat ex partibus ad se invicem non ordinatis, est tantum totum per accidens aggregatum: ergo. Resp. dist. maj. Omne totum naturale, & finitum, conc. maj. supernaturale, & infinitum, neg. maj. Totum naturale constat ex partibus limitatis, quarum utraque per alteram exigit perfici, adeoque ejusmodi partes ab ipsa natura ad invicem ordinantur. Econtra in toto supernaturali, cujus una pars est infinita, talis ordinatio non requiritur, quia pars infinita nec exigit, nec potest ulterius perfici. Ad confirm. dist. ant. Si ejusmodi partes sint plura supposita, inter quæ non intercedit unio physica, uti v. g. in cumulo lapidum, conc. ant. secus, neg. ant. Cum Verbum naturam humanam compleat in ratione suppositi substantialis, cum illa proprie constituit totum substantiale, ratione naturæ humanæ quidem finitum, limitatum, ac materiale, ratione autem naturæ divinæ infinitum, immateriale, & divinum.

Dices.

25 Dices. Si Verbum cum natura humana conſtituit unum ſuppoſitum, Verbum erit pars hujus compoſiti. 2. Ejus cauſa formalis. 3. Actus, & forma naturam humanam perficiens; ſed iſta involvunt imperfectionem: ergo. Reſp. ad 1. Cum pars in ſenſu phyſico ſignificet aliquid incompletum, Verbum proprie non eſt pars phyſica, ſed tantum logica, & conſtitutivum Chriſti. Ad 2. Pariter cauſa formalis dicitur illa, quæ ex natura ſua ordinatur ad conſtituendum totum phyſicum cum materia tanquam altera comparte. Ad 3. Hinc Verbum ſolum eſt actus, & forma humanitatis in ſenſu latiore, in quo per formam, & actum intelligitur omne illud, quod per unionem ſui alterum perficit præſcindendo, utrum etiam ab altero perficiatur; in quo ſenſu Apoſtolus ad Philipp. 2 verſ. 6 ait: *Cum in forma DEI eſſet* &c. Cæterum cum antiquis Philoſophis myſterium Incarnationis fuerit incognitum, mirum non eſt, quod ſuos modos loquendi eidem non accommodaverint. Quodſi hactenus dicta etiam nobis captu difficilia ſint, id provenit ex ipſa altitudine myſterii, ideas noſtras, quas præciſè ex rebus naturalibus habemus, longe tranſcendentis.

QUÆSTIO II.

An Incarnatio Verbi divini fuerit conveniens?

26 Conveniens reſpectu alicujus rei juxta S. Thomam 3 part. quæſt. 1 art. 1. in Corp. dicitur illud, quod rei competit ſecundum rationem propriæ naturæ. Hoc autem dupliciter fieri poteſt, primo ita, ut contrarium poſitive eſſet dedecens, quia alias res illa privaretur perfectione ſibi debita: 2do ita, ut, licet contrarium poſitive non dedeceret, tamen illud, quod dicitur conveniens, cedat in ſpecialem laudem, & honorem. De primo modo non eſt quæ-

ſtio;

ſtio; cum enim DEUS ſit Ens ſibi ſoli ſufficientiſſimum, ab æterno ſine Incarnatione fuit infinite perfectus, & modo convenientiſſimo beatus, quin Incarnatio ullam perfectionem, aut utilitatem intrinſecam ipſi afferre potuerit. Nec ex omiſſione Incarnationis natura humana, aut hoc univerſum caruiſſet perfectione ſibi debita, quia Incarnatio eſt ſupernaturalis, & exigentiam totius naturæ creatæ tranſcendit. Quæſtio igitur movetur de convenientia decentiæ ſecundo modo accepta, eaque poſitiva; quippe mere negative ſæpe utrumque contradictorium agenti libero poteſt eſſe conveniens. Sic DEO conveniens fuit condere mundum, & conveniens etiam fuiſſet, illum non condere. Sic conveniens eſt Principi, tot creare Duces, nec inconveniens foret, creare plures, vel pauciores.

Dicendum. Incarnatio Verbi divini fuit poſitive conveniens tam DEO, quam naturæ humanæ, & toti univerſo. Ita communiſſima contra Gentiles, quibus myſterium Incarnationis videtur eſſe ſtultitia. Prob. prima pars. Per myſterium Incarnationis DEUS ſpeciali modo manifeſtavit ſuas perfectiones: ergo hoc myſterium eſt DEO poſitive conveniens, & ſummopere glorioſum. Conſ. patet ex numer. præced. Ant prob. Ex Incarnatione maxime relucet 1 Omnipotentia DEI, quæ extrema infinite diſtantia intime uniendo produxit opus, omnem intellectum creatum ſuperans. 2 Bonitas, quia Incarnatio eſt modus ex genere ſuo perfectiſſimus, quo DEUS ſe ad extra communicat. 3 Juſtitia, quia inde ſecuta eſt condigna ſatisfactio pro offenſa DEI. 4 Sapientia, quæ invenit medium tam aptum redimendi genus humanum, & cum juſtitia conjungendi ſummam miſericordiam. Confirm. Summæ bonitati conveniens eſt ſe communicare creaturis non ſolum participative, ut fit per creationem, aut moraliter, & intentionaliter, ut contingit per viſionem, & amorem

beatificum, sed etiam physice, & substantialiter, cum omne bonum sit communicativum sui: ergo.

28 Probatur 2 pars. Quia 1 per Incarnationem natura humana Christi cum summa delectabilitate, ac utilitate fuit evecta ad supremam illam dignitatem, & gloriam, ut divina subsistentia subsisteret, & Homo DEUS diceretur. 2. Inde in totum genus humanum profluxere remissio peccatorum, gratia sanctificans, adoptio in gloriam, doctrina cœlestis, & facilis accessus ad DEUM per Christum, qui semper interpellat pro nobis. 3. Cum homo habeat quamdam quasi cognationem cum omnibus creaturis, in quantum, ut ait S. Gregorius Homil. 19, omnis creaturæ aliquid habet commune, nempe esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ex homine absumpto redundat aliqua dignitas in omnes creaturas, & per Incarnationem factum est, ut hoc universum omnes rerum ordines comprehenderet, ordinem scilicet naturæ, gratiæ, & unionis hypostaticæ. Accedit, quod Christus juxta multos etiam sit meritus gratias Angelis, quod propter merita Christi peccata puniantur infra condignum, quod pauciores homines damnentur, & sic molestissima desperatorum societas, pœnæque damnatorum minuantur, ut advertit Gormaz de Incarn. num. 69.

Objectiones.

29 Obj. 1. Dedecet DEUM, se ipsum exinanire, & divinam majestatem ita deprimere, ut supremus Dominus formam servi indueret, immensus fieret parvus, æternus bimestris infans, immortalis passibilis, & mortalis: ergo. Confirm. DEUS ab æterno fuit ipsa essentia bonitatis; ergo convenientissimum erat, ut talis semper maneret, qualis fuit ab æterno; atqui ab æterno non fuit unitus humanitati: ergo. Resp. neg. ant. Quamvis enim DEUS se quasi exinaniverit,

niverit, & depresserit sub forma servi suam majestatem coram oculis hominum occultando, ideo illam non reddidit contemptibilem, sed potius suas perfectiones magis demonstravit, dum amore nostri secundum naturam humanam fieri dignatus est parvus, infans, passibilis, & mortalis, præsertim, quia isti defectus non sunt morales, sed tantum physici. Ad confirm. iterum neg. supposit. quod DEUS incarnatus ad intra non semper manserit talis, qualis fuit ab æterno, ut autem ad extra in tempore se communicaret, fuit ipsi liberrimum, & maxime gloriosum.

30 Dices. Ex una parte quidquid DEO convenit secundum naturam, convenit ipsi necessario: ex altera parte si intime esset unitus naturæ humanæ, vel hæc deberet esse ubique, vel DEUS semper cum illa deberet moveri; hoc absurdum: ergo. Confirm. Indignum foret, si Rex habitum vilissimi hominis assumeret, & vilibus negotiis se occuparet: ergo multo magis est indignum DEO, assumere naturam humanam, & humanis actionibus se occupare. Resp. dist. ant. quoad 1 membr. Si ita convenit secundum naturam, ut illud positive a natura divina exigatur, conc. ant. secus, neg. ant. quoad hoc membrum, & simpliciter quoad secundum. Quia DEUS est immensus, semper est in omni loco, in quemcunque humanitas transfertur; unde non est opus, ut cum illa moveatur, sed neque ratione immensitatis divinæ humanitas debet esse ubique, sicut digitus hominis, etsi ponatur informari ab anima, non debet esse in omni loco, in quo existit anima hominis. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. Rex terrenus curando minima a majoribus negotiis impediretur, & per vilia obsequia sordes contraheret: præterea ejusmodi negotia posset facile supplere per subditos sine notabili illorum incommodo; at homines non potuissent ipsi opus redemptionis peragere, & ex Incarnatione Filii divini ingentia ac innumera bona perceperunt.

31 Obj. 2. Quæ maxime invicem diſtant, non convenienter inter ſe conjunguntur; ſic non eſt conveniens, ut humano capiti jungatur cervix equina; ſed DEUS, & caro infinite diſtant: ergo. Confirm. Eſſet inconveniens, ſi DEUS uniretur naturæ irrationali, aut accidenti abſoluto: ergo a pari. Reſp. diſt. maj. Quæ maxime diſtant diſtantia proportionis ad finem intentum, conc. maj. diſtantia ſolum entitativa, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Anima, & corpus quoad perfectionem entitativam plus diſtant, quam caput humanum, & cervix equina, & tamen convenientiſſime conjunguntur, quia habent proportionem ad finem a natura intentum, dum e contra caput humanum, & cervix equina ſe potius invicem deturparent, & deflecterent a fine ab arte intento, qui eſt facere totum, habens proportionem, & correſpondentiam partium. Ad confirm. diſt. ant. Si in his ſpecialis detur repugnantia, conc. ant. ſecus, neg. ant. & conſ. Quod DEUS poſſit uniri naturæ irrationali, docet communior cum S. Thoma, & de facto Verbum in triduo mortis manſit unitum corpori inanimato. Alii dicunt, quia unio hypoſtatica eſt actus ſummi amoris, illam non poſſe dari, niſi in natura amoris capaci, neque apparere ſufficientem finem, ob quem DEUS creaturæ irrationali uniretur. Mihi non vacat inutilibus tricis inhærere.

32 Dices. Natura humana non minus diſtat a Verbo, quam malum culpæ ab infinito bono; atqui non foret conveniens, ſi ſumma bonitas ſibi uniret malum culpæ: ergo. Confirm. Repugnat ſummæ ſanctitati, aſſumere naturam peccato infectam; atqui defacto omnis natura humana peccato eſt infecta, juxta illud Geneſ. 6 verſ. 12: *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Reſp. diſt. maj. Non minus diſtat a Verbo diſtantia diſſimilitudinis, tranſ. maj. diſtantia improportionis, neg. maj. Malitia peccati juxta S. Thomam eſt receſſus ab arte divinæ ſapientiæ, & ab

ab ordine divinæ bonitatis, adeoque a DEO non potest positive intendi, aut amari; quod fieri deberet, si peccati malitiam sibi uniret. At natura humana est opus DEI, a divina sapientia intentum, & a divina bonitate ordinatum, quod proin a DEO positive potest intendi, & amari. Ad confirm. conc. maj. neg. min. Individua Christi natura humana nunquam fuit infecta peccato, quia non descendit ex semine Adæ per generationem naturalem, sed concepta est per Spiritum sanctum. Quamvis autem natura humana in specie, sive quoad alia individua peccaverit, ideo sanctitas Verbi cum peccato non conjungitur.

33 Obj. 3. Est inconveniens, dare peccatori tantum bonum, quo majus non posset conferri innocenti; sicut enim homo adhuc innocens non potuisset excludi a favore, & hæreditate DEI, ita inconveniens est, peccatorem ad eundem favorem admittere. Confirm. Incarnatio Judæis, & aliis hominibus, imo juxta multos, etiam Angelis fuit in ruinam: *Positus est hic in ruinam multorum*. Luc. 2 v. 34: ergo. Resp. dist. ant. Dare peccatori tantum bonum tanquam præmium, & in compensationem meritorum, conc. ant. tanquam purum beneficium, & donum mere gratuitum, neg. ant. Ex suppositione peccati Incarnatio vel maxime conducebat ad manifestandam misericordiam, & justitiam divinam, quæ hac ratione obtinuit condignam satisfactionem pro peccatis. Porro homo adhuc innocens, & gratia sanctificante præditus habuit jus ad favorem, & hæreditatem DEI, quæ proin ipsi non potuit auferri, nisi hoc jure cederet. Econtra jus peccatorem a favore suo excludendi, erat penes DEUM, quare ipsemet illo cedere potuit. Ad confirm. dist. ant. Fuit ruina multorum per accidens ex libero illorum abusu, conc. ant. per se, neg ant. & conf.

34 Dices. Post peccatum generi humano debebatur privatio omnium donorum supernaturalium tanquam

pœna; atqui est inconveniens, quod peccatori debita pœna non infligatur, quia sic tollitur horror peccati: ergo. Confirm. Est injustum, & crudele, Filium divinum innocentem tradere in mortem pro salute peccatorum, ac perduellium, ut declarari potest exemplo Regis: ergo. Resp. transf. maj. Quia pœna proprie non debetur reo, qui non habet jus ad pœnam, sed tantum debitum illam sustinendi. Dist. min. Est inconveniens, quod debita pœna non infligatur a judice inferiore, transf. min. a judice supremo, neg. min. Præsertim, si ex remissione pœnæ oriuntur maxima bona, uti per Incarnationem fit, tum respectu justorum, qui per illam acquirunt gloriam, tum respectu peccatorum, qui saltem accipiunt gratias sufficientes. Quin si ipse Judex est offensus, semper potest jure suo sponte cedere, vel certe reo pœnam remittere in gratiam alterius, eandem pro reo ultro persolventis. Nec ideo per Incarnationem sublatus fuit horror peccati, sed potius auctus, dum DEUS a proprio Filio tam rigorosam exegit satisfactionem. Ad confirm. dist. ant. Nisi Filius ultro ad mortem se obtulisset, & inde in totum genus humanum, ipsumque DEUM, & Christum majora bona redundassent, conc. ant. si hoc factum est, neg. ant. & conf.

35 Obj. 4. Si Filius divinus amore nostri fuisset incarnatus, passus, ac mortuus, plura nobis beneficia contulisset, quam Pater, & Spiritus sanctus: ergo magis ipsi essemus obligati, magisque illum deberemus amare; atqui hoc repugnat infinitæ dignitati Patris, & Spiritus sancti: ergo. Confirm. Redemptio generis humani speciali quodam modo pertinet ad Filium, qui singulari ratione DEUM ad remittenda peccata obligavit: ergo. Resp. transf. ant. dist. conf. Magis illi essemus obligati extensive, id est, ex pluribus titulis, transf. conf. intensive, & ex titulo majore, neg. conf. Tum quia DEO, etiam præscindendo a beneficio Incarnationis, debemus

omnem

omnem amorem possibilem; tum quia omnes tres Personæ eadem voluntate Incarnationem, passionem, & mortem Christi decreverunt, & eadem omnipotentia ad hæc omnia cooperatæ sunt. Jam vero cui beneficium aliquod confertur, non est obligatus ipsi beneficio e. g. pecuniis donatis, nec est obligatus conferenti præcise propter donum collatum, sed propter benevolam voluntatem, ex qua donum oritur. Sic non esses obligatus illi, qui ex odio percutiendo te capitis dolore liberaret. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. sub data distinctione. Interim utique ipsi etiam humanitati Christi vel maxime sumus obligati; sicuti obligati sumus Sancto, qui vel intercessione sua beneficium divinum nobis obtinuit, vel actione quadam externa tanquam causa instrumentalis ad illud conferendum concurrit, licet hoc beneficium a DEO tanquam primo auctore, & largitore proveniat.

36 Obj. 5. Saltem Incarnatio non fuit conveniens toti universo. Nam 1 per illam Angelis ablata fuit connaturalis præeminentia supra homines. 2. Fuit occasio, ut miraculose turbaretur cursus rerum naturalium. 3. Creaturis irrationalibus nullam attulit utilitatem, aut delectationem, cum non sint capaces boni spiritualis. Resp. neg. ant. Nam 1 Angelis non est connaturalis præeminentia supra hominem, qui simul est DEUS; præeminentia autem supra puros homines non exciderunt. 2. Per miracula illa cursus rerum naturalium potius fuit honoratus, quam turbatus, dum res naturales a bono suo proprio aliquamdiu impeditæ ad bonum longe præstantius totius universi ordinatæ fuerunt. 3 Quamvis creaturæ irrationales non sint capaces boni spiritualis, in quantum id nequeunt cognoscere, nec per illud elevari ad statum amicitiæ divinæ; nihilominus per Incarnationem fuerunt elevatæ ad specialem dignitatem extrinsecam, ut patet ex probatione. Taceo, quod forsan dici posset, omnes res irrationales

existere, & conservari propter Christum, ejusque merita, in quantum creantur, & conservantur propter homines redemptos.

37 Quæres: An Incarnatio etiam fuerit conveniens quoad circumstantias? Resp. affirmative; ut enim præcipuas tantum attingam. 1. Conveniens fuit, ut is, qui ab æterno fuit Filius DEI, præ alia persona divina fieret Filius hominis, & sicut per Verbum omnia facta sunt, sic per Verbum omnia restaurarentur. 2. Quia Angeli peccarunt propria culpa, non tamen omnes, natura autem humana, exceptis primis parentibus, per culpam tantum alienam lapsa est, convenientius erat, ut Verbum assumeret naturam humanam, & sic satisfactio fieret in carne, sicut culpa in carne, & delectatione sensus consummata fuit. 3. Incarnatio facta est tempore convenienti, nempe ut Apostolus ad Gal. 4 ait: *In plenitudine dierum.* Non enim debuit fieri ante commissum peccatum, cum ordinata sit in remedium peccati: nec statim post commissum peccatum, ut homo per superbiam lapsus humiliaretur, & ex dilatione remedii gravitatem morbi melius agnosceret. Sed neque differri debuit usque ad finem mundi; alias doctrina, & exemplum Christi paucis profuisset; imo periculum erat, ne propter nimiam protelationem DEI notitia, & cultus paulatim extingueretur. Plures ejusmodi congruentias affert S. Thomas, Suarez &c. Præcipua tamen, & ultimata ratio est voluntas DEI, omnia providentissime ordinantis.

QUÆSTIO III.

An Incarnatio Verbi divini jam sit facta?

38 Existentia Incarnationis Gentilibus probatur eodem modo, quo num. 13 ejus possibilitatem ostendi, nempe ex motivis credibilitatis, ex quibus in tractatu

de

de Fide demonstratur, evidenter esse credibile, quod Christus fuerit DEUS, & Religio christiana, ejusque dogmata sint vera, inter quæ unum ex præcipuis est, Verbum divinum in Christo fuisse incarnatum. Hic specialiter contra Judæos ex prophetiis antiqui testamenti, quod ipsi tanquam infallibile verbum DEI agnoscunt, probabo, quod Christus fuerit ille Messias, qui populo electo sæpius in lege fuit promissus, & ardentissime exspectatus, quem interea verum DEUM, & hominem fuisse ex dicendis disput. sequente, merito suppono. Ne vero ex multitudine rerum confusio oriatur, eas prophetias, quæ inter eruditos magis sunt celebres, primo seorsim expendam, dein reliquas breviter subjungam.

Vaticinium Jacobi Patriarchæ, Genes. 49.

Jacob Patriarcha, cùm esset morti proximus, vocavit ad se viritim duodecim filios suos, ac divino Spiritu afflatus ea prænunciavit, quæ ipsis, eorumque posteris in novissimis diebus essent eventura. Et primo quidem allocutus est filium natu maximum Ruben, eumque reprehendit, dicens: *Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus, non crescas* &c. Tum Simeon, & Levi exprobravit crudelitatem, qua adversus Sichemitas desævierunt: *Quia in furore suo occiderunt virum* &c. Tandem conversus ad Judam inquit: *Juda te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leó, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in san-*

guine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.

40 A vaticinio Jacobi usque ad Chriſtum Cornelius a Lapide numerat 2695 annos. Interea varius fuit reipublicæ judaicæ ſtatus. Poſt exitum ex Ægypto primi tanquam Duces ad ejus clavum ſederunt Moyſes, & Joſue, ille e tribu Levi, hic e tribu Ephraim. Poſt illos dominatio devoluta eſt ad Judices, ex quibus duo tantum fuerunt de tribu Juda, Othoniel, & Abeſan, cæteri ex diverſis tribubus indiſcriminatim aſſumpti. Tandem electi Reges, & inter hos primus Saul e tribu Benjamin: huic ſucceſſit David de tribu Juda, Davidi Salomon, & alii deinceps usque ad Joachimum, & Sedeciam, in captivitatem Babylonicam abductos, qua tamen durante Evilmerodach Nabuchodonoſoris filius, & ſucceſſor, Joachimum trigeſimo ſeptimo captivitatis ſuæ anno ad ſolium reſtituit cum titulo Regis, licet Babylone fuerit retentus, ut habetur 4 Reg. 25. Poſt captivitatem Babylonicam Judæos Jeroſolymam reduxit Zorobabel Joachimi nepos, vel abnepos, qui tamen non habuit titulum Regis, ſed tantum Ducis, brevique mutata Reipublicæ forma poteſtas ſumma devoluta eſt ad Sacerdotes, præſertim Aſſamonæos, ſeu Machabæos, ex tribu Levi, & ſtirpe Aaronis prognatos, donec Ariſtobulus Pontifex maximus ex eadem tribu & ſtirpe regium diadema ſibi iterum impoſuit, quod etiam penes ejus poſteros remanſit.

41 Dixi, poteſtatem regiam duraſſe in tribu Juda usque ad Sedeciam, & Joachimum. Quamquam enim Hebræum imperium poſt mortem Salomonis in duas partes ſciſſum ſit, quarum una ex tribubus Juda, Benjamin, & Levi conflata regnum Juda dicebatur, cui Roboamus filius Salomonis præfuit; altera ex cæteris tribubus conſtans regnum Iſrael appellabatur, cui imperavit Jeroboam; tamen regno Judæ præfuerunt poſteri Davidis, & Roboami usque ad

ad everſam a Nabuchodonoſore Jeroſolymam, imo tribus Juda inter duas ſibi adjunctas adeo eminebat, ut eidem quaſi fuerint unitæ, & incorporatæ, & omnes uno nomine tribus Juda vocarentur, quemadmodum colligitur ex libr. 3 Reg. cap. 12, ubi dicitur: *Nec ſecutus eſt quisquam domum David, præter tribum Juda ſolam*, quod nomen etiam poſt captivitatem Babylonicam illi conſtanter adhæſit, usque ad tempus, quo Joſeph, & Maria Nazaretho in Galilæam abierunt, ut eorum nomina tribui Judæ insererentur. Econtra decem tribus Iſrael, poſtquam eorum regnum a Salmanaſar Rege Aſſyriorum everſum eſt, 700 ſerme annis citius in varias partes diſperſæ, ac ferme deletæ fuerunt.

42 Excidium tribus Judæ quod attinet, illud non ſimul, & uno tempore contigit; nam licet imperante Hircano II. Romanis a Pompejo tributaria facta, & ita afflicta fuerit, ut ferme ſolum nomen, & umbram imperii retinuerit, nihilominus Hircanus poteſtatem regiam utcunque adhuc ſuſtentabat, donec illo per venenum extincto, regnum Aſſamonæis omnino ereptum Herodes partim Romanorum favore, partim vi ſibi vindicavit. Herodes hic, ſub quo natus eſt Chriſtus, ab aliquibus Idumæus, ab aliis communiter Aſcalonita vocatur. Interim Patres, & Scriptores eccleſiaſtici ſatis conveniunt in hoc, quod non fuerit Judæus, ſed alienigena; ita ipſum expreſſe vocat S. Hieronymus in cap. 3 Oſee. S. Auguſtin. lib. 12 contra Fauſtum, cap. 42. Theodoretus quæſt. 110. in Geneſim. Joſephus Judæus apud Euſebium lib. 1 hiſtor. cap. 6. Mortuo Herode Aſcalonita regnum Juda in plures Tetrarchias fuit diviſum, quarum dominatum a Romanis accepere filii, & nepotes Herodis, titulo regio ſoli Tetrarchiæ præcipuæ relicto. Tandem imperante Veſpaſiano Jeroſolyma everſa, & tota Judæorum reſpublica ita deſtructa fuit, ut nullum amplius habuerit Regem, aut Ducem, nullum templum, nullum ſacrificium, nullam

pote-

potestatem condendi leges, nullam civilem gubernationem. His præmissis

43 Dicendum: Ex vaticinio Jacobi recte probatur, Christum fuisse Messiam in lege antiqua promissum. Quippe ex una parte S. Patriarcha per illa verba: *Non auferetur* &c. non locutus est de alio, quam Messia, eumque dixit tunc venturum, quando sceptrum de Juda erit auferendum; ex altera parte hic Messias non est alius, quam JESUS Christus, in quo solo omnes partes vaticinii ipso eventu impletæ sunt: ergo. Ant. quoad 1 membrum probatur, præcipue ex illis verbis: *Donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*; in quibus continentur gemini characteres soli Messiæ proprii; quando enim Scriptura de Messia loquitur, illum per excellentiam mittendum, aut venturum vocat: *Mitte, quem missurus es.* Exod. 4 vers. 13. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Isai. 16 vers. 1. Hinc discipuli Joannis Matth. 11 vers. 3 Christum solicite interrogarunt: *Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus?* Simili modo vocatur exspectatio gentium: *Omnes gentes servient ei.* Psalm. 71. *Fluent ad eum omnes gentes.* Mich. 4 vers. 1. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Aggæi 2 vers. 8.

44 Probatur superius antecedens, quoad secundam partem. Quia Christus venit illo ipso tempore, quo regnum de Juda ad Herodem translatum fuit, ac tota Judæorum gens Romanis tributaria nonnisi precario suis legibus vivere permittebatur, amisso jure gladii, seu vitæ, & necis, ut ipsimet tempore passionis Christi, Joan. 18 vers. 31: *Non licet nobis interficere quemquam,* professi sunt, adeo, ut quidam ex Judæis putaverint, Messiam esse Joannem Baptistam, alii ipsum Herodem, aut Vespasianum. Certe paulo post respublica Judæorum ita a Tito fuit subversa, ut nemo prudenter dubitare possit, sceptrum, seu potestatem supremam ab illis ablatam fuisse. Quod porro Christus fuerit exspectatio gentium, manifeste

patet

patet ex eo, quia non solum plurimi Judæi, sed etiam Gentiles illum tanquam Ducem, Magistrum, & Salvatorem a cœlo missum avidissime receperunt, ejusque religionem amplexi sunt, juxta illud Psalm. 2 vers. 7: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ;* quæ verba de Christo dicta esse, patet ex S. Luca cap. 1 vers. 32.

Quod si etiam verba antecedentia, quæ historice de Juda dicta sunt, item consequentia, considerare velimus, illa in sensu spirituali optime Christo conveniunt. Nam 1 Christus laudatus est, & quotidie adhuc laudatur a Christianis, quos ipse Matth. 12 vers. 50 declarat fratres suos. 2. Cervices inimicorum suorum subegit, quando de mundo, inferno, ac morte gloriose triumphavit. 3. Adoratus est a filiis patris sui, cum Magi ad præsepe venerunt. 4. Tanquam leo de tribu Juda ascendit ad prædam, cum ex orci faucibus humanum genus eripuit. 5. Tunc in sepulchro requievit quasi leo, & leæna, non alterius, quam sua, & Patris potestate suscitatus. 6 Ligavit ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam, quando ethnicos, & Judæos per gratiam ad se traxit; hinc Joann. 15 ipse dixit: *Ego sum vitis, vos palmites.* 7. Lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum, dum in passione cruorem suum pro nobis profudit. 8. Pulchriores fuerunt oculi ejus &c. quia speciosus erat præ filiis hominum.

45

Objectiones.

Obj. 1. Vaticinium Jacobi non loquitur de adventu Messiæ, sed referri debet ad urbem Siloh, in qua fuerat arca usque ad tempora Samuelis, ita, ut totus oraculi sensus sit: Dignitas tribus Juda in regiam mutabitur, quando Siloh desinet esse sedes arcæ; vel: Non auferetur sceptrum, usque dum veniant

46

niant Saul, & Jeroboam, in Siloh ungendi in Reges. Nam textus hebraicus ita habet: *Non recedet sceptrum a Juda, & legislator de, & inter pedes ejus, usquequo veniet Siloh, & erit ei obedientia populorum.* Resp. neg. ant. Nam interpretatio hæc evertit totum sensum vaticinii; in illo enim sermo est de fine sceptri, quod affirmatur non auferendum, donec venerit Siloh; hæc interpretatio autem est de principio sceptri, aitque, Judam illo potiturum, cum desierit Siloh. Certe nullus potest ostendi Rex, vel Princeps populi Judaici, in Siloh unctus, & coronatus, cujus tempore tribus Juda sceptrum amiserit; imo nec Saul, nec Jeroboam in Siloh est unctus, sed Saul in Ramatha, quando arca jam erat in Cariathiarim in domo Aminadab, & Jeroboam in Sichem, postquam arca a Davide jam fuerat translata Hierosolymam.

47 Equidem vocabulum Siloh, varie exponitur. 1. Prout de facto apud Hebræos scribitur, significat *abundantiam pacis*, seu, ut habet textus Samaritanus, *pacificum*. 2. Nonnulli Rabbini eam derivant a voce Secundina, qua involutus infans in utero materno concluditur. 3. Alii illam omnino dividunt in duas partes, ut significet: *Quod illi*, aut: *Cui illi*; quam lectionem secuti sunt Septuaginta, & aliqui ex SS. Patribus, qui ad supplendam concisam locutionem hebraicam addiderunt: *Donec veniant reposita ei*; vel: *Donec veniat, cui reposita est*. Verum etiam omnes istæ expositiones Messiæ conveniunt. Sic 1. Pax, & tranquillitas a Prophetis sæpe tribuitur Messiæ, tanquam proprium insigne, ut Isai 9. ubi *Pater futuri sæculi, & Princeps pacis* appellatur. 2. Filius in secundina genitus est juxta illud: *Ecce virgo concipiet*. 3. Corona ipsi fuit reposita, quia, ut ait Daniel cap. 7: *Potestas ejus potestas æterna*. Cæterum per Siloh Messiam denotari, cum antiquis Rabbinis clare docent Chaldæi Paraphrastæ, uti Targum Onkelesi, Jonathanis, Jerosolymitanum, & Thalmud Baby-

Babylonicum. Joann. quoque 9 natatoria Siloe Missus exponitur.

48 Dices 1. Ubi in Vulgata legitur Sceptrum, in Hebræo habetur Scheveth, quod generice significat virgam, per quam modo intelligitur supplicium, ut Psalm. 2 vers. 29. *Reges eos in virga ferrea:* modo tribus, ut Psalm. 77 v. 67. *Tribum* (hebraice Scheveth) *Ephraim non elegit;* ergo Jacob solum prædixit, quod non sit auferenda tribus Juda, vel tribulatio a Judæis, donec Messias veniat. Resp. transf. ant. neg. conf. Quod vocabulum Scheveth etiam significet sceptrum, manifestum est ex aliis Scripturæ locis. Sic Psalm. 44 v. 7 dicitur: *Virga directionis, virga regni tui.* imo virgam doloris, & afflictionis nunquam significat, nisi aliquid habeat adjunctum, quo ista significatio determinetur. 2. Qualem in vaticinio Jacobi habeat significationem, clare colligitur ex verbis adjunctis: *Et dux de femore ejus.* quæ utique supremam potestatem, & virgam regni significant. 3. A tempore Davidis tribus Juda sæpe fuit florentissima, & mitissimis regibus subdita; ergo falsum est, quod de illa non recesserit tribulatio. 4. Si Jacob tantum prædixisset, non auferendam tribum Juda usque ad eventum Christi, nihil dixisset singulare, cum etiam remanserit tribus Benjamin, & Levitæ; hinc isti expositioni adversantur Paraphrasis Chaldæa, Septuaginta, & fere omnes versiones.

49 Dices 2. Ex una parte particula *Donec*, in Scriptura significat idem, ac postquam; sic Genes. 8 v. 7 de corvo ex arca emisso dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ;* id est, etiam postquam siccatæ sunt aquæ; ex altera parte Judæis in Scriptura sæpe promittitur regnum æternum: ergo sensus prophetiæ tantum est, quod etiam post adventum Messiæ sceptrum nunquam sit auferendum. Resp. transf. ant. neg. conf. Quamvis particula *Donec* in Scripturis nonnunquam rei continuationem significet, longe tamen frequentius denotat cessationem, & finem; sic

Genes.

Genef. 26 verf. 13: *Ifaac ibat proficiens, atque fuccrefcens, donec magnus effectus eft:* id eft, defiit proficere, & crefcere, cum magnus effectus eft. 2. Quod in vaticinio Jacobi finem fignificet, patet ex eo, quia juxta ipfos veteres Hebræos Jacob dedit fignum adventus Meffiæ, & tempus determinavit, quo fit venturus, nempe finem regni Judæ, idque ipfis tam erat exploratum, ut propterea tam diverfos Meffias finxerint. At vero admiffa interpretatione objecta, nullum haberetur fignum adventus Meffiæ, nec ullum tempus effet determinatum. 3. Quod regnum Juda non fit perpetuum, jam ultra XVI fæcula manifefta experientia fentiunt Judæi. Quando igitur in Scriptura dicitur, regnum David fore æternum, id intelligendum eft de regno Meffiæ fpirituali, & cœlefti, non de temporali, & terreno.

50 Obj. 2. In Herode fceptrum non fuit ablatum a tribu Juda; nam licet a pluribus quidem Afcalonita, ab aliquibus tamen Idumæus vocatur; atqui Idumæi, ex quo a Joanne Hircano XC annis ante Christum natum fubacti fuerunt, circumcifioni, & omnibus Judæorum ritibus fuerunt fubjecti, ac cum Judæis communi vocabulo reputati, ut advertit Strabo, Jofeph. Scaliger, &c. Confirm. Herodes a multis Judæis, ex quibus orta eft fecta Herodianorum, habitus eft pro Meffia; ergo indubitato putabant, illum effe Judæum. Refp. neg. ant. cum probatione addita, ex qua ad fummum fequitur, Herodem fuiffe Judæum religione, non vero genere & fanguine. Ut enim aliquis vere Judæus dicatur tam paterno, quam materno genere debet effe talis, quemadmodum conftat ex collectione Juris Canonici, & Civili Judæorum cap. 7. Atqui mater Herodis nomine Cypros Arabs, & gentilis erat, neque Idumæi ex Jacob orti funt, fed ex Efau. Hinc Pfalm. 107 verf. 10 *Alienigenæ* vocantur. Accedit, quod Herodes probabilius tantum fuerit Idumæus habitatione, & domicilio, ortu autem, & genere Afcalonita. Ad confirm.

firm. tranf. ant. neg. conf. Quod hoc tantum fuerit factum ex adulatione, patebit inferius. Sic etiam Simon Magus a multis fuit pro Messia habitus.

51 Dices 1. Tamen Strabo lib. 6 Geograph. Herodem vocat virum indigenam. Nicolaus Damascenus Auctor coævus dicit, illum ortum duxisse a primoribus Judæorum, qui ex Babylonia in Judæam venerant, ut testatur Josephus lib. 14 antiquit. cap. 2 lib. 20 narrans, ab ipsis Judæis coram Cæsare Herodem dictum fuisse Judæum genere, ut hac ratione jus civitatis Jerosolymæ contra Syros sibi assereret. Certe alias Herodes nunquam tanto studio, & zelo Judæorum religionem vendicasset, ut Josephus scribit. Confirm. Gentiles, & Pagani post baptismum fiunt veri Christiani: ergo Herodes post circumcisionem fuit factus verus Judæus. Resp. ad 1. Herodem a Strabone vocari indigenam, non quod ex sanguine Jacob sit ortus, sed quia credebat, illum fuisse natum in regionibus Judæorum, quibus imperabat. Ad 2. Quod Nicolaus id fecerit, præcise adulationis gratia, asserit ipse Josephus, qui litem inter Judæos, & Syros quidem narrat, non tamen approbat. Ad 3. Herodes, ut erat vaferrimus, religionem Judaicam quidem coluit, quantum rebus suis expediebat; de cætero sæpius ab ipso violatam esse, habemus ex eodem Josepho. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Nomen Christiani est nomen religionis, in qua juxta Apostol. ad Galat. 3 vers. 26 non fit distinctio inter Judæum, & Græcum, masculum, & fœminam. Econtra nomen Judæi est nomen originis, & processionis ex semine Jacob.

52 Dices 2. Quamvis Judæi non amplius habeant sceptrum actu, & re, habent nihilominus illud adhuc jure, cum illis per summam injuriam a Romanis ereptum sit: ergo nondum est translatum. Confirm. Dantur adhuc quidam in extremis Asiæ partibus ex tribu Juda oriundi, qui ibidem habent suum impe-

rium, ejusmodi Ducem Benjamin Tudenſis in ſui itineris hiſtoria memorat ſedem habere Bagdadi. Reſp. neg. ant. & conſ. Cum Judæi per totum orbem ita ſint diſperſi, ut confuſis omnibus tribubus, tribus Juda ne quidem amplius ſatis diſcerni, & legitime oſtendi poſſit, nullum amplius jus ad ſceptrum poſſunt prætendere. Dein tali modo usque ad finem mundi poſſent dicere, ſe non quidem actu, attamen jure ſceptrum habere; ſic autem ablatio ſceptri non poſſet eſſe ſignum venturi Meſſiæ. Ad confirm. neg. ant. Figmentum hoc jam exploſit Origenes lib. 4 de principiis cap. 14, neque legitimis teſtimoniis poteſt probari, imo ab ipſis Judæis non creditur, alias certe ad Regem ſuum confluerent. Addo ex Perrio, Jacobum fuiſſe locutum de ſceptro in terra promiſſionis, ut colligitur ex iis, quæ S. Patriarcha addidit de fertilitate illius terræ, quæ ſorte Judæis obventura eſſet.

53 Obj. 3. Ex una parte ſceptrum non fuit in tribu Juda ante Davidem; ex altera Chriſtus primum fuit unctus, poſtquam Herodes jam XXXV aut XXXVI annis regnavit; ergo vaticinium Jacobi non verificatur de Chriſto. Confirm. Quia alias Chriſtus, aut ſaltem Apoſtoli hoc vaticinium debuiſſent contra Judæos citare, ac laudare; atqui hoc nunquam fecerunt: ergo. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Jacob in ſua prophetia non reſpexit ad initium, ſed ad finem ſceptri, nec prædixit, quæ proxime eſſent futura, ſed tardius ventura proſpiciebat. Porro vox *Donec* circa eventus ita diſtantes, ut triginta & plures anni moraliter non ſint computandi, non ſignificat determinatum diem, aut annum, ſed ſufficienter verificatur, modo ſceptrum ſub illo rege fuerit ablatum, ſub quo Chriſtus fuit natus, præſertim quia primis triginta annis imperio Herodis adhuc acriter repugnabant tum Ariſtobulus, & Hircanus, legitimi regni hæredes, tum primores Judæorum Phariſæi, & Sacerdotes. Ad confirm. neg. maj. Chriſtus, & Apo-

Apostoli non citarunt omnia illa Scripturæ testimonia, quæ ad Christum pertinent, eoquod sufficeret Judæos ad scrutandas Scripturas remittere, & Christus aliunde satis demonstraverit, se esse Messiam in lege promissum.

54 Dices 1. Juxta vaticinium Jacobi Christus debuisset nasci, antequam sceptrum ad Herodem fuit translatum: ergo. Confirm. Potest dici, quod sceptrum ita debeat auferri a Juda, ut transferatur in aliam tribum, vel quod prophetia solum fuerit conditionata, scilicet translato sceptro Messiam venturum, si non obstent scelera Judæorum, ob quæ ejus adventus fuerit dilatus. Resp. neg. ant. Tum quia reliqui characteres Messiæ nulli alteri, quam Christo conveniunt, tum quia, ut supra diximus, Jacobus non voluit tam exacte determinare tempus, neque respublica Judæorum fuit tota simul destructa, sed illius excidium primum fuit completum post mortem Christi. Cæterum quam significationem habeat particula *Donec*, ex circumstantiis debet colligi. Sic licet hæc locutio: *Non tradetur civitas, donec obsidione cingatur*, denotet, civitatem prius obsidione cingendam esse, tamen etiam bene dicitur: *Antichristus non nascetur, donec mundi finis advenerit*. Ad confirm. neg. ant. Prima expositio gratis est conficta; præsertim cum ipsi Judæi non amplius valeant cum veritate tribus discernere. Altera si subsistat, nullum amplius daretur signum certum adventus Messiæ. Certe ex Scriptura, aut ratione nullum habetur fundamentum hoc vaticinium explicandi conditionate, & hoc modo omnes prophetiæ de Messia, omnesque DEI promissiones possent eludi.

55 Dices 2. Vaticinium Jacobi jam fuit impletum in Moyse, Nabuchodonosore, Cyro, Herode, aut Vespasiano; ergo. Resp. neg. ant. Quia nulli ex istis conveniunt dotes Messiæ, præsertim illæ duæ, quod sceptrum a Juda fuerit ablatum, & quod fuerint exspectatio gentium. Sic quando Moyses impe-

ravit, sceptrum nondum fuit in tribu Juda. Nabuchodonosor potius erat execratio, quam exspectatio gentium, & Judæos dirissime premebat. Cyrus licet Judæis benefecerit, neque venit desideratus cunctis gentibus, & Judæi e captivitate Babylonica liberati adhuc sceptrum tenuerunt, adventum Messiæ ardentissime suspirantes. Herodes potius fuit oppressor, quam Salvator Judæorum, cum tamen Jacob illis fausta voluerit prænunciare. Vespasianus rempublicam Judaicam penitus evertit, neque fuit ex tribu Juda, ex qua certo Messias nasci debuit. Porro quod ipsi Judæi illud tempus, quo Christus natus est, agnoverint adventui Messiæ accommodatum, colligitur etiam ex eo, quia, quando tres Magi Matth. 2 v. 2 Jerosolymis quæsierunt: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum?* nulla est mota controversia, aut dubitatio, an sit natus, sed tantum, in quo loco sit natus.

56 Obj. 4. Potestas regia a Juda jam fuit sublata initio captivitatis Babylonicæ: ergo vaticinium Jacobi jam diu ante adventum Christi fuit impletum. Confirm. Ex benedictione, quam dedit Jacob tribui Joseph: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum.* Genes. 49 vers. 26. Resp neg. ant. Imprimis per sceptrum tanquam symbolum imperii intelligitur quilibet Dominator supremus, quo quis sui juris est, & suis legibus vivit; hinc Septuaginta vertunt: *Non deficiet Princeps de Juda.* Et Symmachus: *Non auferetur potestas de Juda.* Dein ipse Jacob statim addidit: *Dux de femore ejus.* Unde merito SS. Patres Justinus, Chrysostomus, Augustinus &c. docent, ideo sceptrum non defecisse in Juda usque ad Messiam, quia usque ad Herodem semper fuerunt Duces, & Principes ex gente Judæa. Denique etiam durante captivitate Babylonica Rex Judæ, licet captivus, mansit Rex, & Judæi habuerunt potestatem in vitam, ut deducitur ex historia Susannæ;

næ; Daniel. 13. Quamquam ſeptuaginta anni captivitatis non eſſent computandi reſpectu tot annorum, quibus floruit poteſtas ſuprema in tribu Juda. Ad confirm. Per deſiderium collium æternorum, non intelligitur Meſſias, ſed juxta Calmet ſenſus benedictionis eſt; utinam benedictiones patris tui, quæ ſuperant benedictiones patrum meorum, multum excedant benedictionem montium, & perveniant usque ad deſiderium collium æternorum: ita enim etiam de Joſepho prophetavit Moyſes Deuter. 33 verſ. 15.

Dices 1. Saltem tempore Nehemiæ, qui Esdræ 2 cap. 1 ab Artaxerxe conſtitutus eſt Dux populi Judaici, & tempore Machabæorum ſceptrum non amplius erat in tribu Juda; quippe etiam iſti fuerunt ex tribu Levi, & electi a toto populo, prout etiam complectebatur Levitas, Benjamitas, multosque ex aliis tribubus, qui Judæis ſe adjunxerant. Sic Machab. 9 verſ. 28 dicitur: *Conveniſſe omnes amicos Judæ, fratris Jonathæ ad eligendum Jonatham in Principem*; & cap. 14 verſ. 35: *Et vidit populus actum Simonis - - & poſuerunt eum Ducem ſuum.* Confirm. Machabæi non fuerunt de femore Judæ: ergo. Reſp. diſt. ant. Sceptrum non amplius erat in tribu Juda ſtrictiſſime accepta pro ſolis illis, qui fuerunt ex ſemine Judæ, conc. ant. in tribu Juda non nihil latius accepta, prout etiam comprehendit cæteros ex aliis tribubus illi conjunctos, & quaſi incorporatos, neg. ant. Cum poſt diviſum inter Roboam, & Jeroboam imperium tribus Levi & Benjamin, dein poſt regnum Iſrael a Salmanaſare deſtructum, multi etiam ex aliis tribubus Judæ adhuc ſupremam poteſtatem habenti fuerint ita adjuncti, ut omnes ſub illius ſceptro, & dominatu degerent, merito ſub nomine tribus Judæ comprehenduntur, ferme ſicut Lutetia Francorum eſſe, & a Francis incoli dicitur, etſi plures in ea ſint aliarum nationum inquilini, in jus civitatis recepti. Ad confirm. Eadem eſt reſponſio, nempe per Du-

57

cem de femore non tantum intelligitur Dux de semine Judæ, sed Dux de semine tribus Judæ in sensu explicato acceptæ. Adde, quod juxta Trivoltienses ad annum 1741 per particulam & cum vocibus: *Dux de femore ejus*, connectatur verbum præcedens: *Non auferetur*, in hoc sensu: Et posteri Judæ semper habebunt Ducem de eorum femore descendentem. Imo P. Houbigant ad annum 1755 putat, textum Hebraicum fuisse corruptum, & loco *Daglau*, quod in Samaritano habetur & *Vexilla ejus* significat, positum fuisse Raglau, quod significat ejus pedes vel femur.

58 Dices 2. S. Patriarcha singulos viritim filios compellavit, prophetiam vero de Messia singulariter ordinavit ad Judam, eique specialem quamdam eminentiam, ac prærogativam prædixit; ergo hæc prophetia tantum pertinet ad posteros Judæ, & sicut verba priora: *Juda te laudabunt* &c. ad solum semen Judæ pertinent, sic etiam posteriora: *Non auferetur sceptrum* &c. Confirm. Juxta nos posset dici, quod Christus non fuerit ex posteris Judæ stricte dictis: hoc falsum: ergo. Resp. conc. ant. dist. cons. Hæc prophetia tantum pertinet ad posteros Judæ stricte dictos, neg. cons. etiam latius acceptos, conc. cons. Licet posteriora verba non intelligantur de tribu Juda stricte accepta, nihilominus illa habuit specialem prærogativam & præeminentiam, tum quia sola usque ad Messiam ita duravit, ut post captivitatem Babylonicam toti genti nomen dederit, tum quia ipso tempore Machabæorum sedes regni erat Jerosolyma, subditi potissimum de tribu Juda, & ipsi Machabæi imperium tantum habuerunt, ut tribui Judæ conjuncti. Taceo, quod ex tribu Juda nasciturus erat Messias, eaque in multis tribubus aliis fuerit prælata. Equidem alii hic aliter respondent, & Didacus de Quiros in palæstra biblica tom. 4 decad. 3 quæst. 2 novem diversas opiniones refert; mihi vero nostra responsio videtur maxime conformis histo-

historiæ, & fundatur in ipsa Scriptura, ut patet ex num. 41. Ad confirm. neg. maj. Quod Christus sit natus ex posteris Judæ stricte acceptis, constat ex aliis Scripturæ locis, uti ex genealogia Christi apud Matthæum, & Lucam, & quia sæpe dicitur filius David, id est, natus ex semine David.

Vaticinium Danielis Prophetæ, cap. 9.

59 Cum Daniel Propheta jam propemodum septuaginta annis cum gente sua in captivitate Babylonica detentus DEUM pro salute, & incolumitate populi Judaici deprecaretur, apparuit ei Gabriel Angelus, eumque certa venturi Messiæ spe solatus est his verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit.*

60 Revelatio hæc Danieli, ut ipsemet vers. 1 cap. cit. testatur, facta est anno primo Darii Medi, qui Babylone expugnata, & Balthasare postremo Assyriorum, ac Chaldæorum Rege interfecto Monarchiam

ad Medos, Persasque transtulit, cui tamen non nisi uno, alterove anno præfuisse traditur. Successit ei Cyrus, qui populum Judaicum e captivitate Babylonica liberum dimisit. Cyrum in imperio secuti sunt Cambyses, Darius Hystaspis, Xerxes, Artaxerxes &c. Ab his regibus in gratiam Judæorum quatuor edicta fuerunt edita. Primum a Cyro anno sui imperii primo, quo Judæis fecit copiam restaurandi templum Jerosolymitanum Esdr. 1 cap. 1. Secundum a Dario Hystaspe, quo decretum Cyri confirmavit, 1 Esdr. 6. Tertium ab Artaxerxe Longimano, anno regni sui septimo, quo Esdræ potestatem dedit rempublicam Judaicam restaurandi, 1 Esdræ 7. Quartum ab eodem Artaxerxe, anno imperii sui vigesimo, quo Nehemiæ veniam fecit restaurandæ Jerosolymæ, 2 Esdræ 2. Ab uno ex his decretis numerandas esse septuaginta hebdomadas monuit Angelus: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* &c. sexagesima nona dicitur venturus Christus, in ultima vero, seu septuagesima confirmaturus pactum, & occidendus. Quippe dum dicitur: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur*, subintelligi etiam debent septem hebdomades priores, de quibus antea facta est mentio.

61 Cæterum hebdomades a Scripturis in duplici sensu solent accipi, videlicet pro septem diebus, ut Levit. 23 & Daniel. 10, vel pro septem annis, uti Levit. 25 vers. 8, ubi dicitur: *Numerabis tibi quoque septem hebdomades annorum*, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem. Quod jam in nostra prophetia non possint intelligi hebdomades dierum, patet. Quippe in hoc sensu solum conficerent dies 490, quod tempus, fatentibus ipsis Judæis, nimis parvum fuisset pro termino, adventui Messiæ a Daniele præfixo. Igitur intelligendæ sunt hebdomades annorum, seu 490 anni. Horum alii sunt solares, alii lunares. Solares sunt communes, quibus nos utimur, & jam olim pleræque

gentes

gentes in sua Chronologia usæ sunt. Lunares, ad quos Judæi tempus metiebantur, continent duodecim Lunationes, sive menses lunares; mensis autem lunaris constat viginti novem diebus cum dimidio, ut adeo annus lunaris undecim diebus brevior sit solari, & solum constet diebus 354. Interim etiam Judæi annos lunares reducebant ad communes per embolismos, seu menses intercalares, tum ut Chronologiæ aliarum gentium se accommodarent, tum ut Pascha tempore statuto, puta, post æquinoctium vernum decima quarta die primi mensis celebrarent.

Dicendum. Quod Christus fuerit Messias, recte 62 etiam probatur ex prophetia Danielis. Nam ex una parte etiam hæc prophetia loquitur de Messia; ex altera parte jam est impleta, & quidem in Christo; ergo. Probatur primum membrum: Quia soli Messiæ conveniunt characteres in vaticinio Danielis enumerati. Sic 1 Messias in Scriptura per antonomasiam vocatur Christus, seu unctus, quod nomen nulli alteri tribuitur, nisi cum aliquo addito; ut cum Isai. 45 vers. 1 dicitur: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* 2. Vocatur Dux; sic Isai. 55 vers. 4: *Dedi eum Ducem, & præceptorem gentibus.* 3. Sanctus, quo nomine illum compellavit David Psalm. 15 v. 10: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 4. Sanctitas & Justitia nostra; nam ut idem Psalmista Psal. 7 vers. 7 ait: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* 5. Auctor novi fœderis, qui morte sua novum pactum confirmabit. Et dein Judaica sacrificia deficient, & populus dissipabitur. Hinc Jerem. cap. 31 vers. 27 inquit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum.* Item David Psalm. 39 vers. 7: *Holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio.*

Probatur secundum membrum. In quocunque 63 sensu Scripturæ hebdomades septuaginta a Daniele

pro adventu Messiæ præfixæ, accipiantur, certum est, illas effluxisse. Quippe si etiam numerentur ab ultimo edicto Artaxerxis, interea jam elapsi sunt anni ultra bis mille; ergo prophetia Danielis jam est impleta, & quidem in Christo. Quamquam enim non certo constet, a quonam ex quatuor edictis supra recensitis initium septuaginta hebdomadum peti debeat, si tamen illud cum Cornelio a Lapide, aliisque desumatur ab anno septimo regni Artaxerxis, quo ille primum suum edictum edidit, usque ad baptismum Christi, juxta communiorem computum fluxerunt anni 483: ergo Christus venit sub finem hebdomadis sexagesimæ nonæ; ab eo namque tempore ducem, & doctorem publicum se exhibere cœpit. Prophetia autem non præcise assignavit tempus nativitatis Messiæ, sed tempus, quo se per doctrinam, & miracula mundo esset manifestaturus, ut colligitur ex illis verbis: *Usque ad Christum ducem.* Septuagesima dein hebdomade per tres annos pactum novum sua prædicatione confirmavit, & denique anno quarto in dimidio hebdomadis septuagesimæ occisus est, hostiaque, ac sacrificium defecit, non quidem statim quoad rem, & actum, attamen quantum ad jus, ut Christus ipse significavit, dum Joann. 19 vers. 30 exclamavit: *Consummatum est.*

64 Verum prophetiam Danielis in Christo impletam esse, optime ostenditur ex characteribus, quos diximus Messiæ per antonomasiam tribui. Nam 1 Christus merito dicitur Unctus, seu consecratus in Sacerdotem, Regem, & Prophetam, quæ unctio primo quidem facta est in ipso instanti Incarnationis, publice autem mundo declarata in baptismo Christi: hinc Actor. 10 vers. 38 dicitur: *JEsum a Nazareth, quomodo unxit eum Dominus spiritu, & virtute.* 2. Post baptismum aperte se gessit tanquam Ducem, Magistrum, & Doctorem. 3. Ejus Sanctitatem declarat totius vitæ tenor, & sanctitas legis ab ipso promulgatæ. 4. Dum per suam mortem, & merita

remissio-

remiſſionem peccatorum nobis impetravit; *Factus eſt*, ut ait Apoſtolus 1 ad Corinth. 1 verſ. 30, *nobis a DEO juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* 5. Auctorem novi fœderis, ſeu teſtamenti ſeipſum declaravit, dum in ultima cœna Matth. 26 dixit: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti* &c. Porro ſicut Chriſtus fuit objectum, & finis omnium veterum Prophetarum, ſic omnis viſio, & prophetia in illo fuit impleta, neque ullus poſtea in Synagoga Propheta apparuit, qui aliquid de venturo Meſſia nunciaret. Tandem Jeroſolyma a Romanis capta, & deorum, Cæſarumque imaginibus in templo conſtitutis venit abominatio deſolationis, quam rurſus ipſe Chriſtus prædixerat.

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte Daniel populo Judaico in ſua prophetia tantum voluit denunciare dura, & triſtia, quæ illi eventura erant a prima templi deſtructione ſub Nabuchodonoſore uſque ad ſecundam ſub Tito; ex altera parte tantum a DEO poſtulavit liberationem e captivitate Babylonica; ergo non loquitur de Meſſia. Confirm. Judæi non recipiunt librum Danielis: ergo. Reſp. neg. ant quoad utrumque membrum. Tum quia Angelus Danielem potius voluit ſolari ſpe brevi finiendæ captivitatis, & bonorum, quibus per adventum Meſſiæ Judæi cumulandi eſſent; tum quia ab excidio primi templi ad excidium ſecundi non tantum fuere anni 490, ſed 657; neque hebdomades ab illo numerari poſſunt, ſed ab edicto: *Ut iterum ædificetur Jeruſalem.* Porro certum eſt, in prophetia Danielis multa contineri, quæ nihil ad liberationem Judæorum pertinent; cumque Daniel eſſet vir deſideriorum, credibile eſt, illum multo magis deſideraſſe liberationem ſpiritualem per Meſſiam, vel certe DEUS liberaliter eandem Danieli indicavit, ut clare colligitur ex illis verbis:

Ut

Ut consummetur prævaricatio, & ungatur Sanctus sanctorum; quæ non possunt accommodari ad puras promissiones temporales, in Christo vero omnia mire conveniunt. Ad confirm. Licet Judæi quasdam partes libri Danielis rejiciant, nempe orationem Azariæ, hymnum trium puerorum, historiam Susannæ, ac narrationem de Bel, ac dracone, reliquas tamen partes agnoscunt tanquam Scripturam canonicam.

66 Dices 1. Ubi Vulgata habet: *Ungatur Sanctus Sanctorum:* in Hebræo legitur: *Kodes Kodascim*, id est, Sanctitas sanctitatum, vel Sanctuarium sanctuariorum; atqui hæc potius debent accommodari templo, quam Messiæ; quod enim *Kodes* templum denotet, clare colligitur ex contextu, in quo habetur: *Civitatem, & Sanctuarium* (hebraice Kodes) *dissipabit populus cum Duce venturo.* Confirm. Ubi dicitur: *Occidetur Christus:* Septuaginta vertunt: *destruatur unctio*, id est, exspirabit Pontificalis dignitas in Hircano, ultimo Judæorum Pontifice. Resp. conc. maj. neg. min. Templum post septuaginta hebdomades non fuit unctum, seu consecratum, sed a Romanis profanatum, & eversum; ergo hæc verba debent accipi de Messia, qui est Sanctitas sanctitatum, seu Sanctorum sanctissimus. Quod si memorata verba seorsim accepta etiam de templo intelligi possent, sequentia tamen: *Usque ad Christum Ducem hebdomades sexaginta duæ erunt, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, non templum, sed personam designarent, nempe Christum, seu Unctum. Hinc ad confirm. dico, Septuaginta ita vertere potuisse, ad demonstrandam Messiæ excellentiam, ad quam exprimendam sæpe utimur abstractis pro concretis. Sic dicimus: Est ipsa charitas, ipsa innocentia &c. Certe in ipso textu Hebraico habetur *Masiach*, id est, Christus unctus, non *Mesech*, id est, unctio.

67 Dices 2. Saltem Angelus non voluit prædicere certum tempus adventus Messiæ, sed tantum posuit nume-

numerum certum pro incerto, ut ſæpius fit in Scriptura. Sic Apoc. 7 verſ. 4 dicuntur *centum quadraginta millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael; ex tribu Juda duodecim millia ſignati:* & ſic de cæteris. Confirm. Etſi Meſſias poſt ſeptuaginta hebdomades veniſſet, hic adventus hucusque potuit impediri peccatis Judæorum: ergo. Reſp. neg. ant. Quamvis in Scriptura nonnunquam ponatur numerus certus pro incerto, contrarium accidit in locis innumeris, & in noſtro caſu id demonſtrat ſcopus prophetiæ, qui erat, ſolari Danielem, & Judæos, ardentiſſime Meſſiam deſiderantes; atqui ſi Angelus tantum fuiſſet locutus de tempore indefinito, nullum ipſis ſolatium attuliſſet; quod enim Meſſias aliquando ſit venturus, jam prius noverant. Clarior ſane eſt ſacer textus, quam ut tergiverſationi locum relinquat. *Daniel*, inquit Angelus cap. cit. verſ. 22 & 23, *nunc egreſſus ſum, ut docerem te, & intelligeres - - - quia vir deſideriorum es. Tu ergo animadverte, & intellige viſionem: ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt* &c. Ad confirm. neg. ant. cujus nullum prorſus habetur fundamentum. Imo hic ipſe erat finis venturi Meſſiæ, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum. Vide num. 54.

68 Obj. 2. Prophetia Danielis jam fuit impleta, partim in Cyro, qui Iſai. 45 Chriſtus appellatur, & poſt ſeptem hebdomades a revelatione ab Angelo facta populum Judaicum e captivitate liberavit: poſtea a Tomyri Maſſagetarum regina occiſus: partim in Herode Agrippa juniore, qui Judæis plurimum favit, & in excidio Jeroſolymæ a Romanis fuit interfectus. Confirm. In prophetia Danielis ſeptuaginta hebdomades expreſſe dividuntur in ſeptem & ſexaginta duas: ergo ſignificantur diverſi eventus, qui ad duos Chriſtos referri debent. Reſp. neg. ant. Nam 1 prorſus abſurde, & contra ſenſum prophetiæ finguntur duo Chriſti. 2. Initium hebdomadarum male dicitur a tempore, quo Danieli facta eſt revelatio. 3. Cyrus voca-

vocatur quidem Christus, sed reliqui characteres Messiæ ipsi non conveniunt, & paucis a facta Danieli revelatione annis occubuit. 4. Agrippa junior multo serius, quam post sexaginta duas hebdomades regnavit, non Jerosolymis, sed in Thraconitide, nec a Romanis fuit occisus, sed usque ad finem vitæ amicitia illis conjunctus, ut testatur Josephus lib 2 de bello Judaico cap. 16. Ad confirm. transf. ant. neg. cons. Divisio ista hebdomadarum est Hebraismus, juxta quem Judæi summam majoris numeri per partes, & numeros minores enunciare solent, ut cum Ezechiel. 45 dicitur: *Porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli Mnam faciunt.*

69 Dices. Saltem prophetia Danielis impleta est in Nehemia, Zorobabel, aut Josue, sive Jesu filio Josedech, qui una cum Zorobabele Judæos ex captivitate Babylonica in patriam reduxit, & tanquam magnus Sacerdos in vili, & aspera vita Sathanam debellavit. Confirm. Desolatio, de qua in prophetia Danielis fit mentio, jam contigit ante Christum annis 175, videlicet tempore Antiochi Epiphanis, qui direpto, ac profanato templo Christum, id est, Sacerdotes amovit, & Judæos dire divexavit. Resp. neg. ant. Quia omnes tres jam ante initium septuaginta hebdomadarum nati fuerunt, & multo minus vitam ad ultimam usque produxerunt. Equidem Josue, & Zorobabel, ut advertit S. Hieronymus in cap. 1 Aggæi, typum Christi gesserant, & venturum Messiam præfigurarunt; at neuter legitur occisus, nec ipsorum ætate defecit hostia, sed potius templum, & sacrificia fuerunt restaurata, quin tamen finem peccato fecerint, aut justitiam sempiternam adduxerint. Ad confirm neg. ant. Desolatio tempore Antiochi facta non perseveravit *usque ad consummationem, & finem,* sed tantum tribus annis. Nullus quoque tunc vixit Sacerdos, cui omnes characteres Christi possunt tribui, minime vero ipsi Antiocho.

Obj. 2

Obj. 3. Prophetia Danielis non fuit impleta in Christo. 1. Quia post hebdomades septem & sexaginta duas non fuerunt rursus ædificati platea, & muri Jerusalem. 2. Templum Jerosolymitanum intra spatium septuaginta hebdomadum non fuit eversum. 3. Judæi illud sub Juliano Apostata iterum voluerunt restaurare, & anno Christi 643 a Saracenis restauratum est. Resp. neg. ant. Quippe 1 Angelus septem & sexaginta duas hebdomades non refert ad restaurationem templi, sed tantum ad Christum Ducem; neque omnia eo ordine prædixit, quo postea facta sunt, more Prophetis familiari, ut prophetica mysteria magis occultentur. 2. Excidium Jerosolymæ, & templi non amplius pertinet ad septuaginta hebdomades, sed dicitur futurum postea in pœnam Christi interempti, ad ipsam prophetiam de Christo magis confirmandam. 3. Restauratio templi sub Juliano Apostata variis prodigiis fuit impedita; a Saracenis vero neutiquam priorem magnificentiam recuperavit, nec in usus Judæorum, sed ad superstitionem Mahometicam ordinatum est, hinc vel maxime adhuc duravit desolatio. 70

Dices. Tali modo etiam posset dici, quod mors Christi non debeat referri ad septuaginta hebdomades; vel saltem hebdomades ita possumus metiri, ut quælibet contineat septem jubilæa, quæ quinquagesimo quovis anno recurrebant, vel omnino septem sæcula, quorum quodlibet centum annis definitur. Resp. neg. ant. Mortem Christi intra septuaginta hebdomades debuisse contingere, clare patet ex eo, quia Angelus pro eventu prophetiæ initio tantum determinavit septuaginta hebdomades, & postea expresse dixit, post hebdomades sexaginta duas (subintellectis etiam prioribus septem) Christum occidendum esse. Quod de hebdomadibus jubilæorum, & sæculorum additur, absurdissimum figmentum est inveteratæ Hebræorum pertinaciæ, qua spe prius concepta delusi tempus adventuri Messiæ præfixum 71

contra

contra omnem morem, in Chronologia usitatum, semper ulterius protrahere conantur. Certe vi prophetiæ Messias venturus erat, antequam destrueretur templum, & civitas Jerosolymitana, in Scriptura vero nullibi hebdomas accipitur pro septenario jubilæorum, aut sæculorum; imo sic adventus Messiæ ipsis Judæis nimis diu differretur, siquidem septuaginta hebdomades jubilæorum conficerent viginti quatuor millia annorum, & quingentos; & hebdomades sæculorum duplo plures, videlicet quadraginta novem annorum millia.

72 Obj. 4. Non satis constat, a quo tempore debeat inchoari computus septuaginta hebdomadum; nam ipsi interpretes, & doctores Catholici non conveniunt. Ut multo plures aliorum opiniones taceam, Cornelius a Lapide illas numerat ab anno imperii Artaxerxis septimo per annos solares; Julius Africanus, Beda &c. ab anno imperii ejusdem Artaxerxis vigesimo per annos lunares. Petavius, Ricciolius duplex Artaxerxis regimen statuunt; ita, ut septimus & vigesimus annus sit idem; septimus nempe, ex quo regnavit Artaxerxes solus; vigesimus, ex quo a patre suo in communionem regni assumptus est. Resp. conc. ant. neg. conf. Sæpe constat de rei gestæ substantia, quin omnes circumstantiæ satis sint notæ, neque ullum potest esse dubium, quin septuaginta hebdomades jam dudum sint elapsæ, quarum computum inchoandum esse a tempore edicti regis Persarum, quo Judæis data est facultas iterum ædificandi Jerusalem, satis conveniunt Auctores, & ex ipsa prophetia colligunt. Quod autem in modo explicandi discrepent, non est mirum, tum quia nihil magis intricatum, ac dubium, quam Chronologia illius temporis, tum quia ipse Daniel non ita clare, & perspicue loquitur, ut rem hanc satis expresserit. Interim modus computandi Cornelii est conformis Chronologiæ communiter receptæ, dum e contra, ut anni lunares septuaginta hebdomadis responderent,

ab

ab illis deduci deberent menses embolimi, seu intercalares, quod est contra morem Hebræorum, ut advertimus num. 61.

73 Porro utrum revera Artaxerxes à patre suo in consortem regni assumptus fuerit, non satis constat; nec, si constaret, annus septimus & vigesimus concurrerent. Quippe juxta patronos hujus systematis Artaxerxes à Xerxe fuisset in consortem regni assumptus anno duodecimo regni Xerxis, qui postea tantum adhuc octo vel ad summum decem annis regnavit, ut adeo lacuna tredecim annorum minime impleatur. Adde, quod juxta consuetudinem Chronologorum initium regni Artaxerxis ab eo duntaxat anno computari soleat, quo post obitum patris plenam, & integram in Perside potestatem adeptus est. Jam vero si initium septuaginta hebdomadum à vigesimo anno imperii Artaxerxis numerare inciperes, sexaginta novem hebdomades, quæ annos 483 conficiunt, neutiquam ad baptismum Christi complerentur, sed tredecim omnino anni deficerent, ut ostendit P. Ziegler in Dogmat. Cathol. de Incarn. Verbi. Certe illorum calculus, qui cum Calmeto ab anno vigesimo Artaxerxis tot annos solares numerant, quot ad complendas septuaginta hebdomades requiruntur, à communi aliorum computandi modo abhorret, & pluribus tricis obnoxius est. Hinc

74 Dices. Artaxerxes potestatem iterum ædificandi Jerusalem Judæis primum concessit anno vigesimo sui imperii; in eo enim edicto, quod anno septimo emanavit, nulla fit mentio de potestate Jerosolymam ædificandi. Confirm. Septuaginta hebdomades a Daniele dicuntur abbreviatæ; ergo computus merito fit per annos lunares deductis embolismis. Resp. Quamvis in edicto primo de ædificanda urbe non fit mentio expressa; hæc tamen potestas in eadem conceditur implicite; tum quia expresse conceditur facultas constituendi magistratus, & judices; tum

quia pecunia ad usum sacrificiorum non necessaria relinquitur arbitrio, & dispositioni Esdræ; tum denique quia paulo ante verba edicti regii dicitur: quod *Artaxerxes Esdræ dederit omnem petitionem ejus;* atqui non est credibile, quod Esdras templo jam instaurato a rege non etiam petierit instaurationem urbis. Præterea Nehemias 2 Esdræ 1 scribit, se a fratribus suis, qui Jerosolymis Babylonem venerant, anno vigesimo Artaxerxis audivisse, murum Jerusalem fuisse dissipatum, & partes ejus combustas, quod non potest intelligi de vastatione facta a Nabuchodonosore; hæc enim Nehemiæ jam a multis annis erat nota: ergo debet intelligi de vastatione facta a Sanaballat, cæterisque hostibus, qui sub Esdræ tempora Judæos infestaverant. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. Vox *abbreviatæ* non significat, hebdomadas esse decurtatas, sed idem sonat, ac definitæ, decisæ, decretæ, ut habet Hebraicum, in quantum nempe adventus Messiæ a tempore indefinito ad certum fuit contractus, quod tempus utique longe brevius fuit, quam illud, quod ab orbis initio usque ad Danielem effluxerat.

De reliquis prophetiis, & signis Messiæ.

75 Aggæus cap. 2 ita prophetavit: *Hæc dicit Dominus DEUS exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet desideratus gentibus, & implebo templum istud gloria - - magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ.* His propheta ex una parte gloriam templi primi, quod a Salomone ædificatum est, comparat cum gloria templi secundi, quod ædificarunt Judæi ex captivitate Babylonica reduces: ex altera parte majorem gloriam templi secundi prædicit ex eo, quia veniet desideratus cunctis gentibus; quod enim quoad structuram, & ædificium non adæquaverit templum

plum Salomonis, extra dubium est; atqui hæc prophetia jam est impleta, tum quia Aggæus expresse dicit, esse *unum modicum*; tum quia templum secundum jam diu a Romanis penitus est destructum. Confirm. ex cap. 3 Malachiæ: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.*

76 Idem Malachias cap. 1 ita loquitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus;* quæ verba, judice Petavio, aptissima sunt ad pervicaciam Judaicam refrænandam, & ab antiquis Patribus sæpe in hunc finem fuerunt adhibita. Sane per prædicationem Evangelii nomen DEI, & Christi magnum evasisse in gentibus, & ubique eidem sacrificari, manifestum est. Ipsa quoque Scriptura innumeris ferme locis testatur, quod post adventum Messiæ, ejusque beneficio gentes relictis idolis ad verum Israelis DEUM se conversuræ sint. Sic Psalm. 2 vers. 18 dicitur: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Psalm. 71 vers. 17: *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.* Isai. 55 vers. 5: *Ecce, gentem, quam nesciebas, vocabis; & gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum DEUM tuum, & sanctum Israel; quia glorificabit te.*

77 Profecto cætera Prophetarum de Messia vaticinia ita cum historia de gestis Christi Domini concordant, ut teste D. Augustino gentilium quidam asseruerint, libros Prophetarum non ante, sed post Christi in terras adventum ab impostore quodam conscriptos esse, neque iis futura prænunciari, sed res jam peractas, & impletas describi. Sic nativitas Christi ex Virgine prædicitur Isai. 7 vers. 14: *Ecce*

virgo concipiet, & pariet filium. Locus nativitatis Micheæ 5 verſ. 2: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Adoratio Chriſti a Regibus de longinquo venientibus, & munera offerentibus Pſalm. 71 verſ. 10: *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent.* Cædes infantium circa Meſſiæ nativitatem Jerem. 31 verſ. 15: *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus multus.* Fuga in Ægyptum Oſeæ 11 verſ. 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

78 Quod prædicationem, & paſſionem Meſſiæ attinet, fore aliquem, qui prædicationibus Meſſiæ populum præpararet, vaticinatus eſt Iſaias cap. 40 verſ. 3: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* Idem cap. 35 verſ. 5 enumerat prodigia, quibus Meſſias ſuum adventum erat probaturus: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* Judæ proditionem, & pretium triginta argenteorum deſignat Zacharias cap. 11 verſ. 13: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Manuum, & pedum perforationem David Pſalm. 21 verſ. 18: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Veſtimentorum diviſionem ibidem verſ. 19: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea.* Acetum, quo potatus eſt in cruce Pſalm. 68 verſ. 22: *In ſiti mea potaverunt me aceto.* Deprecationem pro crucifixoribus Iſai. cap. 53 verſ. 12: *Et pro transgreſſoribus rogavit.* Solis deliquium Amos cap. 8 verſ. 9: *In illo die occidet ſol in meridie.* Ignominioſam mortem inter duos latrones Iſai. cap. 53 verſ. 12: *Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.*

79 Non minus diſerte prænunciata eſt glorioſa Meſſiæ reſurrectio Pſalm. 30 verſ. 6: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Aſcenſio in cœlum Pſalm. 69 verſ. 19: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem.* Miſſio Spiritus ſancti Joel. 2 verſ. 28: *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Quod denique Meſſias ex Judæis a ſe

conver-

conversis sit quosdam missurus in universum orbem, qui ipsius gloriam gentibus annunciarent, clare expressit Isai. cap. 66 vers. 19, ubi inquit: *Mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam &c. & annunciabunt gloriam meam gentibus.* Certe teste Cornelio a Lapide vel solus Isaias de Christo, & Christianis tam diserte prophetavit, ut, qui illum attente legerit, sibi videri possit in Evangelio se versari; hinc in novo testamento hic Propheta sæpius citatur, & auditur, quam omnes reliqui simul sumpti.

Objectiones.

Obj. 1. Prophetia Aggæi non potest intelligi de Christo. 1. Quia dicit: *Post modicum;* cum tamen Aggæus prophetarit quingentis & viginti circiter annis ante Christum. 2. Quia teste Josepho templum tempore Aggæi ædificatum, jam ante Christi adventum fuit destructum, nempe anno decimo octavo Herodis, qui aliud ædificavit. 3. Gloria major templi secundi tantum fuit in eo, quod diutius duraverit, quam primum. Resp. neg. ant. 1. Quingenti & viginti anni mérito possunt dici modicum respectu temporis, quod usque ad Aggæum ab origine mundi elapsum erat. At non possunt dici modicum bis mille ducenti, & plures anni ab Aggæo ad nostra usque tempora elapsi. 2. Quamvis Herodes prius templum ornaverit, vel perfecerit, aliquas partes adjiciendo, illud tamen nunquam ita destruxit, ut in æstimatione morali non perseveraverit. Nam Joann. 2 ipsi Judæi ad Christum dixere: *Templum hoc quadraginta & sex annis fuisse ædificatum,* cum Herodes nonnisi octo annos ejus fabricæ impenderit. Josephus sibi non constat, & lib. 1 de bello Judaico tantum ait, templum ab Herode fuisse instauratum. 3. Propheta majorem gloriam templi secundi non ponit in duratione, sed quod in illud

venturus sit desideratus cunctis gentibus; cum prius tantum ibi fuerit arca fœderis. Accedit, quod templum secundum sæpius fuerit pollutum ab Antiocho Epiphane, a Pompejo, & postea a Tito, ut adeo illi plures anni non tam fuerint ad gloriam, quam ad ignominiam.

81 Dices. In Christo non fuit impletum illud: *Commovebo cœlum, & terram, mare & gentes*. 2. Potest dici, quod prius templum adhuc duret, quia supersunt ejus fundamenta. 3. Imo ipse Messias templum Jerosolymitanum iterum restaurabit, ut multis describit Ezechiel cap. 40. Resp. ad 1. Sicut Psalm. 113 v. 7 ob prodigia in Ægypto patrata dicitur: *A facie Domini mota est terra*, sic cœlum, & terra &c. fuerunt commota per prodigia in nativitate Christi patrata e. g. per descensum Angelorum ad pastores, per novam stellam tribus Magis apparentem &c. Præterea terra, mare, & gentes antea fuerunt commotæ per bella civilia, terra marique a Romanis gesta, quibus concussa est respublica Romana. Denique etiam descriptio orbis ab Augusto facta gentes commovit. Ad 2. Propheta expresse distinguit templum primum a secundo, licet hoc fundamento prioris fuerit inædificatum: ergo fundamenta non possunt dici prius templum. Ad 3. Quæ Ezechiel a cit. cap. usque ad finem libri scribit, adeo sunt obscura, & ambigua, ut ipsi Rabbini passim fateantur, illa a nemine satis intelligi. S. Chrysost. Hugo Victorin. Lyran. &c. ea exponit de restauratione templi tempore Aggæi a Zorobabele, & Jesu filio Josedech facta. D. Hieronymus de templo spirituali, & mystico, nempe de Christi Ecclesia, cujus symbolum, ac figura fuit templum Salomonis.

82 Obj. 2. Juxta Isaiam cap. 2 vers. 2 Messias venturus est: *In novissimis diebus*: & juxta Malachiam ejus adventum debet præcedere Elias; nam postquam cap. 3 v. 1 dixit: *Ecce ego mittam Angelum meum* &c. quis sit ille Angelus cap. 4 vers. 5 ita explicat:

plicat: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam venerit dies Domini magnus, & horribilis:* ergo Meſſias nondum venit. Confirm. Si Chriſtus fuiſſet Meſſias, a Joanne Baptiſta debuiſſet agnoſci; atqui non fuit agnitus; nam ille miſit ſuos diſcipulos, ut ex Chriſto ſciſcitarentur, an ipſe ſit Meſſias. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Dies, ſeu tempus noviſſimum non debet accipi abſolute, ſed reſpective, ad præcedentia tempora legis naturæ, & Moſaicæ, quibus finem impoſuit noviſſimus, & ultimus ſtatus gratiæ; diebus enim abſolute noviſſimis Meſſias non veniet ut Salvator, ſed ut Judex, de quo adventu horribili cap. 4 loquitur Malachias, in capite autem tertio per Angelum intelligit Joannem Baptiſtam, ut hunc locum Matth. 11 interpretatur ipſe Chriſtus. Quando autem dixit, Eliam jam veniſſe, id intellexit de Elia non in perſona, ſed in ſpiritu, & rurſus Joannem deſignavit. Ad conf. conc. maj. neg. min. Joannes ſuos diſcipulos tantum miſit ad Chriſtum, ut illorum fidem viſo Chriſto, ejusque miraculis magis firmaret; ipſe vero jam antea Chriſtum agnovit, & de illo dixit: *Ecce agnus DEI: ecce qui tollit peccata mundi.* Joann. 1 verſ. 29.

Dices 1. Adventus Meſſiæ debet eſſe glorioſus, & plenus abundantia omnium rerum. Nam Iſai. cap. 2 dicitur, fore *Mons in vertice montium.* cap. 11: *Lupum & agnum, leonem, vitulum, & ovem ſimul habitaturos, nec ſerpentes nocituros.* Amos 9: *Montes ſtillaturos dulcedinem*; atqui hæc nondum evenerunt: ergo. Conf. Meſſias debet eſſe Bethlehemita; Chriſtus autem fuit Nazarenus: ergo. Reſp. tranſ. maj. neg. min. Textus allati non debent accipi in ſenſu litterali, ſed allegorico, de fundanda Eccleſia ſuper montes, id eſt, Apoſtolos, de moribus hominum, qui antea brutis ſimiles erant, ad omnem virtutem immutandis, de afferendis bonis ſpiritualibus, & dulcedine mentis. Unde valde cæcutiunt Judæi, dum ſenſui litterali nimis inhærentes ex ejusmodi textibus

ineptissimas fabulas cudunt, & cur non etiam dicunt, Judam, ejusque posteros physice factos esse leones, cum Genes. 9 legatur: *Catulus leonis Juda?* Porro adventus Messiæ primus fuit quidem gloriosus coram DEO, & Angelis, coram hominibus autem summe gloriosus erit adventus secundus, de quo sæpe in Scriptura sermo est. Ad confirm. Quamvis Christus fuerit Nazarenus origine, & diuturna habitatione, fuit tamen Bethlehemita nativitate, ut constat ex cap. 2 Matth. & Lucæ.

84 Dices 2. Messias debet esse bellator, & sibi subjicere gentes, Psalm. 44 v. 6: *Sagittæ tuæ acutæ, & populi sub te cadent.* 2. Debet diu regnare, & habere filios. Hinc Psalm 88 v. 38 ipsius *thronus* dicitur *futurus in sæculum sæculi.* Et Isai 53 v. 10: *visurus semen longævum* 3 Debet debellare Gog, Ezechiel. 38 & 39: atqui hæc rursus non possunt dici de Christo: ergo. Resp. Hanc esse alteram Judæorum ineptiam, quod Messiam semper sibi fingant tanquam regem terrenum, qui sit erecturus regnum temporale, & Judæis procuraturus abundantiam omnium rerum mundanarum, cum tamen Ezechiel cap. 39 illum depingat, tanquam *despectum, & novissimum virorum.* Itaque ad 1 dico, gentes debuisse subjici imperio Messiæ non caduco, & temporali, sed spirituali, & æterno, non armorum strepitu, sed suavi, & occulta vi gratiæ; hinc Christus Joan 18 v. 36 dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ad 2 eadem est responsio, & per semen longævum intelliguntur filii spirituales. Ad 3. Vel Ezechiel loco objecto omnino non loquitur de Messia, vel de secundo ejus adventu; nam in fine mundi debellandum esse Gog, & Magog, indicatur Apocal. 20 vers. 7 & 9.

85 Obj. 3. Nondum sunt impleta illa signa, quæ adventum Messiæ debent præcedere, aut comitari, uti finis bellorum, abolitio cultus falsorum deorum, & consummatio prævaricationis, ac peccatorum. Confirm.

firm. In adventu Messiæ *lux lunæ erit sicut lux solis, & lux solis septuplo major, quam antea.* Isai. 30 vers. 26. Resp. neg. ant. Messias non debuit mundo afferre pacem terrenam, ac mundanam, sed spiritualem, & internam, de qua nascente Christo canebant Angeli: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2 vers. 14. Neque cultus falsorum deorum debuit deleri statim, & quasi in momento, sed paulatim, & per gradus, prout Evangelium successive per orbem prædicatum est. Multo minus Messias ita debuit finem imponere peccatis, ut homines redderentur impeccabiles, sed in quantum illa sanguine suo eluit, quibus si homo mundari vellet, illa delere, & imposterum cavere valeret. Ad confirm. Juxta S. Hieronymum, aliosque sermo est de secundo Christi adventu, idque videtur colligi ex contextu. Juxta alios designatur magnitudo lætitiæ, & gloriæ, quam Messias discussis veteris testamenti umbris fuit allaturus.

86 Dices. Ex una parte Christus non fuit desideratus gentibus, quæ antea nihil de ipso sciverunt: ex altera parte non fuit receptus a vera Ecclesia, quæ tunc erat sola Ecclesia judaica; ergo non fuit Messias Judæis promissus. Confirm. In adventu Messiæ promittitur Israelitarum exaltatio: ergo Messias observantiam legis Mosaicæ debet promovere. Hinc Deuter. 20 & Ezechiel. 39 omnes Hebræi dicuntur colligendi in Jerusalem, & habitaturi in Judæa. Resp. neg. ant. quoad utrumque membrum. Desideratus, ut Suarius tom. 1 in 3 part. disput. 3 sect. 3 advertit, more prophetico idem significat, ac desiderandus; jam vero Messias semper fuit gentilibus desiderabilis; neque ex illis defuere aliqui pii, qui eundem desiderarunt. Porro Messias tantum debuit recipi a nova Ecclesia, quam ipse formavit, a Judæis autem erat rejiciendus, & occidendus, ut sæpius prænunciarunt prophetæ. Ad confirm. transf. ant. neg. consf. Sed adveniente Messia lex, & ritus

judaici debuerunt obliterari, ſacerdotium transferri, ſacrificia abrogari &c., ut prædixerunt Iſaias, Jeremias, Oſeas &c. Hinc Iſraelitarum exaltatio ſolum debuit eſſe ſpiritualis, in quantum credentes in Filium DEI in legem gratiæ transferebantur. Quæ ex libro Deuteronomii, & Ezechiele adducuntur, intelligenda ſunt de liberatione ex captivitate Babylonica: *Poſtquam habitavit omnis Iſrael in civitatibus ſuis* Eſther. cap. 7.

DISPUTATIO II.

De eſſentia Incarnationis.

87 Conſtitutiva intrinſeca Incarnationis ſunt Verbum divinum, natura humana, & unio hypoſtatica, circa quæ variæ jam primis Eccleſiæ temporibus ortæ ſunt hæreſes. Divinitatem Chriſto denegarunt Cerynthus, Ebion, Carpocras, qui fuit auctor turpiſſimæ Gnoſticorum ſectæ, Nazareni, Elceſæi, Artemon, Theodotus Byzantinus opificio coriarius, & alius Theodotus prioris diſcipulus argentarius, vel trapezita. Horum error, & profeſſio fuit, JESUM eſſe purum hominem, quem tamen Nazareni tanquam juſtum honorabant; Artemon vero ex virgine natum, ac prophetis excellentiorem fatebatur. Reliqui illum communi modo ex Joſepho, & Maria natum, nec quidquam ſupra aliorum hominum naturam præſtantius habuiſſe, blaſphemabant; addebant tamen cum Cerynthо, in JESUM adultum dein deſcendiſſe Chriſtum, ſeu Spiritum ſanctum ſub ſpecie columbæ, tanquam alteram perſonam, qui Chriſtus poſt paſſionem iterum revolaverit ſurſum, JESUM autem reſurrexiſſe, ut refert Irenæus, & Theodoretus.

88 Non ſolum Chriſto, ſed ipſi etiam Verbo Deitatem abnegavit Paulus Samoſatenus. Quamquam enim voce tenus illum appellaverit DEUM, negavit tamen,

tamen, eundem esse æqualem Patri, aut semper DEUM fuisse, sed primum ex profectu virtutis DEUM esse factum. Hæresim istam denuo resuscitavit Photinus Sirmii Episcopus, & illi hodiedum adhærent Sociniani. Nullus autem eandem acrius propugnavit, quam Arius, qui præter alios errores docuit, Filium DEI non esse ab æterno, nec DEUM verum, & Patri consubstantialem, sed libere ex nihilo creatum, Patre minorem, voluntate, naturaque mutabilem. Quod de Filio, proportionaliter etiam asseruit de Spiritu sancto. *Ariani*, inquit S. Augustin. libr. de hæres. num. 49, *in eo sunt notissimi errore, quod Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nolunt esse unius, ejusdemque naturæ, atque substantiæ, aut, ut expressius dicatur, essentiæ, quæ usia appellatur, sed esse Filium creaturam* (nempe Patris) *Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ; hoc est ab ipso Filio creatum volunt.*

89 De natura humana Christi duplex potissimum fuit error; aliqui enim errarunt circa animam, alii circa carnem Christi. Circa animam Arius contendit, eam a Verbo non fuisse assumptam, sed tantum corpus humanum inanime; hinc Christum non verum, sed tantum specie tenus hominem fuisse, ipsumque Verbum in carne passum, ideo quæcunque in Scriptura de Christo ut homine dicuntur, ipsimet Verbo esse tribuenda. Cum Arianis initio sensit Apollinaris Laodiceæ Episcopus, at postea quasi pœnitentia ductus, vel potius orthodoxorum argumentis convictus se ab Arianis secrevit, asserendo, Verbum quidem assumpsisse corpus, & animam, attamen sine mente. Quod S. Augustin. lib. de hæres. num. 55 ita explicat: Verbum juxta mentem Apollinaris assumpsit quidem corpus, & animam sensitivam, non vero rationalem, cujus vices ipsum Verbum in Christo egit. Taceo alios errores, in quos Hæresiarcha iste circa Incarnationem lapsus est, in quibus tamen sibi ipsi non satis constitit, ut colligi-

tur ex S. Gregor. Nazianz. in epist. ad Nectarium, & S. Athanasio in epist. ad Epictetum.

90 Qui errarunt circa carnem Christi, rursus sunt duplicis classis. Nam aliqui volebant, Verbum non assumpsisse veram, ac solidam carnem, sed umbratilem, ac phantasticam, ideo Phantasiastæ dicti. Alii Christo quidem corpus aliquod tribuerunt, at non desumptum ex B. Virgine, verum aut ex elementis coagmentatum, aut e cœlo delatum. Primi erroris auctor fuit Simon Magus, Gethis vico Samariæ oriundus. Ejus discipulus fuerat Menander Saturninus, Basilides, quibus postea etiam accesserunt Heracleonitæ, Cerdonitæ, Ophitæ, Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ. Porro Basilides addidit, Christum non esse passum, sed ejus loco Simonem Cyrenæum, cui cum Judæi crucem Christi imposuissent, JESUS illum in suam commutavit figuram. Inde factum, ut Simon externa specie Christum referens in cruce suffigeretur; Christus vero, qui vicissim Simonis effigiem induisset, nihil omnino passus in cœlum subvectus fuerit; ut videre est apud S. Epiphanium hæres. 23 & 24.

91 Ad alteram classem pertinet 1 Valentinus, qui teste Tertulliano lib. de præscript. cap. 49 finxit, Christum, nescio quod, corpus e cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. 2. Apelles, qui apud eundem Tertullianum lib. cit. cap. 51 dixit, Christum e superioribus partibus descendentem ipso descensu sydeream sibi carnem, & aeream contexuisse, post resurrectionem vero singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse. 3. Anabaptistæ quoque sæculo XVI docuerunt, Christum non habuisse carnem veram ex matre assumptam, ut refert Cochlæus in lib. de erroribus Anabaptistarum Monasteriensium. Quibus merito adjungimus illos, qui assumptionem carnis cum detrimento maternæ virgi-

virginitatis factam esse contendunt, uti Judæi, aliique veteres hæretici cit. num. 86. Item Jovinianus, & Helvidius, quorum primus voluit, matrem DEI permansisse quidem Virginem in conceptione, non vero in partu: posterior illam & in conceptione, & in partu Virginem mansisse, at non post partum. Hunc errorem postea plures ex Novatoribus resuscitarunt, ut refert Canisius lib. 2 de beat. Virg.

92 Veram, realem ac physicam unionem inter Verbum divinum, ac naturam humanam impugnavit Nestorius, contendens, hanc unionem tantum fuisse moralem; neque factam in ipso Christi exortu, sed post temporis intervallum, postquam Christus homo illam fuisset meritus. Hanc porro unionem moralem varie exponebat. 1 dixit, eam tantum esse unionem affectus, dilectionis, atque concordiæ, quali inter se uniuntur duo amici. 2. Ajebat, Verbum in Christo homine habitasse tanquam in suo templo. 3. Illud fuisse unitum humanitati secundum operationem, in quantum Christus homo erat instrumentum, quo Verbum utebatur in admirandis illis operibus, quæ a Christo facta leguntur. 4. Denique admittebat unionem secundum participationem, quatenus Verbum Christo homini ita suum nomen, & dignitatem impertiverit, ut DEUS, & DEI Filius vocaretur, & adoraretur, non propter se, sed propter Verbum, a quo assumptus fuerat, eo ferme modo, quo Sanctorum imagines nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos etiam cultu religioso honorantur.

93 Ex capitali hoc errore plures alii consequebantur, uti 1 Christum non esse DEUM proprie natura & substantia, sed solum improprie, & nuncupative, gratia, adoptione, aut speciali Divinitatis assistentia. 2. Duas esse Christi personas, unam hominis, alteram DEI; adeoque esse duos Filios, & duos Christos. 3. Utriusque naturæ divinæ, & humanæ proprietates non posse de se invicem prædicari, consequenter

quenter proprie non posse dici, DEUM esse passum, mortuum, aut hominem esse DEUM. Hinc illa vox Nestorii: *Non oportet DEUM bimestrem, vel trimestrem dicere.* 4. B. Virginem non esse, nec dici posse Matrem DEI, sed solum Genitricem Christi. Quam hæresin sæculo VIII in Hispania restaurarunt Felix Orgellitanus, atque Elipandus Toletanus Episcopi, qui Christum DEUM, hominemque confessi, totidem, quot naturæ sunt, in eo filios inesse docuerunt, unum naturalem, qui sit DEUS, & Verbum; alterum adoptivum, qui sit homo. His strictim recensitis, nonnihil fusius enarranda est historia Arianismi, & Nestorianismi.

Historia Arianismi.

94 Arius ex Lybia oriundus, externa quidem corporis specie ad austeram morum gravitatem, & modestiam compositus erat, animo autem versipellis, novitatis avidus, & dialecticis argutiis apprime exercitatus. Adhæserat primum Meletio Nicopoleos Episcopo, qui a S. Petro Alexandrino ob idololatriam, aliaque crimina in Episcoporum synodo exauctoratus, schisma adversus illum fecerat, munere episcopali contumaciter fungi pergens. Huic igitur Meletio cum se adjunxisset Arius, a S. Petro ecclesiastica communione interdictus est, at schismate deserto rursus Ecclesiæ reconciliatus, atque ad Diaconatus ordinem promotus est. Verum brevi ad pristinum schisma rediit, denuoque ab Ecclesia ejectus fuit, in quam tamen, Petro per gloriosum martyrium e vivis sublato, non solum iterum irrepsit, sed etiam ab Achilla Petri successore ad Presbyteratum promotus ipsis infulis inhiare cœpit.

95 Cum enim mortuo Achilla ad sedem Alexandrinam evectus fuisset Alexander, vir eximiæ doctrinæ, & sanctitatis, Arius, licet ab Alexandro in honore habitus, & Alexandrinæ cuidam Ecclesiæ præpositus,

tus, ex ambitione, ac invidia aperte contra suum Episcopum insurrexit, suosque errores palam spargere ausus est. Ut impios hos conatus reprimeret Alexander, primo quidem privatis admonitionibus, ac consiliis Arium ab insania sua revocare conatus est: cum autem nil proficeret, coacto Alexandriæ centum ferme Episcoporum Concilio eum cum asseclis suis anathemate perculit, atque a suo gradu dimovit. Verum Arius missa ad Episcopos orientales fidei suæ formula non paucos eorum in suam partem pertraxit, inter quos eminebant duo Eusebii, Nicomediensis, & Cæsariensis. Unde graviores in Ecclesia turbæ exortæ sunt, ad quas componendas Constantinus Magnus Imperator Osium Cordubæ in Hispania Episcopum Alexandriam misit. Verum Osius convocata etiam Episcoporum synodo nihil profecit, imo crescebant in dies tumultus, & hæresis latius grassabatur.

96 Itaque Sylvester Romanus Pontifex, & Constantinus Imperator generale Concilium Niceæ in Bythinia celebrandum indixere, anno 327, ut Bellarminus censet, vel ut alii cum Baronio existimant, anno 325. Convenerant ad illud ex omnibus Orientis partibus 318 Episcopi, inter quos complures erant non modo eruditione, sed etiam sanctimonia, miraculis, & acceptis pro Christo vulneribus insignes. Ex Occidente, præter Nicasium Diniensem in Gallia Episcopum, tres tantum adfuere Sedis Apostolicæ Legati, Osius Episcopus Cordubensis, Vitus, & Vincentius Presbyteri Romani. Ipse quoque Imperator Concilio interesse voluit, non judicem, sed synodi defensorem se esse professus. Lectis coram universo Concilio Arii in Filium DEI blasphemiis cohorruere Patres: datus nihilominus Arianæ defensioni locus, & causa, quantum rei gravitas postulabat, examinata est, donec Ariani potissimum ab Athanasio, tunc Ecclesiæ Alexandrinæ Diacono, penitus convicti fuerunt.

Maxima

97 Maxima ſacri cœtus cura in id intendebatur, ut vindicaretur Chriſti divinitas, & conſubſtantialitas Verbi cum Patre divino, quem in finem ab Oſio conſcriptum eſt Symbolum Nicænum, eique inſerta hæc verba: *DEUM de DEO; lumen de lumine; DEUM verum de DEO vero, genitum non factum;* Ὁμοούσιον, *ſeu conſubſtantialem Patri.* Cui Symbolo omnes Patres ſubſcripſerunt. Arius vero cum impio ſuo dogmate, & paucis aſſeclis, qui ſubſcribere detractarunt, ab univerſo Concilio anathemate perculſus, & ab Imperatore exilio mulctatus eſt; qui condemnatos Arii libros juſſit comburi; impoſita capitis pœna, qui illos apud ſe retinerent. Idem ſtatuit de ſcriptis ſectatorum Arii, quos voluit pro impiis haberi, & a Porphyrio, homine religionis chriſtianæ infenſiſſimo, Porphyrianos appellari.

98 Damnata a Concilio generali, & aliquantum ſuppreſſa hæreſis Ariana brevi poſt, ope potiſſimum Euſebiorum, iterum caput extulit. Ipſe Arius ambigua fidei profeſſione Imperatorem decipiens, ab illo impetravit, ut ſibi cum Luzojo Diacono, quem fortunæ ſuæ, ſicut impietatis comitem habebat, Alexandriam reverti liceret; ſed a plebe Catholica peſſime exceptus ingentes adventu ſuo turbas excitavit; unde Imperator fraudem ſubodoratus, Arium Conſtantinopolim accerſitum ipſemet interrogat, num Nicænis decretis ſincere conſentiat; cumque ipſe, nihil cunctatus, alacri animo ſubſcriberet, & jurejurando ſuam ſubſcriptionem confirmaret, Conſtantinus imperavit, ut ab Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo in communionem reciperetur. Verum Alexander precibus, & jejuniis a cœlo impetravit, ut Arius repentino viſcerum dolore correptus, in loco publico ad exonerandam alvum deſtinato, cum ſanguinis copia impiam animam effuderit.

99 Tam miſer impii hæreſiarchæ interitus adeo non fregit Euſebianorum furorem, ut coactis variis

Conci-

Conciliabulis acrius sævirent, & Catholicos Antistites sub variis prætextibus sedibus suis deturbarent, præcipue postquam mortuo Constantino in imperio Orientis successit Constantius Arianæ factioni nimium addictus. Quare Julius Papa anno 344 denuo indixit Concilium generale Sardicæ, Illyrici urbe, habendum. Ad illud præside Osio ex Occidente venerunt Episcopi circiter 280, ex Oriente 76. Ex quibus aliqui Arii fautores Nicopolim urbem vicinam secesserunt, ibique separatum conflarunt Conciliabulum, quod sæpe cum Sardicensi male confunditur. Porro Patres Sardicenses nihil quidem novi, quod ad fidem pertinet, statuerunt, sed tantum ea, quæ in Concilio Nicæno definita sunt, novis suffragiis confirmarunt, ideo Concilium Sardicense passim dicitur appendix, & complementum Concilii Nicæni.

100 Taceo hic plura alia Concilia, uti Mediolanense, Ariminense, Sirmiense, Seleuciense &c. in quibus fautores Arii fidem Nicænam variis fraudibus, & machinis subvertere conati sunt. Id solum noto, illos in tres sectas fuisse divisos. Primæ sectæ præcipui duces fuere Aetius, & Eunomius, qui Filium Patri ανομοιον, id est, dissimilem, asserebant, propterea dicti Anomæi, & Ariani puri, ac rigidi. Alterius principes fuere Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, & Macedonius Constantinopolitanus; qui postea Divinitatem Spiritus sancti aperte impugnavit. Aspernabantur isti vocem Ὁμοέσιον, consubstantialem, & Filium Patri ὁμοιέσιον, id est, in essentia similem esse contendebant, ideo vocati Semi-Ariani. Tertiæ denique auctor fuit Acarius Episcopus Cæsariensis, qui a Semi-Arianis, quibus prius adhæserat, discedens, Filium tantum dicebat ὁμοιον, seu similem, non in natura, divinitate, aut æternitate, sed tantum externa repræsentatione.

101 Cæterum utrum Homiusiani de divinitate Verbi revera male senserint, disceptatur inter eruditos.

Cum enim de ratione Filii proprie dicti sit, ut sit Patri similis in substantia, non minus videtur, dici posse ὁμοιούσιος Patri similis in essentia, quam ὁμοούσιος Patri consubstantialis; hinc ipse Apostolus ad Coloss. 1 v. 15, & ad Hebr. 1 v. 3 ait: *Filium esse imaginem Dei invisibilis, & figuram substantiæ ejus.* Neque formulæ fidei, quas semiariani in Concilio Antiocheno, Pseudo-Sardicensi, Sirmiensi, & Ancyrano ediderunt, quidquam fidei adversum continent, sed potius Divinitatem Filii adstruunt. Ideo S. Hilarius existimat, illos ab hæresi immunes fuisse. Idem S. Athanasius sensit, saltem de multis eorum, *qui videlicet omnia Synodi* (Nicænæ) *scripta recipiunt, de solo autem Consubstantiali ambigunt. Cum his*, inquit in lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. *veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut quibus nobiscum eadem sit sententia, controversia autem de verbis.* Quia videlicet, ut idem S. Doctor advertit, vocem Consubstantialis solum rejiciebant, tum quia illa rejecta fuit a Synodo Antiochena, in qua damnatus est Paulus Samosatenus, tum quia in sacris litteris non reperitur, & indicare videtur, quasi Pater, & Filius substantiam inter se partiti essent.

102 Nihilominus Homiusiani merito Catholicis suspecti fuerunt. Quippe cum Arianis Episcopis communicabant, & Synodos agebant. Ab iisdem in orthodoxorum Episcoporum injuste depositorum sedes intrudebantur, & gratia plurimum valebant apud Constantium Imperatorem, qui Arianorum fraudibus circumventus diram adversus orthodoxos tyrannidem exercebat. Præterea a Synodo Sardicensi cum Arianis recesserant Philippopolim, ibique in suo Conciliabulo ipsi summo Pontifici Julio anathema dixerant. In particulari autem Synodo Ancyrana sub anathemate prohibuere vocem Consubstantialis, quam Concilium Generale Nicænum expresse approbaverat, & Symbolo inseruerat, ob quam causam a S. Hilario, lib. de fide Orientalium, impii vocantur. *Oro vos*

fra-

fratres, inquit, *adimite suspicionem, occasionem excludite, ut probari possit* ὁμοιούσιον, *non improbate* ὁμοούσιον. *Date veniam fratres, impium est, quod audetis, non patior, ut in anathemate sit* ὁμοούσιον, *hanc vocem secundum religiosam intelligentiam confitemur. Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat Religionis.*

103 Cum Arianis sociare hic juvat Socinianos, sic dictos ab utroque Socino Lælio, & Fausto. Lælius Fausti patruus nobilis Senensis sectæ totius caput erat. Religionis mysteria ad solam rationem naturalem dimetiens Christianismum penitus convellere nitebatur, præsertim dogmata de Sma. Trinitate, & Christi Divinitate, quem solum nomine tenus Deum appellabat, ferme sicut Moyses in Scriptura Deus Pharaonis dicitur. Ut impiam suam doctrinam tutius in vulgus spargeret, post varias peregrinationes in Poloniam secessit; sed inde paulo post edicto Regis exesse jussus, tandem Tiguri in Helvetia diem extremum obiit, anno 1562. Patrui sui errores non solum adoptavit, sed etiam cumulavit Faustus Socinus. Annis 12 in aula Magni Hetruriæ Ducis commoratus, Basileam se recepit, inde a Georgio Blandrata, & Francisco Davidis in Transilvaniam vocatus, exiguo tempore sui erroris nactus est Sectatores. Tandem multis peragratis regionibus, & annis fere 20 disputando, ac scribendo pessime consumptis, in ignobili quodam pago Palatinatus Cracoviensis in Polonia occubuit, anno 1604.

Historia Nestorianismi.

104 Ortus est Nestorius Germaniciæ Syriæ oppidulo. Postquam varia loca peragravit, venit Antiochiam, in cujus suburbio Monachum professus, ac procedente tempore ad Presbyteratus gradum promotus, jam senex ad sedem Constantinopolitanam adnitente Theodosio

dosio Juniore evectus est, tanquam vir sanctus, & docendis populis maxime idoneus. Magnam quippe sibi, præsertim apud vulgus, comparaverat famam, non tam doctrina, qua mediocriter imbutus erat, quam canora voce, expedita facundia, & externo corporis habitu, fusca indutus veste, vultu pallido, & ad tristitiam composito veteris disciplinæ imaginem referens. At vix Episcopatum adeptus fuerat, cum ambitiosum, leve, & præceps hominis ingenium se prodidit. Illo die, quo Episcopus ordinabatur, coram universo populo Imperatorem sic affatus dicitur: *Da mihi terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum retribuam. Mecum hæreticos debella: ego Persas tecum debellabo.*

105 Et vero tanta inconsiderantia & furore mox in hæreticos debacchari cœpit, ut magis Tyranni, quam Episcopi officium suscepisse dixisses; donec ipsemet virus suum, quod a Theodoro Mopsuesteno primitus combiberat, eructare incepit. Adduxerat secum, teste Socrate lib. 7 cap. 32. Antiochia Anastasium quemdam Presbyterum. Hic cum quodam die præsente Nestorio populum in Ecclesia doceret, in hæc verba erupit: *Nemo Mariam vocet Deiparam: Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus nasci non potest.* Ob quam impiam vocem licet ingens in Ecclesia tumultus existeret; Nestorius tamen Anastasium adeo ad palinodiam non coegit, ut illam ipsemet in suis concionibus confirmaverit, inducens insuper Episcopum quemdam Dorotheum nomine, sub id tempus Constantinopoli præsentem, ut pro publica concione, magna, elataque voce inclamaret: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit*; quemadmodum narrat S. Cyrillus in sua ad Cœlestinum Pontificem epistola.

106 Fuerat Cyrillus Episcopus Alexandrinus doctrina, & pietate celeberrimus. Postquam intellexit, quæ a Nestorio Constantinopoli acta fuerant, ejusque impiam doctrinam ubique dispergi, ad Ægypti Monasteria

ſteria epiſtolam exaravit, ut nutantes in vera fide confirmaret, cujus epiſtolæ exemplaria etiam Conſtantinopolim deportata, tanto ibidem adjumento fuerunt, ut plurimi e Magiſtratu ideo per literas Cyrillo gratias agerent. Neſtorius vero illis in rabiem actus omnem lapidem ad perdendum Cyrillum movit. Quare hic ad ipſum Neſtorium exaravit epiſtolam, in qua dicebat, Catholica veritate in ſummo periculo poſita ſe tacere non potuiſſe. Tum Neſtorium ſic adhortatus eſt: *Ne graveris, obſecro, iis, qui non leviter offenſi ſunt, unam hanc vocem Theodocos largiri, ſacramque Virginem Deiparam appellare.* Verum Neſtorius neque hac, neque altera, quam poſtea a Cyrillo accepit, epiſtola emendatus, ſed magis exacerbatus, reſpondit verbis arrogantia plenis, & in hac ſua reſponſione totum hæreſeos virus evomuit.

107 Igitur Cyrillus de tota re Cœleſtinum ſummum Pontificem edocet, qui cum ab ipſo quoque Neſtorio litteras cum aliquot quaternionibus, in quibus ſuam ille fidem exponebat, paulo ante accepiſſet, Romæ Synodum convocavit, in eaque re diligenter diſcuſſa, Neſtorio profanas ſuas novitates vehementer exprobravit, & ſub pœna excommunicationis juſſit, ut easdem aperte, & ſcripta confeſſione retractet, addens, pleniorem ſedis Apoſtolicæ ſententiam intellecturum eſſe ex Cyrillo, cui ſuas in hoc negotio vices commiſiſſet. Ad Cyrillum vero collaudata ejus doctrina, & conſtanti in tuenda Religione fervore in hæc verba reſcripſit: *Auctoritate tecum noſtræ ſedis adſcita, vice noſtra uſus, hanc exequeris diſtricto rigore ſententiam: aut ut infra decem dies, ab hujus conventionis die numerandos, Neſtorius pravas prædicationes ſuas ſcripta profeſſione condemnet; aut niſi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Eccleſiæ proviſura, a noſtro eum corpore modis omnibus ſciat, eſſe removendum.*

108 Accepto ſummi Pontificis mandato Cyrillus Alexandriæ ſuorum Epiſcoporum Synodum celebrat, &

ex ea una cum Cœlestini litteris mittit duodecim capitula, quæ orthodoxæ de Incarnatione doctrinæ expositionem continebant, subscripta totidem anathematismis adversus eos, qui contrarium dicere præsumpserint. Istis capitulis ut intra decem dies subscribat, injungit Nestorio. At ille in errore obfirmatus anathematismis Cyrilli totidem alios impudenter opposuit, quibus hæresin suam obscuris phrasibus involvens doctrinam Catholicam anathematizavit. Crescentibus hac ratione pervicacia Nestorii, & scandalis, Theodosius Imperator Generalem Synodum Ephesum indixit, quam Cœlestinus Papa, ut ex ejus ad Theodosium epistola patet, ratam habuit, eique suo nomine, & auctoritate Cyrillum præsidere voluit.

109 Constituto tempore primus Ephesum advolavit Nestorius, fretus potentia quorumdam aulicorum, præsertim Candidiani Comitis, quem Imperator tanquam Concilii defensorem legaverat. Paulo post etiam advenit Cyrillus, cæterique Episcopi ultra ducentos. Solus Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus adhuc desiderabatur, qui itineris longitudinem, & molestias primo per litteras causatus, tum vero præmissis aliquot Episcopis Patres hortatus est, ne ipsum diutius præstolarentur. Itaque 22 Junii anno 431 celebrata est prima sessio, cumque Nestorius ter vocatus comparere pertinaciter renueret, lecta, & a Patribus tanquam consona Symbolo Nicæno approbata est secunda Cyrilli ad Nestorium epistola, quæ incipit: *Intelligo.* Post hanc pariter lecta est epistola secunda Nestorii ad Cyrillum, quæ incipit: *Admirabilium*; qua audita omnes Patres exclamarunt: *Omnes Nestorii epistolam, & dogma anathematizamus.* Denique communi omnium suffragio Nestorius Episcopali dignitate privatus, & ab universo sacerdotum consortio, & cœtu alienus esse definitur.

110 Sexto post depositionem Nestorii die Ephesum venit Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus, atque a Candidiano Comite instigatus contra anathematismos Cyrilli,

Cyrilli, quos male intellexerat, non ſolum proteſtatus eſt, ſed etiam Neſtorio ſe adjungens ex 37 circiter Epiſcopis, plerisque variis criminibus obnoxiis, privatam Synodum collegit, in quo impio Conciliabulo duodecim anathematiſmi Cyrilli reprobati, Cyrillus ipſe & Memnon tanquam Appollinariſtæ depoſiti, reliqui Oecumenici Patres communione privati ſunt. Interea ad legitimum Concilium etiam venere tres Sedis Apoſtolicæ Legati Arcadius, & Projectus Epiſcopi, ac Philippus Presbyter, qui ſententiam, in prima actione contra Neſtorium latam, actione tertia confirmarunt, & ſubſcripſerunt, ſupplentes locum Sedis Apoſtolicæ, totiusque Synodi Occidentalium Epiſcoporum. Poſtea ter citatus Joannes Antiochenus, ut de ſuis injuſtis molitionibus rationem redderet. Quia autem comparere detrectavit, & Legatos Concilii ignominioſe excepit, cum ſuis ſociis a tota Synodo communione fidelium motus, & anathematizatus eſt.

111 Abſoluta per ſeptem actiones, ſeu ſeſſiones Synodo, Imperator pius quidem, ſed decipi facilis, atque a Joannis, eique adhærentium litteris circumventus, Cyrillum, & Memnonem, quos juſte depoſitos credebat, in cuſtodiam dari juſſit, quos tamen, poſtquam a Concilio Generali octo Legati Epiſcopi ad ipſum miſſi ſunt, brevi iterum libertati reſtituit, & latam a Synodo in Neſtorium depoſitionis ſententiam auctoritate quoque Imperatoria confirmavit; quin etiam ſeveriſſime prohibuit, ne illius ſcripta legerentur. Nihilominus diſcordia inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum ad triennium adhuc extracta eſt, donec tandem, adnitente Imperatore, Joannes reſipuit, & cum Cyrillo in gratiam rediens actis Epheſini Concilii ſubſcripſit, hæreſi Neſtoriana anathematizata. Exemplum Joannis præcipui ex Orientalibus Epiſcopi ſecuti ſunt. At Neſtorius, qui interea ad ſuum Monaſterium redierat privatam ibi vitam agens, ſacrilegum ſuum dogma ſpargere non ceſſabat.

Qua de re Imperator ab ipso Joanne admonitus, illum perpetuo exilio mulctavit, & in Lybiæ deserta deportari jussit, ubi misere vivens, nec calamitate emendatus vermibus linguam impiam depascentibus, misere periit.

112 Novatores quidam in odium Concilii Ephesini Nestorium ab omni errore vindicare præsumunt, tum quia Socrates illi coætaneus lib. 7 cap. 32 scribit: *Quod tantum quasdam voces uti larvas, reformidarit*; tum quia dixisse fertur: *De voce Deiparæ nulla est invidia; tantum ne Virginem faciat Deam.* Et sermon. 12 unicum in Christo filium prædicat, imo Cyrillum in epistola ad ipsum data laudat, quod Divinitatis, & humanitatis conjunctionem in unam Christi personam prædicaret, contestatus, se dumtaxat velle declinare errorem Apollinaris, qui Verbum in Christo substituit animæ rationali. Verum Socratem historicum, minime Theologum, mirum non est, deceptum esse verbis æquivocis Nestorii, quibus more aliorum hæreticorum virus suum ita involvit, ut initio etiam quosdam Episcopos fefellerit, nominatim Joannem Antiochenum, & Theodoretum Cyrenensem, quorum tamen uterque postea Nestorianam doctrinam tanquam hæreticam detestatus est. Idem agnovere Patres Ephesini, bene gnari, a Nestorio non agnosci realem, physicam, & hypostaticam unionem inter Verbum, & Humanitatem Christi. Hinc falso asseruit Nestorius, se nomen Deiparæ solum refugere, ne pro Dea haberetur, quod utique nemini Catholicorum unquam in mentem venit.

113 Cæterum quid de Elipando, & Felice Orgellitano, a quibus Nestorianismum restauratum fuisse num. 93 diximus, sentiendum sit, non satis constat. De Felice testatur quidem Alcuinus lib. 1 adversus Elipandum, illum ad fidem Catholicam sincere conversum fuisse; utrum vero in illa constans perstiterit, dubium facit schedula post ejus mortem inventa, in qua rursus tectis verbis errorem suum fraudulenter instau-

rasse

rasse videtur. De Elipando scribit Mariana lib. 7. Annalium Hispaniæ in hæc verba: *Quid Elipando contigerit, clam est; ac credam potius, sententiæ Patrum obtemperasse, pravaque opinione deposita mutasse sententiam.* Porro utriusque error in variis Conciliis proscriptus est, in Forojuliensi anno 791, in Ratisbonensi año 792, in Francofordiensi año 794, in Romano a Leone III anno 799. & eodem anno in Aquisgranensi, ubi Alcuinus Abbas Sancti Martini Turonensis Felicem disputando adeo perstrinxit, ut se victum professus, errorem suum prolixa fidei confessione detestatus sit.

QUÆSTIO I.

An Christus sit verus DEUS Patri consubstantialis?

Triplex hujus quæstionis potest esse sensus. 1 An Verbum Divinum sit Patri suo consubstantiale? 2 An illud Verbum naturam humanam Christi assumpserit? 3 An ita physice fuerit unitum humanitati, ut unam in Christo personam constituat. In primo sensu quæstio hæc pertinet ad Mysterium Trinitatis, in 2do, & 3tio sensu spectat ad Incarnationem. Ego hic supposita interim physica, ac reali unione hypostatica contra Judæos, Arianos, & Socinianos solum ostendam, Verbum illud, quod est consubstantiale Patri, esse carnem factum, adeoque Christum esse verum Deum ejusdem cum Patre substantiæ. Imo cum Christus nihil aliud sit, quam Verbum caro factum, id est, hypostatice cum humanitate unitum, nihil prohiberet, quo minus hic Verbi Divini, & Christi Divinitatem promiscue acciperemus. Sicut itaque illa, quæ de Devinitate Verbi in Tractatu de DEO disput. 2 Quæst. 1 & 2 diximus, ad præsentem doctrinam plurimum conducunt, ita hic dicenda eandem Verbi Divinitatem solidissime confirmabunt. 114

Dicendum. Christus est verus DEUS Patri consub- 115

ſtantialis. Probat. 1 ex antiquo Teſtamento. Iſai. 35 verſ. 4 & ſeq. dicitur: *Ecce DEUS veſter ultionem adducet retributionis: DEUS ipſe veniet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hic textus imprimis clare loquitur de Chriſto, cum nemo alius, quam ipſe hæc ſigna fecerit, neque poſt Iſaiam ullus Propheta exſtiterit, qui miracula patravit. Hinc ipſe Chriſtus a diſcipulis Joannis interrogatus, num ipſe ſit Meſſias, Matth. 11 verſ. 4 reſpondit: *Euntes renunciate Joanni, quæ vidiſtis, & audiſtis: cæci vident, claudi ambulant* &c. Dein qui ab Iſaia venturus prænunciatur, dicitur DEUS Iſraelitarum: *Ecce DEUS veſter.* Et quidem *venturus ipſe*, non tantum aliquis ejus Miniſter: ergo Chriſtus eſt verus DEUS, eſſentia Divini Patris præditus. In eundem ſenſum Baruch 3 verſ. 36 & ſeq. dicitur: *Hic eſt DEUS noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, nempe in propria ſua perſona, & non tantum in apparitione Angelica, in qua non poſt hæc, ſed jam prius ſæpe viſus erat. Hinc iſto loco ad confutandos Judæos merito uſi ſunt Gregor. Nazianz. Cyprian. Chryſoſt. Auguſtin. &c. apud Bellarm. lib. 1 de Chriſto cap. 5.

116 Prob. 2 ex novo Teſtamento. Joan. 10 verſ. 30 Chriſtus dixit: *Ego, & Pater unum ſumus.* quibus verbis a Chriſto ſuam cum Patre æqualitatem, & unitatem in eſſentia revelatam fuiſſe, obſervat S. Ambroſ. lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Cum dicitur: Ego & Pater, revelatur æqualitas; cum dicit: unum ſumus; unitas declaratur.* Et S. Auguſtin. Tract. 35 in Joan. *Sumus, non diceret de uno, & unum non diceret de diverſis.* Certe verba Chriſti ipſis Judæis adeo clara fuere, ut blaſphemiam calumniati lapides ſuſtulerint contra eum. Neque Chriſtus hunc errorem correxit, ſed

potius dictam veritatem operum suorum testimonio confirmavit. Hinc S. Joannes epist. 1 cap. 5 vers. 20: *Scimus, quoniam Filius DEI venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum* (Patrem) *& simus in vero Filio ejus: hic est verus DEUS, & vita æterna*: atqui nisi Filius esset ejusdem substantiæ cum Patre, non esset verus DEUS, cum plures substantiæ divinæ dari nequeant. Omitto plura alia in Scripturis obvia, uti illud Apostoli ad Rom. 9 vers. 5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula.* Item illud S. Thomæ ad Christum: *Dominus meus, & DEUS meus.* Joann. 20 vers. 28.

117 Probatur 3. Ex una parte Christus ipse sæpius se æquavit divino Patri: ex altera parte illa attributa divina, quibus tanquam characteribus DEUS in veteri Testamento insigniri voluit, passim Christo in Scripturis tribuuntur; ergo Christus est DEUS Patri æqualis, & consubstantialis. Ant. quoad 1 membr. colligitur tum ex S. Paulo ad Philipp. 2 vers. 6: *Qui cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO.* Tum ex cap. 5 Joann. v. 18, ubi dicitur, quod Judæi *Christum magis quærebant interficere, quia Patrem suum dicebat esse DEUM, æqualem se faciens DEO.* In quem textum recte exclamat Augustinus: *Ecce intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani.* Alterum membrum antecedentis quod attinet, Christus Zachariæ 2 vocatur *Dominus exercituum.* Ad Coloss. 1 *Creator omnium.* Apocal. 1 *Primus & novissimus.* 1 ad Corinth. 2 *Rex gloriæ.* Ad Hebr. 13 ipsi tribuitur *Æternitas.* Apocal. 1 *Omnipotentia.* Joann. 2 *Omniscientia.* Ad Hebr. 1 *Immutabilitas.* 1 ad Timoth. 2 *Opera gratiæ*, redemptionis, sanctificationis, & glorificationis, quæ Isai. 43 & Psalm. 83 soli DEO propria dicuntur.

118 Prob. 4 ex Traditione. 1 Conclusionem nostram tanquam dogma Catholicum, & fundamentale in terminis definierunt octo prima Concilia generalia.

Item Lateranense IV in cap. firmiter, eandemque confitetur Tridentinum seß. 3 in Symbol. 2. Pro ea stant omnes Patres, qui post Concilium Nicænum floruerunt. 3. Imo etiam Patres Ante-Nicæni hanc veritatem clare tradiderunt. Sic S. Justin. Martyr in apologet. 2 ait: *JEsus Christus unus, & solus propriè Filius de DEO genitus, qui nimirum ratio, & verbum ejus, & virtus est - - - ista nos docuit.* S. Irenæus lib 3 contra hæres. cap. 6: *Nec igitur DEUS nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium DEUS, & Dominus - - & hujus Filius JEsus Christus Dominus noster.* S. Clemens Alexandrin. in admonitione ad Græcos: *Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat in DEO, & ut bene essemus, in causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo DEUS & homo.* Similia habent Theophilus Antiochenus lib. 7 allegor. Methodius Martyr lib. de Simeone, & Anna. Tertullian. lib. contra Marcion. cap. 6.

Objectiones.

119 Obj. 1. S. Scriptura Christum excludit a Divinitate. Nam 1 ad Corinth. 8 v. 6 dicitur: *Nobis tamen unus est DEUS, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus JEsus Christus, per quem omnia, & nos in ipso.* Item 1 ad Timoth. 2 v. 5: *Unus DEUS, unus mediator DEI, & hominum, homo Christus JEsus.* In quibus locis Apostolus indicat, per DEUM solum Patrem intelligi; alias Christus esset mediator inter hominem, & se ipsum. Confirm. Nullus est verus DEUS præter DEUM Abraham, Isaac &c. atqui hic non est Christus, ut colligitur ex illo Actor. 3 v. 13: *DEUS Abraham, & DEUS Isaac &c. glorificavit Filium suum JEsum.* Resp. neg. ant. Sicut Apostolus per hoc, quod Christum appellet *Unum Dominum*, a consortio dominii non excludit Patrem, ita per hoc, quod Patrem dicat *Unum DEUM*, noluit

luit a conſortio, & communione Divinitatis exclu- dere Filium, ſed tantum deos falſos gentilium, qui- bus ibi DEUM verum opponit. Nec abſurdum eſt, quod Chriſtus qua homo ſit mediator inter homi- nes, & ſemetipſum, qua DEUS eſt; nam licet ſub gemina hac conſideratione non ſit alius perſona, eſt tamen aliud natura. Ad confirm. conc. maj. neg. min. Ex addito textu ſolum probatur, quod Chri- ſtus ſit alia perſona, quam Pater, a quo potiſſimum glorificatus eſt quoad humanitatem.

120 Dices 1. Quando Chriſtus dixit: *Ego, & Pater unum ſumus*, non eſt locutus de unitate eſſentiæ, ſed tantum de unitate, & conſenſu voluntatum, ac æqua- litate operationum, quas cum Patre communes ha- buit; *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritu eſt*, 1 ad Corinth. 6 verſ. 17. Et quando Judæi propter hæc verba Chriſtum voluerunt lapidare, illa explicavit in ſenſu latiore, quo etiam Angeli, & judices dii di- cuntur: *Numquid ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi: Dii eſtis*. Joann. 10 v. 35. Confirm. Illa verba 1 Joann. 5: *Hic eſt verus DEUS, & vita æter- na*, non debent referri ad Filium, ſed ad Patrem, cu- jus Chriſtus erat Filius: ergo. Reſp. neg. ant. Quip- pe propter conſenſum voluntatis, & æqualitatem operationum non voluiſſent Judæi Chriſtum lapida- re; Chriſtus vero illa verba non tantum expoſuit in ſenſu improprio, ſed potius argumento a minori ad majus oſtendit, merito titulum DEI ſibi competere, quaſi diceret: Si juſti, ac judices propter auctorita- tem a DEO acceptam dii dicuntur, quomodo me blaſphemiæ incuſare poteſtis, quod me DEI Filium dixerim, qui a Patre miſſus ſum, & ejus opera facio: *His ergo operibus credite; quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Ad confirm. neg. ant. Tum quia in græco textu vocem *hic* immediate præcedit: *Et ſimus in vero Filio ejus JEſu Chriſto; hic eſt verus DEUS*. Tum quia alias prodiret ſenſus nugatorius: *Ut co-*

gnoſca-

gnoſcamus verum DEUM, nempe Patrem: *hic eſt verus DEUS.*

121 Dices 2. Tamen Chriſtus ipſe Patrem rogavit tanquam DEUM ſuum, ſeque illo minorem profeſſus eſt: *Aſcendo ad DEUM meum, & DEUM veſtrum*, Joan. 20 v. 17. *Pater major me eſt.* Joan. 14 v. 28. Hinc 1 ad Corinth. 10 DEUS dicitur *Caput Chriſti.* Et plures SS. Patres, uti Auguſtin. Athanaſ. Baſil. Hilar. docuere, Patrem qua Patrem eſſe majorem Filio qua Filio. Confirm. Actor. 7 a S. Stephano de Chriſto exponitur illud Moyſis Deuter. 18: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus*; ergo ſicut Moyſes non fuit verus DEUS, ſic nec Chriſtus. Reſp. Quæ his locis in Scriptura dicuntur, intelligenda ſunt de Chriſto ut homine, & ſecundum humanitatem; nam ut in Symbolo S. Athanaſii dicitur: *Æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem.* Quando autem SS. Patres videntur aſſerere, Patrem eſſe majorem Filio, etiam ut DEO; ſolum loquuntur de eminentia notionali originis; qua non obſtante in eſſentia ſunt æquales, & æque perfecti, ut iidem Patres contra Arianos conſtanter defenderunt. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Moyſes inter ſe, & Chriſtum non voluit inſtituere paritatem adæquatam quoad omnia, ſed ſolum quoad aliqua.

122 Obj. 2. Scriptura multa dicit de Chriſto, quæ non conveniunt DEO, uti, quod ſit factus: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.* Joann. 1 v. 27. Genitus in tempore: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Actor. 13 v. 23. *Primogenitus omnis creaturæ.* ad Coloſſ. 1 v. 15. *Hæres a DEO conſtitutus.* ad Hebr. 1 v. 2. Reſp. diſt. ant. Multa dicit de Chriſto ut homine, quæ non conveniunt DEO, conc. ant. de Chriſto ut DEO, neg. ant. *Pia mens*, inquit S. Ambroſ. lib. 5 de fide cap. 8, *quæ leguntur, ſecundum carnem, Divinitatemque diſtinguit: ſacrilega confuſ-*

confundit, & ad Divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum. Porro quando Christus ante S. Joannem dicitur factus, sensus est, quod fuerit antea natus in sinu Patris; nam verbum græcum γίνομαι æque significat *nascor*, quam *fio*. Ex altero textu: *Filius meus es tu* &c. multi probant Divinitatem Christi. Cum enim æternitas divina semper existat, nec in ea detur præteritum, aut futurum, optime exprimitur per nunc, vel hodie. Hinc S. August. lib. 11. Confession. cap. 13 DEUM sic alloquitur: *Anni tui, dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus dies non cedit crastino, neque succedit hesterno; hodiernus tuus æternitas.*

123 Dices. Christus omnia, quæ habuit, accepit a Patre, Matth. 11. Cuncta, quæ scivit, ab eodem didicit, Joann. 5. A Patre missus, & ejusdem præceptis fuit subjectus, Joan. 15. Eidem suas preces, & obsecrationes obtulit; tandem in cruce ab illo fuit derelictus, & mortuus. Resp. Hæc rursus verissima esse de Christo homine, quin illius Divinitati quidquam præjudicent. Imo etiam Christus ut DEUS omnia habuit a Patre per æternam generationem, attamen absque dependentia, & imperfectione. Per hanc ipsam generationem Filius accepit omnem scientiam, utpote cum essentia divina identificatam. Quodsi apud antiquos Patres quandoque legatur, DEUM Patrem etiam Verbo præcepisse, id non debet accipi de præcepto stricte dicto, quo superior imperat inferiori, sed de præcepto latius accepto, quod datur æquali ab æquali; missio vero nihil aliud, quam processionem a Patre indicat, ut pluribus explicavi de DEO trino.

124 Obj. 3. Multa in Scripturis denegantur Christo, quæ vero DEO denegari nequeunt, uti summa bonitas: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus DEUS*, Marc. 10 v. 32. Suprema potestas: *Sedere ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis,*

vobis, sed quibus paratum est a Patre meo, Matth. 20 v. 23. Omniscientia: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, Marc. 13 v. 32. Omnipotentia: *Non possum ego a me ipso facere quidquam*, Joan. 5 v. 30. Resp. neg. ant. Quem sensum faciant textus objecti, ex circumstantiis desumendum est. Itaque 1. Quia adolescens ille, de quo Marcus, Christum existimavit purum hominem, & tamen bonum compellavit, negavit Christus, se ut purum hominem posse appellari bonum, quasi diceret: aut DEUM me crede, aut bonum non appella. 2. Matri filiorum Zebedæi; quæ ex muliebri ambitione, & solo titulo cognationis primas sedes pro filiis in regno Christi petebat; dixit, suum non esse, ita petenti sedes illas distribuere, ut qui perinde ac ipse Pater in retributione sola merita spectaret. 3. De die judicii discipulis respondit ut Doctor, & Magister, ut talis autem non habuit de illa die scientiam communicabilem; cum Pater nollet, ut de hac re discipulos instrueret. 4. Cum Pater Filio divino essentiam, & omnipotentiam communicaverit, optime asseruit Christus, quod nihil possit facere a se ipso, ad denotandam videlicet originis posterioritatem.

125 Dices. Christus de se ipso fatetur, quod doctrina ejus non sit ipsius doctrina, sed Patris, Joann. 7, quod non quærat suam voluntatem, Joann. 5, nec suam gloriam, Joann. 8, multo minus se ipsum glorificaverit, ad Hebr. 5, quod denique non sit objectum primarium nostræ fidei: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me*. Joann. 12 v. 44. Resp. Quando Judæis dixit, doctrinam suam non esse suam, solum voluit indicare, quod non sit contraria doctrinæ Patris. *Doctrina Christi*, inquit S. Augustin. tract. 29, *& sua dicitur, & non sua: sua, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ: non sua; quia quidquid Filius habet, a Patre habet*. Interim nec suam voluntatem, nec gloriam quæsivit ut homo;

mo, nec se ipsum ut hominem glorificavit; ut DEUS vero est æque primarium fidei objectum, ac Pater. Unde sensus ultimi textus est: Qui credit in me tanquam Filium DEI, non credit in me tantum, sed etiam in Patrem. Profecto Christus de se ipso clare asseruit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, Matth. 28 v. 18. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, Joan. 16 v. 15. *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret*, Joan. 17 v. 5. *Creditis in DEUM, & in me credite*, Joan. 14 v. 1.

Obj. 4. Ex una parte vox ὁμοούσιος, seu consubstantialis nullibi reperitur in Scriptura: ex altera parte in rebus ad fidem pertinentibus non licet uti novis vocibus; ergo hæc vox male fuit addita Symbolo Nicæno. Confirm. Vox ὁμοούσιος est obscura, ambigua, & ex conceptu suo importat duas substantias eorum, quos consubstantiales dicimus: ergo. Resp. dist. ant. Non reperitur in Scriptura quoad literas, & numerum syllabarum, conc. ant. quoad sensum, & substantiam, neg. ant. quoad hoc membrum, & dist. etiam quoad alterum: Non licet uti novis vocibus temere, & contra mentem Ecclesiæ, conc. ant. ex sufficiente causa, neg. ant. Quando novæ oriuntur hæreses, ad illas reprimendas merito nova vocabula adhibentur. Imo vox consubstantialis jam ante Concilium Nicænum fuit usitata, & si in proprio Ecclesiæ sensu intelligatur, omnes hæreses contra Divinitatem Verbi profligat. Hinc Ariani omnia egerunt ad illam eliminandam. Ad confirm. Quem sensum Catholicum ὁμοούσιος faciat, satis declaravit Ecclesia; quod autem ad duorum consubstantialitatem prærequiratur aliqua substantia communis præsubjecta, ex qua ambo sint nati, falsum est; nam modo unus ex altero vere natus sit, genitus gignenti erit consubstantialis.

126

127 Dices. Patres Concilio Nicæno antiquiores rejiciunt vocem ὁμοούσιον; idem anno 270 fecerunt Episcopi in Synodo Antiochena congregati. Confirm. Vox eadem etiam post Concilium Nicænum a Semi-Arianis in Synodo Ancyrana anathemate percussa fuit. Resp. dist. ant. Rejecerunt vocem ὁμοούσιον acceptam in sensu proprio Ecclesiæ, neg. ant. acceptam in malo sensu, quem illi affinxit Sabellius, & Paulus Samosatenus, conc. ant. & neg. cons. Sabellius sicut unicam in DEO essentiam, ita unicam adstruebat personam. Id ut evinceret, sic contra Catholicos arguebat: Si Filius ab æterno ex substantia Patris est genitus, est Patri consubstantialis; ergo Pater, & Filius sunt duæ substantiæ distinctæ. In hoc igitur sensu hæretico Patres negarunt Filium esse Patri consubstantialem; sensum vero a Nicæno intentum ipsimet adstruebant. Ad confirm. Si Episcopi Semi-Ariani de consubstantialitate Filii cum Patre revera male senserunt, non plus nostro dogmati officiunt, quam cæteri Ariani: si non male senserunt, saltem lapsi errore facti, temere voci consubstantialis anathema dixerunt, ut advertimus num. 102.

QUÆSTIO II.

An Christus sit verus homo?

128 Dicendum. Christus est verus homo, constans ex anima rationali, & corpore passibili. Est de fide contra varios hæreticos citatos a num. 89. Probatur 1 auctoritate Scripturæ, in qua Christus passim homo, & filius hominis dicitur: *Quæritis me*, inquit Joan. 8 vers. 37, *interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Et Marc. 18 vers. 31: *Oportet Filium hominis pati.* Quæ, & similia neutiquam de homine tantum phantastico intelligi possunt, sed a SS. Patribus, & Conciliis in sensu proprio accepta fue-

fuerunt. Hinc in Symbolo Nicæno de Filio DEI profitemur: *Et homo factus est.* In Symbolo S. Athanasii: *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Concilium Chalcedonense in decreto fidei vocat Christum *Perfectum in divinitate, & humanitate, verum DEUM, & hominem ex anima rationali, & corpore, consubstantialem nobis secundum humanitatem, consubstantialem Patri secundum Deitatem.* Constantinopolitanum II can. 4 definit: *In Christo dari naturam humanam integram, ex anima rationali intelligentia prædita, & carne compositam.*

129 Probatur specialiter quoad animam rationalem. Joann. 19 vers. 30 de Christo dicitur: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Non utique divinitatis: ergo animam spiritualem, de qua ante passionem Matth. 26 vers. 38 ajebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, videlicet propter ingratitudinem Judæorum, instantem ignominiam, & gravissimos dolores, cujus tristitiæ non est capax corpus, aut anima sensitiva, sed sola spiritualis, quæ futura præscire, & res spirituales cognoscere potest; multo minus ipsum Verbum tristari, pavere, & tædere potuit. Hinc nostra conclusio expresse contra Apollinaristas definita est in Concilio Alexandrino anno 362, in Romano anno 373, in Antiocheno anno 378. Romanum anathematismo septimo ita habet: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali, & intelligibili dicunt, DEI Verbum in humana carne versatum esse.* Ratio est, quia Christus fuit homo perfectus, & nobis per omnia similis absque peccato, ut arguit S. Augustin. epist. 187. Item, quia Verbum totum assumpsit, quod sanavit, sed animam, quam peccati labes præcipue affecerat, sanavit, ut differit S. Gregor. Nazianz. epistol. 1 ad Cledonium.

130 Probatur specialiter quoad corpus verum, & passibile. De hoc S. Joan. cap. 1 vers. 14 ait: *Verbum caro factum est.* Et ipse Christus post resurrectionem ad turbatos discipulos Luc. 24 vers. 37 &

sequent. dixit: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; atqui si caro Christi tantum fuisset cœlestis, aut phantastica, Verbum non vere fuisset caro factum, & Christus ostendendo suum corpus discipulos decepisset. Dein teste Scriptura in Christo dabantur proprietates veri corporis, somnus, sitis, defatigatio, lacrymæ, &c. De eodem Isai. 1 v. 6 dicitur, quod *a planta pedis usque ad verticem non sit sanitas in eo.* Et cap. 53 v. 3 vocatur *Vir dolorum.* Cui prophetiæ consentit historia evangelica, & dogma nostræ redemptionis, juxta quod Christus pro peccatis nostris per dolorem & passionem voluit satisfacere. Accedit denique auctoritas totius Ecclesiæ, quæ in Symbolo Apostolico, & Nicæno profitetur, Christum vere natum, passum, ac mortuum fuisse; quo argumento Phantasiastas ex professo impugnarunt S. Ignatius Martyr, S. Irenæus, Tertullian. Cyrillus Alexandrin. &c.

131 Colliges 1, quod Verbum assumpserit naturam humanam singularem. Natura enim universalis a parte rei dari non potest. Quando igitur aliqui veteres, uti Victorinus, Damascenus &c. dixerunt, Verbum assumpsisse naturam communem, non intelligunt communitatem universalitatis, sed similitudinis, in quantum natura Christi nostræ fuit prorsus similis, vel communitatem moralem, qua in Christo unum sumus. 2. Quod Christus obnoxius fuerit omnibus illis infirmitatibus, quæ naturæ humanæ immediate ex sua conditione conveniunt, quia nobis factus est similis per omnia, excepto peccato, ut ad Hebr. 2 docet Apostolus. 3. Non tamen habuit illas infirmitates, quæ in homine proveniunt vel ex defectu virtutis formativæ, vel ex aliis causis particularibus, uti sunt e. g. febris, deformitas, dolor capitis &c. nisi forte transeuntes. Nam Christi corpus formatum est opera Spiritus sancti, ideoque optimo fuit præditum temperamento, eoque oris, ac mem-

membrorum specie, qualis talem virum decebat, qui Psalm. 44 v. 3 *Speciosus præ filiis hominum* dicitur. Quando autem Isaias ait: quod ipsi non sit species, loquitur de tempore passionis.

132 Quod passiones humanas attinet, S. Thomas hic quæst. 15 art. 4 docet, illas quidem in Christo fuisse, sed aliter, quam in nobis quoad tria. 1. Quoad objectum, quia in nobis sæpe feruntur in illicita, non item in Christo. 2. Quoad principium, quia in nobis sæpe prævertunt judicium rationis, in Christo autem omnes motus secundum dispositionem rationis oriebantur. 3. Quoad assensum; quia in nobis sæpe non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem. Econtra in Christo nunquam potuerunt impedire rationem, quo minus faceret, quod conveniebat. Nominatim Christo tribuit sensibilem dolorem, tristitiam, timorem, iram; neutiquam vero concupiscentiam, seu fomitem peccati; sive enim hæc accipiatur habitualiter pro appetitu materiali prono ad motiones circa sensibilia, & illicita, sive actualiter pro ipso motu ad sensibile illicitum, rationem præveniente, & ad peccatum alliciente, videtur Christum dedecere, præsertim, quia in illo fuisset motus deliberatus, cum nullus motus indeliberatus in Christo locum habuerit.

Objectiones.

133 Obj. 1. Christus ad Philipp. 2 vers. 7 dicitur: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et ad Rom. 8 vers. 3, quod *DEUS Filium suum miserit in similitudinem carnis peccati:* ergo non fuit verus homo, sed tantum specie tenus, & habitu externo. Unde cum dicitur, Verbum caro factum, id non aliter accipiendum est, quam dum ab Apostolo dicitur pro nobis factus esse peccatum, & maledictum, in quantum videlicet externa specie faciem peccatoris maledicto obnoxii præsetulit. Resp.

 conc.

conc. ant. neg. conf. Quia Christus sæpe absolute se nominavit hominem, & Filium hominis, textus primus debet intelligi de vera similitudine quoad substantiam, seu naturam humanam; In altero textu sermo quidem est de similitudine solum externa, & apparente, at similitudo non refertur ad carnem secundum se, sed ad carnem peccati; quod enim caro Christi apparenter tantum fuerit caro peccati, declarat ipse Apostolus ad Hebr. 4 v. 15, ubi ait: *Christum tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Simili modo explicat, quomodo Christus pro nobis factus sit peccatum, & maledictum, quatenus videlicet DEUS Pater pœnas peccati nobis debitas in Christum transtulit. Verba Apostoli 2 ad Corinth. 5 v. ult. sunt: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (DEUS) *ut nos efficeremur justitia DEI in ipso.*

134 Dices. Si Christus esset verus homo, constaret tribus substantiis, Verbo, corpore, & anima; sed hæc propositio a Patribus Concilii Toletani XIV prolata, displicuit Benedicto II Papæ, ut referunt Historici Hispani apud Vasquez in 3 part. disput. 37 cap. 3. Confirm. Licet Angeli sæpe apparuerint ut homines, multasque vitæ corporeæ, ac animalis operationes exercere visi sint, ideo non potest inferri, eos fuisse veros homines; ergo a pari. Resp. neg. maj. Nomen substantiæ simpliciter prolatum substantiam perfectam denotat; hinc ista propositio: Tres dantur in Christo substantiæ, simpliciter prolata, indicat, in illo dari tres substantias completas. Quod si quis vellet dicere, tres dari in Christo substantias, unam videlicet divinam completam, & duas incompletas, nempe corpus, & animam, hic modus loquendi apud quosdam Ecclesiæ Patres non fuisset inusitatus. Atque in hoc sensu postea Patres Toletani suam propositionem explicarunt. Ad confirm. neg. conf. Angeli tantum brevi tempore ita apparuerunt, non sunt nati, non educati, non passi, aut mortui, non

sa

ſe dixere homines, aut filios hominis, quin potius aliquando aperte declararunt, ſe ſpecie tantum externa actiones corporales exercuiſſe, uti fecit Angelus Raphael Tobiæ 12 verſ. 19.

135 Obj. 2. Quamvis Verbum dicatur caro factum, nunquam tamen in Scriptura dicitur factum anima: ergo Chriſtus non habuit animam, præſertim rationalem, cujus vices Verbum optime ſupplere potuit. Confirm. Quando Scriptura tribuit animam DEO, non loquitur in ſenſu proprio; ergo a pari. Reſp. neg. ant. Verbum dicitur factum anima, tum in illis textibus, in quibus Chriſtus dicitur eſſe homo; tum in illo ipſo loco, in quo Verbum dicitur caro factum. Quippe nomen caro per Hebraismum, & Synecdochen accipitur pro tota, & integra natura humana, ſicut quando Geneſ. 6 v. 12 dicitur: *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Sed neque Verbum omnes vices animæ rationalis potuiſſet ſupplere; non enim ſecundum ſe potuiſſet triſtari, pavere &c. prout iſtæ actiones a Scriptura Chriſto tribuuntur. Ex quibus patet, quod ad explicandas actiones Chriſti multo minus ſufficiat ſola anima ſenſitiva. Ad confirm. neg. conſ. Compoſitio ex anima manifeſte repugnat infinitæ perfectioni divinæ, non item Chriſto ut homini.

136 Dices. Chriſtus a primo conceptionis inſtanti habuit viſionem beatificam, & fuit perfecte beatus, adeoque ſemper perfuſus ſummo gaudio; ergo non potuit habere triſtitiam, & dolorem animæ, præſertim usque ad mortem. Confirm. S. Hilarius lib. 10 de Trinit. cap. 23 multis probat, quod Chriſtus nullum habuerit doloris ſenſum, ſicut ignis, aqua, & aer, etſi verberentur, perforentur, aut dividantur, nullum dolorem ſentiunt. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Quamvis naturaliter non poſſint ſimul ſtare ſummum gaudium, & ſumma triſtitia, poteſt nihilominus id fieri ſupernaturaliter, ſi ſint circa diverſa objecta, vel etiam circa idem, ſed ex diverſis motivis, ut in

Chriſto contigit. Gaudebat enim ſumme de DEO clare viſo; triſtabatur de morte, pœnis, & hominum ingratitudine. Item gaudebat de morte, prout erat remedium ſalvandi genus humanum; triſtabatur de illa, prout erat malum naturæ, & ex ſumma malitia ipſi inferebatur. Adde, quod gaudium, & delectatio animi videatur tantum eſſe proprietas accidentalis, ex eſſentiali beatitudine naturaliter quidem reſultans, ſupernaturaliter tamen quoad tempus ab eadem ſeparabilis. Ad confirm. S. Hilarius noſtram ſententiam ſæpius, nominatim in Pſalm 54 aperte tradidit. In libro autem de Trinit. egit contra Arianos, qui ipſam Divinitatem in Chriſto doloribus obnoxiam fuiſſe, aſſerebant, inde inferentes, illam eſſe inferioris ordinis, quam Divinitatem Patris.

137 Obj. 3. Ex una parte Chriſtus aſſumpſit talem carnem, qualis fuit Adami innocentis; ex altera parte caro Adami fuit impaſſibilis, & immortalis; quod enim nos mortales, & paſſibiles ſimus, provenit ex peccato originali; ergo corpus Chriſti non fuit paſſibile. Confirm. S. Auguſtinus tract. 40 in Joann. S. Maximus homil. 1, Leo Magnus, Clemens Alexandrin. &c. videntur aſſerere, quod Chriſtus ſola voluntate, & non ex naturæ humanæ neceſſitate infirmitatibus humanis ſubjectus fuerit; ergo. Reſp. tranſ ant. quoad 1 membr. diſt. quoad 2. Caro Adami fuit impaſſibilis, & immortalis ex natura ſua, neg. ant. ex ſpeciali gratiæ beneficio, conc. ant. & neg. conſ. Mors, & dolores corporis de facto quidem in nobis proveniunt ex peccato originali, ob quod privati ſumus illo ſpeciali beneficio, quo in ſtatu primæ innocentiæ fuiſſent impediti; at non ſunt neceſſario pœna peccati, ſed naturalis humanæ naturæ conditio; alias Chriſtus patiendo per totam vitam debuiſſet miracula patrare. Ad confirm. SS. Patres tantum volunt, quod Chriſtus infirmitatibus humanis non fuerit ſubjectus ex neceſſitate inevitabili, & indeliberata, quæ orta et ex peccato originali,

nali, & mentem perturbat, ſed quod has infirmitates potuiſſet libere impedire, juxta textum Iſai. 53 v. 7: *Oblatus eſt, quia voluit.*

138 Dices. Si corpus Chriſti fuiſſet paſſibile, potuiſſet corrumpi; hoc non poteſt dici; Nam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* Sapient. 9 v. 15. & Pſalm. 15 v. 10 dicitur: *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Hinc S. Cyrillus, Dionyſius Alexandrin. aliique Patres dicunt, corpus Chriſti propter unionem hypoſtaticam eſſe incorruptibile. Confirm. Chriſtus per unionem hypoſtaticam factus eſt impeccabilis: ergo etiam impaſſibilis, & immortalis. Reſp. conc. maj. neg. min. Corruptibilitas, de qua loquitur Sapiens, eſt ex peccato, & corpus nobis eſt inſtar ergaſtuli, quod non erat Chriſto. Pſalmiſta agit de corruptione putredinis, a qua corpus Chriſti in ſepulcro fuit præſervatum; ſicut enim hæc corruptio ad noſtram ſalutem nihil contuliſſet, ſic non decuit, ut corpus illud putreſceret, quod Verbo ſemper manſit unitum. SS. Patres per incorruptibilitatem vel tantum voluerunt innuere inſeparabilitatem ab unione hypoſtatica, vel locuti ſunt contra Paulum Samoſatenum, qui dixerat, ſanguinem Chriſti eſſe corruptibilem etiam poſt reſurrectionem, & in Euchariſtia. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Paſſibilitas non repugnabat dignitati Chriſti, ſed maxime ſerviebat ad illius finem. Aliud eſt de peccabilitate, nempe proxima, ut ſuo loco videbimus.

139 Obj. 4. Saltem Chriſtus poſt reſurrectionem, & nunc in cœlo non habet verum corpus; nam ex ſepulcro prodiit clauſis repagulis, & ad diſcipulos clauſis januis ingreſſus eſt. Hinc 2 ad Corinth. 5 v. 16 dicitur: *Si cognovimus Chriſtum ſecundum carnem; ſed jam non novimus.* Confirm. Apoſtolus 1 ad Cor. 15 v. 50 inquit: *Caro, & ſanguis non poſſidebunt regnum DEI:* ergo. Reſp. neg. ant. cum ratione addita. Quippe & Philoſophi, & Theologi paſſim admittunt, penetrationem corporis ſupernatura-

 liter

liter esse possibilem. Textus additus varias habet expositiones, ex quibus nobis sufficit illa Synodi VI action. 6, quod videlicet prius cognoverimus Christum secundum carnem passibilem, dum nobiscum vivebat, nunc vero cognoscamus in carne impassibili ad dexteram Patris, conformiter verbis Pauli v. 15: *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui mortuus est, & resurrexit.* Ad confirm. S. Paulus juxta Tertullianum hic non loquitur de substantia carnis, sed de carne peccati, & operibus carnalibus. Juxta Tirinum sensus est, quod corpus nostrum corruptibile non possit intrare cœlum, nisi deposita corruptione.

QUÆSTIO III.

An Christus natus sit ex Maria Virgine?

140 Dicendum. Christus carnem suam non ex nihilo, neque aliunde, sed ex B. Virgine assumpsit, ex eadem natus, cooperante miro modo Spiritu sancto. Ita contra Valentinianos, Apollinaristas, & Anabaptistas docet 1 Scriptura: *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus,* Matth. 1 v. 16. & 20: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Luc. 1 v. 35: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Docet 2 Symbolum Apostolicum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Constantinopolitanum: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Athanasianum: *DEUS est ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus.* Docent 3 Concilia œcumenica, Ephesinum in epist. Cyrilli, quam tanquam orthodoxam recepit. Constantinopolitanum II can. 2. Nicænum II in definitione fidei, & SS. Patres unanimiter, qui varias hujus veritatis congruentias afferunt.

Nempe

Nempe postquam B. Virgo in maternitatem Filii divini consensit per ea verba Luc. 1 v. 38: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Spiritus sanctus purissimum Virginis sanguinem ad formationem corporis necessarium, ad uterum tanquam naturalem officinam deduxit, ibique eodem momento integrum corpus Christi formavit, omnibus organis perfectum, & absolutum. Insuper eodem momento corpori infusa est anima rationalis, & utrique tam animæ, quam corpori simul hypostatice unitum est Verbum. Ex quibus intelligis, quod in conceptione Christi principium activum Patris miro, & excellentiore modo suppleverit Spiritus sanctus; B. Virgo autem omnem materiam, substantiam, & operam contulerit, quæ a matribus præstari solet. Hinc in Synodo VI act. 11 dicitur: *Ex virginali sanguine sanctæ, & immaculatæ Virginis Mariæ Verbum vere factum est incarnatum*, nempe in utero, non in corde, ut seculo XVI finxit Petrus Lucensis. Nam licet Patres quandoque dicant, B. Virginem concepisse corde, hæc figurata solum est dictio, pertinens ad illam conceptionem, quæ fit mente per virtutes, & gratias; de vera enim & physica conceptione Luc. 1 v. 31 dicitur: *Concipies in utero*. Et Matth. 1 v. 18: *Inventa est in utero habens*. 141

Porro quod anima, & corpus Christi simul eodem momento producta, & Verbo divino unita fuerint, patet ex epistola Sophronii, approbata a Synodo VI generali act. 11, ubi legitur: *Non ante verissimum ipsius Verbi conventum corpus & anima in se ipsis unquam, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus exstiterunt: sed cum Verbi ipsius naturali conventu substantiam habitura concurrerunt, & nec quantum in ictu oculi hanc, quam illam priorem habentia*. Idem tradunt SS. Patres. Sic S. Damascenus lib. 3 de orthod. fid. cap. 2 ait: *Simul caro, simul DEI Verbi caro, simul vero animata, anima rationali*. S. Leo epist. 25 alias 11: *Natura nostra non sic assum-* 142

pta

pta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Unde erravit Nestorius, & Origenes, quorum primus docuit, hominem perfectum prius exstitisse, antequam a Verbo assumeretur; alter vero ajebat, saltem animam Christi exstitisse prius, propterea damnatus in Synodo generali V.

143 Equidem SS. Patres sæpe dicunt, Verbum assumpsisse corpus, mediante anima: *Per intermediam mentem Verbum cum carne conjunctum est*, ait S. Gregor. Nazianz. orat. 35, & S. Augustin. epist. 140: *Verbum particeps carnis effectum est, rationali anima mediante.* At per hoc neutiquam volunt indicare, quod anima fuerit assumpta prius prioritate temporis, aut quod Verbum carni fuerit unitum tantum mediate; sed mens illorum solum erat, quod anima fuerit ratio, cur caro a Verbo assumeretur, in quantum anima quodammodo erat finis, propter quem a Verbo assumpta est caro, & quam non assumpsisset, nisi etiam animam voluisset assumere; si enim caro tantum mediate, & remote fuisset unita Verbo, sublata per mortem inter corpus & animam unione, etiam tolli debuisset unio inter Verbum, & corpus; hoc autem admitti non posse, inferius patebit.

144 Dices 1. Apostolus 1 ad Corinth. 15 vers. 47 Christum opponit Adamo dicens: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis:* ergo corpus Christi non fuit ex Maria, sed e cœlo delapsum. Confirm. S. Matth. cap. 1 vers. 20 non dicit, Christum esse natum ex Maria, sed in ea: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:* ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Oppositio inter Adamum, & Christum non fit secundum carnem, sed secundum vitæ conditionem, quæ in Christo tota cœlestis fuit, & divina: in Adamo magnam partem terrena. Ex quo Apostolus colligit, discipulos Christi spiritualia, & cœlestia sectari: posteros vero Adæ, necdum Christo mancipatos, mundana, & terrestria. Ideo Corin-

Corinthios v. 49 admonet, ut exuti veterem hominem Christum induant: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Ad confirm. S. Matthæus etiam dixit, Christum natum esse *de B.* Virgine; & S. Lucas cap. 1: *Ex ea; quod nascetur ex te, vocabitur Filius DEI.*

Dices 2. Joan. 3 v. 13 habetur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Et cap. 6 v. 41: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi:* ergo corpus Christi de cœlo delapsum est; Divinitas enim, utpote ubique præsens, descendere non potuit. Confirm. Christus ascendit ad cœlum non solum quoad personam, sed etiam quoad corpus: ergo eodem modo de cœlo descendit. Resp. conc. ant. neg. conf. Christus juxta S. Augustinum & Hilarium duplici modo potest dici, de cœlo descendisse. Primo, ratione Divinitatis, quæ per assumptionem naturæ humanæ novo modo in terra cœpit existere, qui descensus erat summa demissio; secundo, ratione corporis, non quod hoc secum e cœlo attulisset, sed quia virtute cœlesti Spiritus sancti in utero Matris formatum est. Ad confirm. neg. conf. Scriptura non dicit, quod ascensus, & descensus contigerit eodem modo, sed tantum, quod ille ipse ascenderit, qui descendit, cum eadem fuerit persona, de qua utrumque affirmatur. 145

Dices 3. Christus nunquam legitur Mariam appellasse matrem, sed simpliciter mulierem. *Quid mihi, & tibi mulier?* Joann. 2 v. 4. *Mulier! ecce filius tuus,* Joan. 19 v. 26: ergo. Confirm. Christus aperte profitetur, se neque matrem, neque fratres habere: *Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei?* Matth. 12 v. 31. Resp. transf. ant. neg. conf. S. Joannes Mariam expresse Matrem Christi appellat cap. 19 v. 25: *Stabant autem juxta crucem JESU Maria mater ejus, & soror matris ejus.* Item v. 26: *Cum vidisset ergo JEsus Matrem - - - dicit Matri suæ.* Imo ipse Christus Mariæ maternitatem 146

satis

ſatis expreſſit, dum Filium hominis ſe profeſſus eſt, qualis utique non foret, niſi originem ex homine haberet. Porro in cruce Matris compellatione abſtinuit, ne dolorem materni cordis magis acueret; quando autem aquam convertit in vinum, vocavit mulierem, quia virtutem patrandi miracula non a matre per temporalem, ſed a Patre per æternam generationem accepit, ut exponit S. Auguſtinus lib. de Symbol. cap. 4. Ad confirm. neg. ant. Per hæc verba Chriſtus ſolum voluit indicare, eos, qui voluntatem Patris faciunt, a ſe majoris fieri, quam conſanguineos, ipſamque Matrem, ſi ſolus maternitatis titulus ſpectetur.

147 Dices 4. Si Chriſtus fuiſſet conceptus de Spiritu ſancto, hic eſſet Pater Chriſti; hoc non poteſt admitti: ergo. Confirm. juxta S Hilarium lib. 3 apud Petav. lib. 7 cap. 5 Spiritus ſanctus in conceptione Chriſti vices ſeminis geſſit; ſi enim tantum fuiſſet principium activum, non minus ad generationem Chriſti concurriſſet Pater, & ipſum Verbum, cum opera DEI ad extra toti Trinitati ſint communia. Reſp. neg. maj. Spiritus ſanctus nihil de ſua ſubſtantia ad formationem naturæ humanæ contulit, nec fœtum ejusdem ſecum naturæ edidit, quod ad generationem vitalem, & denominationem patris requiritur. Ad confirm. Negant antecedens S. Auguſtinus Enchir. cap. 38, & Rupertus lib. 9 de glorificat. Trinit. cap. 6; ne igitur SS. Patres ſibi videantur contradicere, diſt. geſſit vices ſeminis quoad vim, & virtutem activam, conc. ant. quoad ipſam ſubſtantiam, & materiam, neg. ant. Neque obſtat, quod tali modo actio Spiritus ſancti fuerit communis toti Trinitati, quia nihilominus Spiritui ſancto ſpecialiter tribuitur, eo quod Incarnatio ſit maximum opus amoris, & gratiæ; amor autem, & gratia tribuitur Spiritui ſancto, uti etiam ſanctificatio, qua humanitas Chriſti ſpeciali modo donata fuit.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Mater Christi semper fuerit Virgo illibata?

148 Dicendum. Mater Christi semper fuit ac mansit Virgo illibata. Conclusio hæc contra Helvidium, & Jovinianum decreta est in pluribus Conciliis. Sic in allocutione, quæ in Concilio generali Chalcedonensi ad Marcianum Imperatorem habita, & consensu omnium Patrum edita est, clare asseveratur, *Virginitatem* (B. Mariæ a Christo) *sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum, ut nullius dein injuriæ pateret.* In Concilio Constantinopolitano II can. 2 Maria vocatur, *Gloriosa DEI Genitrix, & semper Virgo.* In Lateranensi sub Martino I can. 3 anathema dicitur, *Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie, & secundum veritatem DEI Genitricem sanctam, semperque Virginem:* ergo Mater Christi fuit Virgo ante partum, & in partu, talisque semper mansit post partum. Probemus hæc singula specialiter.

149 Quod Maria fuerit Virgo ante partum, clare colligitur ex colloquio, quod apud S. Lucam cap. 1 vers. 34 ante conceptionem habuit cum Angelo, ubi dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? & respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te* &c. Hoc ipsum jam prædixerat Isaias cap. 7 v. 14. Cum enim Jerosolyma a Rasin Rege Syriæ, & Phacee Rege Israel obsessa est, Achaz vero Rex Juda futuræ liberationis signum a DEO petere detrectaret, ita ad illum locutus est Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc vaticinium in Maria impletum esse testatur S. Matthæus cap. 1. Postquam enim narravit, mysterium Incarnationis S. Josepho explicatum fuisse ab Angelo, addit v. 22 & 23: *Hoc autem*

tem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum DEUS.

150 Ex eadem prophetia habetur, quod Maria fuerit Virgo in partu; Propheta namque non solum dicit, quod Virgo sit conceptura, sed etiam paritura: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Quam utramque partem in DEI genitrice impletam esse, Matthæus testatur. Hinc Ecclesia semper pro hæreticis habuit eos, qui asseruerunt, Christum violata virginitate ex Maria natum esse. Accedit traditio Patrum. S. Augustinus Serm. 21 de tempore, inquit: *Virgo genuit, quia Virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & sine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera.* S. Leo Serm. 1 de Nativit. *Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris.* Similia habent Patres tum græci, tam latini universi apud Petavium lib. 14 theologicorum dogmatum cap. 3, 5 & 6.

151 Quod denique etiam manserit Virgo post partum, aperte quidem in Scripturis canonicis non est consignatum; patet nihilominus tum ex Conciliis supra citatis, tum ex constanti traditione Ecclesiæ, & SS. Patrum, qui opinionem Helvidii, quod videlicet Maria post Christum adhuc alios filios genuerit, impiam, insanam, ac sacrilegam appellant, eamque tanquam exploratam hæresin referunt. Ex professo hunc errorem Helvidii refutavit S. Hieronymus, & sæculo VII Ildephonsus Episcopus Toletanus. Epiphanius hæres. 78 testatur, eos pro hæreticis haberi, qui dicerent, Mariam post natum Christum cum Josepho consuetudinem habuisse; nec ad sua usque tempora quemquam Mariam appellasse, nisi præposito Virginis nomine, quod non nisi impropriissime factum fuisset, si post nativitatem Christi virginitatem

tem amisisset. S. Ambros. lib. de institutione Virginis cap. 6 ait: *Fieri non poterat, ut Joseph vir justus in hanc prorupisset amentiam, ut Matri Domini corporeo concubitu misceatur.* Plures ejusmodi congruentias refert S. Thomas 3 part. q. 23 art. 3 in Corpore.

Cæterum, quid ad illibatam virginitatem requiratur, Medicorum est statuere. Dogma theologicum est, quæcunque ad illam requiruntur, in Maria semper permansisse. Hinc si requiritur, ut uterus, & virginitatis claustrum non aperiatur, aut relaxetur, fide certum est, id in partu Virginis non contigisse, sed Christum clauso utero prodiisse, sicut clausis repagulis e sepulcro egressus est, vel sicut solis radii per vitrum penetrant, quin illud frangant, aut aliqua ex parte lædant, quod est exemplum Catechismi Romani part. 1 cap. 4 num. 8. Interim S. Damascenus lib. 4 cap. 15 merito refellit illos, qui sæculo VIII commenti sunt, Christum non ea via, qua fœtus humanus in lucem emitti consuevit, sed ex aperto latere prodiisse. Nam Maria *peperit filium suum primogenitum*, Luc. 2 v. 7, quod tali modo non esset verum, sicut vere non manducaret, cui cibus per latus in ventriculum trajiceretur. Æque parum sustineri potest figmentum illorum, qui cum Mayronio dixerunt, corpus Christi in utero Virginis fuisse inextensum, ferme sicut in Eucharistia. Quippe tali modo nec nutriri, nec augeri potuisset, nullaque externa graviditatis signa in Maria comparuissent, quod clare repugnat Scripturæ, ut patebit legenti cap. 1 Matthæi.

152

Objectiones.

Obj. 1. Luc. 2 vers. 33 S. Joseph vocatur pater Christi: *Erat pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Et vers. 48 Maria ait: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te:* ergo Ma-

153

ria non fuit Virgo ante partum. Confirm. Ad Galat. 4 verſ. 4 Maria vocatur mulier: *Miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere:* atqui juxta communem modum loquendi mulier dicitur ſolum ea, quæ viro cognita eſt: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Joſeph dicitur pater Chriſti, non quod vere fuerit, ſed quia ſecundum communem perſuaſionem illius pater habebatur, ut explicat venerabilis Beda in hunc locum, & indicat S. Lucas cap. 3 verſ. 3: *JESUS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph.* Sane, modo Joſeph Chriſtum in ſuum filium adoptaſſet, recte diceretur pater Chriſti: ergo multo magis ita potuit vocari, quia Chriſtus natus eſt ex Maria conjuge ſua. Quippe per conjugium, licet nunquam conſummatum, longe majus jus in Matrem Chriſti, ipſumque Chriſtum acquiſivit, eisque longe arctius conjunctus eſt. Ad confirm. conc. maj. neg. min. ſed apud Hebræos mulier vocari ſolebat quæcunque fœmina, ſeu virgo illa fuerit, ſeu corrupta, ut notat S. Auguſtinus lib. 23 contra Fauſtum cap. 7.

154 Dices 1. Iſai. 7, ubi Vulgata legit: *Ecce Virgo concipiet,* textus Hebræus habet: *Halma,* ſive *Alma*; atqui hæc vox ſignificat quamcunque adoleſcentulam, ſive virum illa cognoſcat, ſive non: ergo. Confirm. Vaticinium Iſaiæ impletum eſt in uxore Achaz, & ejus filio Ezechia, aut potius in filio ipſius Iſaiæ, de quo mox cap. 8 mentionem facit. Reſp. conc. maj. neg. min. Vox *Halma* derivatur a verbo *Halam,* quod abſcondere ſignificat: hinc denotat talem adoleſcentulam, quæ nunquam virorum patuit aſpectui, ſed magna parentum diligentia cuſtodita eſt, ut Iſaiæ textum interpretatur S. Hieronymus, provocans Judæos, ut vel unum in Scripturis locum oſtendant, in quo nomen *Halma* adoleſcentulam, & non virginem denotet. Nempe DEUS, ut Regem Achaz ad ſpem excitaret, voluit ipſi conceptum virginis proponere tanquam ſignum mirabile, & rem novam, atque

atque ſtupendam. At vero, quod adoleſcentula poſt delibatam virginitatem concipiat, nihil eſt mirabile, ſed commune naturæ. Hinc ad confirm. neg. ant. Imo, ut ex ſacra hiſtoria patet, hæc prophetia edita eſt Achaz jam regnante, quando Ezechias ad minimum jam fuit adoleſcens novem annorum. Filius autem Iſaiæ non fuit natus de virgine, ſed naturali prorſus modo.

155 Dices 2. Ortus Meſſiæ primum poſt complura ſæcula erat futurus: ergo non potuit dari in ſignum mox ſolvendæ obſidionis, neque inde aliquid ſolatii potuiſſet capere Achaz cum obſeſſis civibus. Confirm. Symmachus, Aquila, Theodotion in ſuis verſionibus per vocem Halma quamcunque adoleſcentulam intelligunt. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quando res aliqua divina auctoritate prænunciatur certo futura, nihil obſtat, quo minus proponatur in ſignum rei citius eventuræ, præſertim ſi hoc ſerviat ad finem, & ſcopum per vaticinium intentum, ut in præſenti contigit. Quippe Iſaias, ut Regem de ſuis viribus, & ſalute civium quaſi deſperantem ad ſpem erigeret, propoſuit ipſi omnipotentiam DEI, & quaſi a majore ad minus argumentatus dicebat: Si DEUS poteſt facere, ut Meſſias naſcatur ex virgine, quanto magis poterit te ab hoſtibus tuis liberare. Ad confirm. Cum Symmachus fuerit e ſecta Ebionitarum, Aquila vero, & Theodotion a Chriſtianis iterum ad Judæos defecerint, illorum auctoritatem nihil moramur, præcipue quia etiam Septuaginta, & Paraphraſtæ Chaldæi textum Iſaiæ vertunt: *Ecce virgo concipiet.*

156 Obj. 2. S. Matthæus cap. 1, ubi deſcribitur Chriſti genealogia, probat, Chriſtum fuiſſe filium Abrahæ, & David per hoc, quod Joſeph ex David deſcenderit; atqui hæc probatio nulla eſſet, niſi Joſeph vere fuiſſet pater Chriſti: ergo. Confirm. Si Maria fuiſſet ex tribu David, non eſſet ratio, cur Matthæus potius deſcripſiſſet genealogiam Joſeph,

 quam

quam Mariæ. Resp. conc. maj. neg. min. Dum Matthæus enumerat progenitores Josephi, hoc ipso ostendit, Mariam quoque, & Christum secundum carnem descendisse ex Abraham, & David. Nam ut SS. Patres, nominatim Hieronym. Chrysost. Hilar. in cit. cap. Matthæi advertunt, apud Hebræos lege cautum erat, ne vir uxorem ex alia tribu assumeret; quam legem religiose a Josepho observatam esse, dubitari non potest. Habetur autem illa Numer. 36 vers. 7 & 8 his verbis: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis.* Ad confirm. neg. ant. Ratio juxta laudatos Patres est, quia Hebræis non erat usitatum, generationum catalogum per fœminas texere, sed per mares; cumque Judæi Josephum ut verum Christi patrem haberent, S. Matthæus argumento ad hominem illos convincere voluit, Christum esse ex semine David.

157 Dices 1. Lex, quam citavimus, solum lata fuit, ne per dotes, filiabus constitutas, possessio unius familiæ ad aliam transferatur, uti patet ex ultimis verbis: *Ut hæreditas permaneat in familiis:* ergo ex hac lege nihil probatur; non enim obligabat filias pauperes, quæ talem dotem non habebant, nec divites, quæ hæreditati renunciabant. Confirm. Lex ista post captivitatem Babylonicam exolevit, imo jam antea non fuerat in usu. Sic Aaron ex tribu Levi duxit uxorem, quæ erat ex tribu Juda, & David ex tribu Juda duxit Michol, quæ erat ex tribu Benjamin. Resp. transf. ant. neg. cons. Licet ista lex in hunc finem fuerit lata, adeoque non omnes fœminas obligaverit; obligavit tamen illas, quæ prole mascula deficiente succedebant in paternam hæreditatem, ut probat Cornelius a Lapide ex textu hebraico, quem ita legit: Et omnis fœmina hæreditans hæreditatem nubet uni ex tribu sua; quam interpretationem teste eodem Cornelio sequuntur Septuaginta,

ginta, Chaldæi, & omnes Hebræi. Quia ergo Judæis aliunde notum erat, patrem Deiparæ non habuisse prolem masculam, satis intelligebant, illam debuisse nubere viro ejusdem familiæ. Ad confirm. Quamvis lex ista maxime post captivitatem Babylonicam non fuerit stricte observata, nihilominus adhuc obligavit in dicto casu; alias Joseph uxorem partui proximam non deduxisset in Bethlehem, ut ibi profiteretur.

158 Dices 2. SS. Patres apud Petavium lib. 12 de Incarn. cap. 15 docent, Christum ortum duxisse ex genere Sacerdotum, & ipsa Scriptura Elisabeth, quæ fuerat ex filiabus Aaron, vocat cognatam Mariæ: ergo. Resp. Cum Matthæus, & Lucas Christum expresse nominent *filium David*, & Apostolus ad Rom. 1 expresse asserat, quod sit factus *ex semine David secundum carnem*, Patres solum voluerunt, quod sit ortus simul ex sanguine Regum, & Sacerdotum, in quantum Reges Juda filias Pontificum duxerunt uxores. Elisabeth fuit quidem ex filiabus Aaron, spectando patrem, at matrem habuit ex tribu Juda, quod Cornelius a Lapide in cap. 3 Luc. ita explicat. Mathan ex stirpe Salomonis oriundus genuit Jacobum, Annam, & Soben. Ex Jacobo natus est Joseph vir Mariæ, ex Anna, & Heli, seu Joachimo, qui ex Natane Salomonis fratre descenderat, nata est Deipara: ex Sobe Elisabeth uxor Zachariæ, & sancti Joannis Baptistæ mater. Ex quibus vides, Elisabeth fuisse consobrinam Mariæ, Mariam vero tam respectu patris, quam matris ex tribu Juda descendisse. Verum nostrum non est, hic totam Christi genealogiam examinare. Plura de illa videri possunt apud citatum Auctorem, & Cæsarem Calini in historia novi Testamenti lib. 2 cap. 1 & 3.

159 Obj. 3. Ex una parte SS. Patres passim supponunt, & celeberrimi anatomici docent, virginitatem consistere in quodam claustro uteri virginalis; ex altera parte in nativitate Christi uterus Mariæ fuit

 aper-

apertus. Nam Luc. 2 verf. 23 purgationis Mariæ, & præfentationis Chrifti in templo redditur hæc ratio: *Sicut in lege Domini fcriptum eft, quia omne mafculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur:* ergo Deipara non manfit virgo in partu. Confirm. Quidam Patres cum Tertulliano lib. de carne Chrifti, & Origene Homil. 4 in Luc. dicunt, Chriftum nafcendo matris uterum aperuiffe. Refp. conc. ant. quoad 1 membr. neg. quoad 2. S. Lucas verbis citatis tantum intendit dicere, id, quod lex ferebat, nempe omne mafculinum primogenitum, DEO offerri debere, quocunque modo fit genitum, quamquam lex iis effet concepta verbis, quæ communem fpectarent nafcendi modum, eoquod Legislatores in ferendis legibus ad naturalem, & confuetum rerum ordinem attendere foleant. Ad confirm. Tertullianus tunc jam ab Ecclefia ad Montaniftas defecerat, Origenes quoque in multos alios errores incidit. Reliqui Patres folum volunt, Chriftum nafcendo ex utero prodiiffe, & per aperire vulvam folum fignificant fœcunditatem, ficut per claudere 1 Reg. 10 fignificatur fterilitas.

160 Dices. Si Chriftus ex Maria non fuit ortus fecundum communem, & naturalem modum, hoc ipfo non fuit filius naturalis Mariæ: ergo. Confirm. Maria Chriftum non peperit fine confueto puerperii dolore, nam, ut libro de ortu Salvatoris narratur, ad partum Mariæ accurrerunt obftetrices, inter quas aliqui numerant S. Anaftafiam, eo quod in fefto nativitatis Chrifti ejus memoria in Miffa celebretur. Refp. neg. ant. Relatio matris, & filii non fundatur in partu, fed in actione generativa; hinc fœmina jam vere eft mater, dum fœtus animatus adhuc in utero latet, & filius ex fecto matris utero editus vere eft filius. Ad confirm. neg. ant. Sicut Maria Chriftum concepit fine pudore, & fenfu libidinis, ita eum peperit fine fenfu doloris, quemadmodum advertit S. Bernardus fermon. 4 in vigil. nativ. Liber

de

de ortu Salvatoris eſt apocryphus, & S. Hieron. lib. contra Helvid. inter deliramenta numerat, quod in illo de obſtetricibus narratur. S. Anaſtaſia primum ſæculo III ſub Diocletiano martyrium ſubiit die 25 Decembris, in quam incidit feſtum natale Chriſti; ideo tunc illius ſit commemoratio.

161 Obj. 4. Matth. 1 verſ. 18 legitur: *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto:* ergo poſtea convenerunt, & Maria poſt partum non manſit virgo. Confirm. ex verſ. 25, in quo de S. Joſepho dicitur: *Non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Quæ verba exponens S. Baſil. homil. 25 de humana Chriſti generatione ait: *Nihil doctrinæ pietatis officere, ſi quis Mariam poſt Chriſtum natum Joſepho conſueviſſe affirmet.* Reſp. conc. ant. neg. conſ. In cit. textu Scriptura tantum indicat, quid factum non ſit, nempe quod non convenerint, antequam pareret Chriſtum: quid autem poſtea contigerit, hic non exprimit. Certe iſta illatio nulla eſt: Helvidius, antequam reſipiſceret, inventus eſt mortuus: ergo poſtea reſipuit. Ad confirm. Ferme eadem eſt reſponſio, quia etiam particula *donec* hic tantum demonſtrat, quid antea factum non fuerit. Sic Geneſ. 8 v. 7 de corvo, ex arca emiſſo, dicitur: *Et non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram;* nec tamen inferre licet, corvum ſiccatis aquis rediiſſe. S. Baſil. ſolum ait, quod vaticinio Iſaiæ, de quo ibi agit, nihil obeſſet, etſi Maria poſt partum non ſervaſſet virginitatem. Interim addit, quod Chriſtum amantium aures non ſuſtineant hoc audire, quod DEI genitrix aliquando Virgo eſſe deſierit.

162 Dices. Chriſtus in Scriptura ſæpius vocatur primogenitus Mariæ filius; ergo Maria habuit plures filios. Confirm. Juxta S. Matth. cap. 13 Chriſtus habuit plures fratres, & Joan. 2 v. 12 dicitur: *Deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & fratres ejus.*

Resp. conc. ant. neg. conf. Juxta Scripturam primogenitus dicitur ille, ante quem nullus est genitus, sive dein post illum alius sit genitus, sive non. Sic Numer. 18 primogenitus debuit DEO offerri, & primo mense redimi, licet nondum constaret, an alius filius illum esset subsecuturus. Ad confirm. Per fratres Christi intelliguntur ejus consanguinei, & consobrini. Nam in Scriptura fratres quadruplici sensu accipiuntur. 1 Natura, 2 gente, 3 affectu, 4 cognatione. Sic Genes. 13 v. 8 Abraham ad Loth nepotem suum dixit: *Nos fratres sumus.* Et cap. 29 v. 15 Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi.* Cæterum unus, & alter ex Patribus existimavit quidem, Josephum ante contractum cum Deipara matrimonium jam aliam uxorem habuisse, & filios suscepisse, qui proin in Evangelio fratres Christi appellentur; sed hæc opinio ex libris apocryphis hausta est, ut advertit S. Hieronymus in cap. 2 Matthæi, adeoque merito rejicitur.

QUÆSTIO V.

An Verbum divinum vere, & physice fuerit unitum humanitati Christi?

163 Dicendum. Verbum divinum physice, ac realiter fuit unitum humanitati Christi. Est de fide contra Nestorium, Felicem, & Elipandum, quorum doctrinam in pluribus Conciliis damnatam fuisse diximus in historia Nestorianismi, cujus præcipuum fundamentum, & unica ferme radix omnium reliquorum errorum fuit, quod inter Verbum divinum, & humanitatem tantum admitteret unionem moralem. Hinc S. Cyrillus in epistola, quam ex mandato Cœlestini Papæ ad Nestorium dedit, & incepit his verbis: *Cum Salvator noster*, sæpius Nestorium urget, ut rejecta unione morali admittat unionem veram, & naturalem, qua humanitas physice sit unita Verbo. Anathema-

thematismus autem tertius dictæ epistolæ subjectus ita habet: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque duntaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundum dignitatem, hoc est, auctoritatem, vel potestatem, & non potius, quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit.* Idem dogma postea pluribus definitum est in Synodo generali V can. 4 & 5.

164 Idem Cyrillus epist. ad Monachos Ægypti veram, & realem unionem probat ex illo Apostoli ad Philipp. 2 vers. 6: *Qui cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Quippe si Verbum tantum moraliter esset unitum humanitati per specialem affectum, gratiam, & miracula, quæ in illa operabatur, Filius divinus non magis se exinanivisset, quam Pater, aut Spiritus sanctus, nec magis assumpsisset humanitatem, eoquod tota Trinitas eadem voluntate, & affectu amet, eadem potentia, & actione gratiam, & miracula producat. Imo etiam justorum animæ eodem genere unionis, licet in gradu remissiore, essent DEO unitæ. Nam sicut Verbum humanitatem illam specialiter amavit, gratia ornavit, per illam operatum est, ita hæc eadem præstat animabus justis, licet non tam intense.

165 Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 51 in Apollin. ait: *Si quis Divinitatem in eo* (Christo) *velut in Propheta per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam copulatam fuisse, atque copulari dixerit, a præstantiori afflatu vacuus sit, imo contrario impleatur.* Consentiunt Patres reliqui, passim dicentes, in Christo non duas, sed unam tantum dari hypostasin, ut disput. seq. videbimus. Eandem unionem realem, ac physicam indicat S. Athanasius in suo Symbolo, dum ait: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita DEUS & homo unus est Christus.* Item S. Augustin. lib. de corrept. & grat. cap. 11 dicens:

DEUS naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili, & mirabiliter singulari - ut ipse, & Verbum - - una persona esset.

166 Dices 1. Humanitas Christi respectu Verbi comparatur in Scripturis templo Domini &c. *Sapientia ædificavit sibi domum.* Proverb. 9 v. 1. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joann. 2 v. 19, quod ipse Christus dicebat de templo corporis sui, ut testatur Evangelista vers. 21; ergo Verbum non fuit physice unitum humanitati. Confirm. SS Patres, uti Eustatius Antiochenus, & Gregorius Nazianzenus humanitatem Christi appellant templum divinitatis. Resp. conc. ant. neg. cons. In ejusmodi comparationibus non semper datur similitudo omnimoda, sed aliqua, hic consistens in eo, quod, sicut divinitas speciali modo inest templis, quæ DEO singulariter ædificantur, & exornantur, ita Verbum speciali modo insit humanitati, eamque omnibus donis præ reliquis exornarit, hoc tamen discrimine, quod DEUS templis non uniatur physice, sicut Verbum humanitati Christi, in qua juxta Apostolum ad Philipp. 2 inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, vere, ac realiter. Ad confirm. eadem est responsio. Sane in Scripturis etiam corpus hominis vocatur tabernaculum & domus animæ: *Quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur.* 2 ad Corinth. 5 vers. 1. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati*, vers. 7. Quis autem ex his infert, quod anima corpori non sit physice unita.

167 Dices 2. Quando Isai. 7 v. 14 de Christo dicitur: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id non significat DEUM, sed ut Matth. 1 v. 23 exponitur: *Nobiscum DEUS:* id est, in nobis habitans, conformiter ad illud Joann. 1 v. 14: *Et habitavit in nobis:* ergo Verbum humanitati tantum unitur moraliter, & accidentaliter, sicut vestis homini: *Habitu inventus ut homo,*

homo, ad Philipp. 2 v. 7. Confirm. Juxta SS. Athanasium lib. de Incarn. & Damascen. lib. 3 de fid. cap. 15 humanitas Christi est instrumentum Divinitatis; sed instrumentum non unitur physice artifici: ergo. Resp. transf. ant. neg. conf. Verba Matthæi, & Joannis litteraliter non tam ad singularem Christi humanitatem referuntur, quam ad reliquos homines, inter quos Verbum incarnatum habitavit, quemadmodum de ipso prædixit Baruch cap. 5 vers. ult. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Habitu inventus ut homo, juxta S. Augustinum, & Epiphanium apud Cornelium a Lapide dicitur, quia sicut homo aliquo modo videtur per vestes, quibus sine sui mutatione induitur: ita per corpus suo modo apparet Divinitas, & Verbum sine sui mutatione humanitati fuit unitum. Ad confirm. conc. maj. dist. min. Instrumenta mere mechanica non uniuntur physice artifici, conc. maj. instrumenta physica, & naturalia, quale e. g. est corpus respectu animæ, neg. min. & conf.

168 Dices 3. Tam natura humana, quam Verbum divinum sunt substantiæ completæ: ergo non potuerunt physice uniri; nam ex duobus entibus completis non potest fieri unum per se, alias etiam physice uniri possent natura humana, & angelica. Resp. conc. ant. neg. conf. Rationem additam dist. Ex duobus entibus completis sub omni ratione non potest fieri unum per se, conc. ex duobus entibus tantum completis sub aliqua ratione, subdist. nisi unum sit illimitatum, & infinite perfectum, transf. secus, neg. Licet natura humana se sola sit substantia completa in ratione substantiæ præcisive talis, seu præscindendo, an in se, an in alio subsistat, nondum tamen est completa in ratione subsistentiæ, sed per unionem cum Verbo potest trahi ad totum dignius, cui tanquam principio quod ejus operationes adscribantur, præsertim cum Verbum sit infinite perfectum; imo nondum video, quare

quare non etiam ex natura humana, & angelica supernaturaliter posset fieri unum per se, seu tertium aliquod suppositum, ex duabus his naturis physice unitis, resultans. Vide etiam num. 20.

169 Quæres. In quo a parte rei consistat unio physica inter Verbum, & humanitatem Christi. Resp. Circa hoc varias esse Auctorum opiniones, aliqui illam constituunt in solis extremis, videlicet Verbo, & humanitate: alii insuper requirunt certas dispositiones, & negationem impedimenti: alii ad decretum DEI confugiunt. Verum, licet hæc forte sufficiant ad explicandam unionem physicam naturalem e. g. inter corpus, & animam, quæ ex natura sua ad se invicem ordinantur, specialis adhuc est difficultas in mysterio Incarnationis, quia Verbum, & natura humana nullam habent ordinationem ad invicem, sed utrumque naturaliter potest existere sine unione. Dein 1 nullæ dantur dispositiones sive humanitatis ad Verbum, sive Verbi ad humanitatem, quæ exigant unionem cum Verbo, idque potius cum una, quam cum alia persona divina, quarum quælibet est intime cum humanitate penetrata. 2. Non potest explicari, cujus impedimenti negatio requiratur, & sic Verbum ultimato fieret physice unitum per negationem. 3. Decretum DEI est ab æterno, unio hypostatica temporalis, & destruibilis, neque potest ostendi, quid hoc decretum vellet, imo tali modo unio hypostatica potius esset moralis, & affectiva, quam physica, & realis.

170 Hinc multi censent, inter Verbum, & humanitatem debere admitti aliquem modum, qui sit Entitas aliqua positiva, & creata, ita ex essentia sua Verbum uniens humanitati, ut hic sit unicus illius finis, sine quo proin absolute non possit existere, quin tamen in utroque extremo recipiatur, aut utrumque perficiat, eo quod sola humanitas sit perfectibilis, ut explicatum disput: 1 quæst. 1. De hac entitate modali docent ulterius 1. Quod sit realiter distincta ab unio-

unione ſubſtantiali animæ cum corpore Chriſti, quia tota humanitas Chriſti eſt natura prior ad unionem hypoſtaticam, & unio inter corpus, & animam eſt tantum naturalis. 2. Quod ſit diviſibilis in tres uniones partiales, quarum una Verbum uniat animæ, altera corpori, tertia, quam reflexam dicunt, ipſi unioni corporis ad animam, ſiquidem hæc a ſuis extremis ſit diſtincta. 3. Quod unio Verbi cum anima ſit indiviſibilis, & ſpiritualis, quia recipitur in ſubjecto ſpirituali, & indiviſibili. Econtra unio cum corpore (idem proportionaliter dicendum de unione reflexa) ſit materialis, & diviſibilis, quia recipitur in ſubjecto materiali, & corruptibili. Quod ſi hæc unio eſſet indiviſibilis, toties debuiſſet produci de novo, quoties corpori Chriſti per nutritionem aliqua particula acceſſit, aut per evaporationem deceſſit.

171 Hæc breviter indicaſſe ſufficiat, quia non ad ipſum dogma, ſed ſolum ad modum explicandi pertinent, & ſæpe de ſubſtantia dogmatis certo conſtat, quin illius explicatio ſit plana, & expedita. Interim Theologi communiter conveniunt 1, quod unio hypoſtatica ſit tantum una, quæ ſimul uniat Verbum humanitati, & humanitatem Verbo; cum enim unio ex conceptu ſuo ſit vinculum duorum inter ſe, non poteſt unire unum extremum alteri, quin viciſſim hoc alterum illi uniat. 2. Quod ſit ſubſtantialis, quia Chriſtus eſt totum ſubſtantiale, & unio facta eſt ſecundum hypoſtaſin, ſeu perſonam. Hinc Concilium Lateranenſe ſub Martino I can. 6 dicit: Verbum, & naturam humanam ſubſtantialiter fuiſſe unita. 3. Quod ſit intrinſece ſupernaturalis, tranſcendens exigentiam, & vires totius naturæ creatæ, & eſſentialiter connexa cum hypoſtaſi divina. Quando igitur Patres illam interdum vocant naturalem, τὸ naturalem non accipiunt, prout opponitur ſupernaturali, ſed prout opponitur unioni tantum morali; vel ſolum indicare volunt, quod ſit conſtitutivum intrin-

intrinsecum Christi qua talis, & a natura humana statim a primo conceptionis instanti recepta fuerit.

QUÆSTIO VI.

Quænam partes corporis Verbo divino physice, & immediate fuerint unitæ?

172 Quæstio hæc non amplius instituitur de partibus essentialibus corpore, anima, illarumque unione. Has enim a Verbo immediate assumptas esse, satis constat ex dictis. De partibus quoque integralibus naturæ humanæ, communissima Theologorum docet, illas immediate, & physice Verbo fuisse unitas; quippe juxta Concilia, & Patres Verbum immediate assumpsit naturam humanam integram cum omnibus suis proprietatibus; sic Concilium Lateranense sub Martino I can. 9 statuit: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie, & secundum veritatem naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis indiminutas in eo, & sine deminoratione salvatas, damnatus sit.* S. Augustinus in Enchyr. cap. 34 de Incarnat. Verbi scribit: *Nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse.* S. Damascen. lib. 3 de fide: *Neque enim DEUS Verbum quidquam eorum, quæ, cum nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit: sed omnia assumpsit, hoc est, corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumque proprietates.*

173 Itaque Verbum divinum per unionem physicam immediate assumpsit ossa, carnem, venas, arterias, nervos &c. Idem contra Vasquez, & Tannerum Scholastici communiter tradunt de dentibus, unguibus, & capillis, quia etiam ista ad perfectionem integralem naturæ humanæ spectare videntur. Quippe, ut advertit Lugo disput. 14 sect. 4, nemo dicet, Christum in Eucharistia esse calvum, exunguem, aut edentulum. Vel ergo dentes, ungues, & capilli ponun-

ponuntur in Euchariſtia vi verborum? & ſic ſunt partes corporis: vel ponuntur per concomitantiam? & ſic ſunt partes Chriſti. Nam illa juxta Tridentinum ſeſſ. 13 cap. 8 ponuntur per concomitantiam, quæ ponuntur *propter connexionem, quam partes Chriſti habent inter ſe.* Nec dici poteſt cum Vasquez, quod ponantur tanquam effectus corporis; non enim in Euchariſtia debent poni omnes effectus corporis, alias etiam poneretur chylus, ſaliva &c.

174 Præterea Verbum immediate aſſumpſit ſanguinem; ſive enim ſanguis vivat, ſive non vivat, eſt tamen pars integralis naturæ humanæ, & juxta Tridentinum ſeſſ. 13 cap. 3 per concomitantiam ponitur etiam ſub ſpecie panis in Euchariſtia. Imo Scriptura, Patres, & Concilia eodem modo loquuntur de carne, & ſanguine. Sic ad Hebr. 2 v. 14 dicitur: *Quia ergo pueri* (id eſt alii homines) *communicarunt carni, & ſanguini, etiam ipſe* (Chriſtus) *ſimiliter participavit eisdem.* In Concilio Chalcedonenſi act. 1 lecta, & approbata eſt quædam epiſtola Cyrilli, in qua textum Scripturæ: *Verbum caro factum eſt*, ita interpretatur: *Id eſt, carnem, & ſanguinem aſſumpſit.* S. Gregor. Nazianz. orat. 50 ait: *Aſſumpſit corpus ex carne, oſſibus, & ſanguine conſtans.* Clemens VI in Extravag. Unigenitus. de pœnit. & remiſſ. docet: unam guttam Chriſti ſanguinis propter unionem cum divino Verbo ſuffeciſſe ad redemptionem generis humani.

175 Colliges 1. Verbum aſſumpſiſſe omnem ſanguinem proprie dictum, ſicut aſſumpſit omnem carnem. Neque tamen ideo aſſumpſit duas naturas completas, & integraliter perfectas, quia ſanguinem tantum aſſumpſit tanquam partem naturæ humanæ, & rationalis integræ. Cum autem ſanguis non ſit pars ſolida, quæ rationem cibi habeat, in Euchariſtia per conſecrationem panis non ponitur vi verborum, ſed tantum per concomitantiam propter mutuam coordinationem, quam ſanguis, & reliquæ corporis partes

tes inter se habent, ita, ut neque sanguis extra corpus, nec corpus sine sanguine nativam suam perfectionem diu naturaliter conservare posset. Porro quando S. Thomas quodlib. 5 quæst. 3 artic. 5 docere videtur, sanguinem nutrimentalem ad veritatem naturæ humanæ non pertinere, exponi potest de sanguine improprie dicto, seu de chylo.

176 Colliges 2. Quod Verbum etiam fuerit unitum spiritibus vitalibus, & animalibus, cum probabilius substantialiter non differant a sanguine. Item tribus reliquis humoribus pituitæ, bili flavæ, & atræ; nam Verbum immediate assumpsit id, quod in communi modo loquendi simpliciter dicitur sanguis, & in venis fluit, illud autem non est purus sanguis, sed mixtum ex humoribus dictis. Idem videtur etiam dicendum de illa bile flava, quæ non est permixta sanguini, sed in peculiari sua sede, seu folliculo fellis continetur, quia non minus videtur pertinere ad integritatem corporis humani, quam sanguis in corde, aut hepate receptus. Aliud est de phlegmate, quod exspuere solemus; quippe phlegma non est humor, corpus humanum integrum constituens, sed excrementum, ex humoribus generatum.

177 De accidentibus modalibus, & absolutis, si aliqua in humanitate Christi data fuerunt, docet communior, illa a Verbo quidem assumpta fuisse in hypostasi, sed non secundum hypostasin, id est, accidentia illa quidem mansisse in persona Christi secundum humanitatem, & ideo Christum denominasse calidum, frigidum, &c. non tamen immediate ipsi Verbo fuisse unita, aut in illo substitisse, tum quia tam parum sunt pars integralis naturæ humanæ, quam e. g. cognitio, aut volitio: tum quia Verbum tantum est unitum illi, quod potest subsistere, & cujus subsistentiam supplevit; atqui subsistere proprie tantum est substantiæ, accidentis vero per se est inhærere, seu inexistere alteri tanquam subjecto inhæsio-

nis

nis, vel informationis, quale subjectum DEUS esse non potest.

QUÆSTIO VII.

An unio physica inter Verbum & humanitatem fuerit stabilis, ac indestruibilis?

178 Origenes teste S. Hieronymo epist. 69 ad Avitum docuit, omnia corpora aliquando interitura, nec in cœlo regnatura, proinde naturam humanam a Verbo dimissum iri. De Marcello Ancyrano testatur Euseb. lib. 3 histor. illum tradidisse, humanam naturam Christi expleto mediatoris officio, post diem judicii redituram esse in nihilum. Uterque deceptus fuit ex male intellecto cap. 15 epist. 1 ad Corinth. Prior vers. 20: *Caro, & sanguis regnum DEI non possidebunt.* Posterior vers. 24: *Deinde finis, cum tradiderit regnum DEO, & Patri.* At certum apud omnes Catholicos fidei dogma est, quod Christus, adeoque etiam Verbi cum humanitate conjunctio, sine qua Verbum Christus non esset, semper sit duratura. Nam Daniel 7 vers. 14 *Christi potestas*, ad Hebr. 7 vers. 24 *Ejus Sacerdotium*, dicuntur æterna; & Luc. 1 vers. 33 *Regni ejus non erit finis.* Ideo Concilium Chalcedonense in expositione fidei ait: *Utramque naturam, divinam, & humanam in unam personam concurrisse indivisibiliter, & inseparabiliter.*

179 Sed neque in triduo mortis unio hypostatica Verbi cum corpore & anima Christi dissoluta fuit, etsi ipsa anima, & corpus a se mutuo fuerint separata. Nam in Symbolo Apostolico Christus dicitur mortuus, & sepultus, & ad inferos descendisse; ergo jacuit Christus in sepulchro quoad corpus, & descendit ad inferos quoad animam; qui autem dicit Christum, dicit divinitatem cum humanitate aut tota, aut cum ejus parte conjunctam. Consonat com-

munissima SS. Patrum apud Petavium. S. Augustinus epist. 187, alias 57, ait: *Homo Christus illo die* (mortis) *secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat, DEUS vero idem ipse Christus ubique semper.* S. Damascen. lib. 3 de fide cap. 27: *Quamvis Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen a neutro - - quoquo modo sejuncta est.* Quando igitur aliqui ex Patribus dicere videntur, Verbum in morte ab humanitate, aut corpore recessisse, mitius exponendi sunt de separatione quoad singularem divinæ protectionis influxum.

180 Quod de anima, & corpore, idem ob paritatem rationis dicendum est de sanguine a Christo effuso, saltem illo, quem in resurrectione iterum assumpsit. Quamvis enim SS. Patres de sanguine expressam mentionem non faciant, eorum tamen rationes eidem optime applicantur. Quod videlicet dona DEI sint sine pœnitentia, quod corpus, & anima in resurrectione iterum sint conjuncta, quod unio hypostatica multo firmior sit, quam unio naturalis inter animam, & corpus. *In tantam unitatem*, inquit S. Leo serm. 17 de passione, *DEI & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* Ex his, & similibus Patrum sententiis enatum est commune apud Theologos axioma: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit.* Imo aliqui putant, a Clemente VI sententiam contrariam damnatam esse, quod tamen merito negat Lugo. Nam licet postea hæc quæstio coram Pio II per tres dies a Patribus Franciscanis, & Dominicanis acriter fuerit agitata, Pontifex nihil decidit; post biennium vero Sixtus IV sub pœna excommunicationis præcepit, ne pars alterutra erroris, aut cujusvis alterius censuræ nota afficeretur.

181 Dixi, sermonem esse de illo sanguine, quem Christus in resurrectione iterum assumpsit. Quamquam enim S. Augustinus epist. 105 ad Consentium scripserit,

rit, *se nec inquirere, nec definire velle, an Christus in corpore glorioso habeat sanguinem, vel non*, id non fecit, quasi hæsitaret, utrum corpus Christi gloriosum non sit exsangue; neque enim dubitavit, quin caro Christi, quam discipulis videndam, & palpandam præbuit, fuerit vivens, ac vegeta. Imo ipsemet sæpius, præsertim lib. 17 de civit. cap. 20 docuit, vinum in sacramento altaris converti in sanguinem Christi, & fideles in mensa eucharistica fieri participes dominici sanguinis. Itaque S. Doctor solum nihil voluit decidere de sanguine quodam superfluo ad integritatem corporis non necessario, ne occasione hujus quæstionis curiose moveatur alia, an videlicet in corpore glorioso etiam dentur cæteri humores, ut ipsemet ait in epistola citata.

182 Quod recitatum superius axioma theologicum attinet, communiter advertunt, illud solum esse intelligendum de partibus ut quod primariis, & ad integritatem corporis necessariis. Hinc 1 Verbum non mansit unitum illis particulis carnis, & sanguinis, quæ vivente adhuc Christo calore naturali continuo resolvebantur, & exspirabant, nam istæ nunquam amplius a Christo erant reassumendæ, & omnem ordinem ad Christi humanitatem amiserant. 2. Illi particulæ, quæ in circumcisione a corpore Christi fuit resecta una cum sanguine ibidem profuso, ob rationem primum datam. 3. Illi sanguini Christi, qui adhæsit instrumentis passionis, aut aliam ob causam in terra relictus fuit. Nam licet S. Thomas part. 3 quæst. 54 art. 2 ad 3 docere videatur, Christum in resurrectione totum sanguinem iterum reassumpsisse, multi tamen illum mitius interpretantur de sanguine moraliter toto, nec plus probat ratio S. Doctoris: quia videlicet sanguis ad veritatem, seu integritatem naturæ humanæ pertinet; quippe integritas non consistit in indivisibili, & in sensu morali idem integraliter homo manet, etsi exiguam quamdam sanguinis copiam amiserit.

183 Equidem non desunt alii, qui putant sanguinem illum, quem a Christo in terris relictum existimamus, tantum esse quasdam notas, & vestigia sanguinis, vel asservatum ex miraculoso illo sanguine, qui Berythi Syriæ civitate copiose profluxit ex imagine Christi, quam Judæi contumeliose lancea percusserant, idque probare conantur ex Synodo Generali VII act. 4. Verum hæc Synodus solum approbavit mox relatam historiam, quin aliquid de vero Christi sanguine statuerit. Quæ enim in variis exemplaribus pro hac sententia addita leguntur, supposititia sunt; neque enim in codice Græco, neque in versione Anastasii Bibliothecarii leguntur. Econtra pro existentia veri sanguinis in terra referuntur plura diplomata Pontificia, & Baronius ad annum Christi 804 testatur, quod sanguis, qui Mantuæ asservatur, re multum examinata inventus, & approbatus sit pro illo sanguine, qui ex ipso corpore Christi tempore passionis effusus est. Id certum, veritati fidei nullatenus repugnare, si Christus dicatur, aliquid de suo sanguine in terris reliquisse, qui proin etiam cultu latriæ respectivo coli possit, ferme sicut colere solemus particulas Sanctæ Crucis, in qua Christus pro nobis mortuus est.

DISPUTATIO III.

De modo, quo Incarnatio Verbi Divini facta est.

184 Antequam ad confutandas reliquas Nestorii blasphemias progredimur, juvat recensere alios adhuc hæreticos, qui circa modum, quo Incarnatio Verbi Divini facta est, turpiter errarunt. Inter hos primi nominandi veniunt Patripassiani, sic dicti, quod non solum Verbum, sed etiam Patrem, imo & Spiritum Sanctum dicerent, esse incarnatum, passum, & mortuum; quia videlicet negabant, in DEO dari plures

plures personas realiter distinctas, utpote in quo nullam aliam distinctionem admittebant, quam secundum diversa nomina per ordinem ad diversas operationes. His adjungendus Eutyches, qui multarum postea sectarum parens fuit. Cum enim Nestorio se nimis inconsulte opponeret, in aliam hæresim, Nestorianismo extreme oppositam, incidit, existimans, non aliter posse defendi unam in Christo personam, nisi dicendo, post Incarnationem, seu unionem, etiam unicam in Christo naturam dari, qua ratione vero hoc factum esse putaverit, an per compositionem, conversionem, vel confusionem, nunquam explicavit.

185 Multo minus certo constat, quomodo juxta Eutychetem conversio facta sit. An natura Divina in humanam, an humana in Divinam, eaque vel tota, vel tantum secundum unam partem abierit? Verosimilius voluit, totam naturam humanam post unionem fuisse conversam in Divinam, quia Eutychiani passim dicebant, Divinitatem passam, cruci affixam, & sepultam fuisse. Hinc Eranistes, id est, Eutychianus apud Theodoret. dialog. 2 ita loquens inducitur: *Ego dico, Divinitatem mansisse, humanitatem vero ab hac esse absumptam, ut si in mare mellis gutta fundatur; nam illa gutta statim evanescit.* Porro post damnatum in Concilio Chalcedonensi Eutychetem, illius hæresis in tres potissimum sectas divisa fuit. Petrus Cnaphæus Episcopus Antiochenus Theopassitarum sectæ nomen, & ortum dedit, eo quod ipsam Deitatem passam esse diceret, & ideo illi trisagio: *DEUS sanctus, DEUS fortis, DEUS immortalis,* addiderunt: *Qui passus es pro nobis.*

186 Altera secta fuit Acephalorum, ex illis conflata Eutychianis, qui se a Petro Moggo, Sedis Alexandrinæ invasore, separaverant, eo quod Synodo Chalcedonensi anathema dicere cunctaretur. Ex his aliqui dicebantur Incorrupticolæ, quia duce Juliano Halicarnensi asseruerunt, carnem Christi fuisse incor-

ruptibilem, utpote jam unius cum Verbo naturæ. Alii econtra dicti sunt corrupticolæ, quia fatebantur, carnem Christi, utpote veram, ac nostræ consubstantialem, natura sua corruptibilem fuisse; in quo quidem neutiquam errarunt, sed cum Ecclesia Catholica consenserunt. Nihilominus communis omnium Eutychianorum, etiam Acephalorum, error fuit, ex duabus naturis, Divina, & humana, in Christo unam conflatam fuisse.

187 Tertia, quæ ex hæresi Eutychiana pullulavit, fuit secta eorum, qui duas quidem in Christo profitebantur naturas inconfusas, attamen nonnisi unam voluntatem, & operationem, eamque Divinam, propterea dicti Monothelitæ; μονος enim unum, θελημα voluntatem significat. Porro voluntatis nomine intelligebant præcipue ipsum velle, seu actum volendi. Nam licet natura humana, ejusque potentia volendi in Christo juxta ipsos non fuerit penitus absorpta, & extincta, volebant tamen, illam esse ita sopitam, & inertem, ut ad volitionem, & operationem Christi non concurrerit active, sed tantum passive se habuerit, tanquam merum organum, seu instrumentum Divinitatis; hinc operationes Christi relate ad humanitatem potius esse passiones, quam operationes, contendebant.

188 Denique huc etiam pertinet error Ubiquistarum, qui ex Luthero, Brentio, ac Schmidelino docent, unionem hypostaticam consistere in hoc, quod omnis plenitudo, & energia Divinitatis Verbi secundum personam, naturam, & operationes Divinas ita realiter quasi fuerit transfusa in humanitatem, ut Christus etiam secundum illam verissime dicatur persona Divina Verbi, DEUS omnipotens, æternus, ubique præsens &c. Observant nihilominus, quod realis illa communicatio non sit essentialis, physica, aut subjectiva; neque enim humanitatem physice, aut per suam essentiam esse personam Verbi, DEUM &c. sed alio modo prorsus arcano. Observant 2, quamvis

vis attributa Divina ita ſint communicata humanitati, non tamen eodem modo prædicata humana eſſe communicata Divinitati, quia Divinitas humanitatem aſſumpſit, & perfecit, non viciſſim, id quod ulterius non amplius explicant; nec quisquam tam monſtroſam doctrinam ſatis capiet.

Hiſtoria Eutychianismi.

189 Eutyches Presbyter, & Monaſterii cujusdam Conſtantinopolitani Archimandrita ſeu Præpoſitus, cum ab Euſebio Dorilæi Epiſcopo ſæpe fruſtra admonitus fuiſſet, ut ab errore ſuo deſiſteret, tandem ab eodem ad Flavianum Sedis Conſtantinopolitanæ Patriarcham delatus, & coram XXXII Epiſcoporum Synodo, quam anno 448 Flavianus collegerat, oblato libello hæreſis poſtulatus eſt. Ter citatus, tandem poſt varias tergiverſationes ingenti Monachorum, militum, & apparitorum manu ſtipatus in Concilio comparuit, & erroneum ſuum dogma his verbis profeſſus eſt: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem vero unam naturam confiteor*; interrogatus, quo ſenſu iſta intelligeret, nihil aliud pervicax, & temerarius Senecio repoſuit, quam: *Ego non veni diſputare, ſed veni ſatisfacere ſanctitati veſtræ, quomodo ſapiam.* Itaque a Synodo Monaſterii primatu, & omnibus Sacerdotii officiis exutus, fideliumque communione privatus eſt, eadem excommunicatione iis omnibus impoſita, qui cum illo communicarent.

190 Damnatus Conſtantinopoli Eutyches confugit ad Leonem I, Romanum Pontificem, & mendaci libello apud ipſum conqueritur, ſe ab Epiſcopis hæreſim Neſtorianam reſtaurare conantibus immerito communione privatum, quamvis Nicænam fidem profiteretur, & in ipſo judicio ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet. Commovit hæc res initio Pontificem, ſed poſtquám a Flaviano, miſſis etiam Romam

actis Synodalibus hæresiarchæ nequitia detecta est, Leo coacta Synodo, ex ea celebrem illam epistolam: *Lectis dilectionis tuæ litteris &c.* ad Flavianum dedit, in qua primo notat imperitiam, & vecordiam Eutychetis, deinde contra impium illius dogma duarum in Christo post unitionem naturarum veritatem luculentissime exponit. Verum Eutyches in hæretico proposito obfirmatus calumniosis libellis tumultus excitat, & a Pontifice provocat ad Imperatorem Theodosium, Principem quidem religiosum, & Catholicæ fidei studiosissimum, sed ob nimiam credulitatem, & ingenii mediocritatem aliorum machinationibus obnoxium.

191 Chrysaphius Spado apud Theodosium tunc potens consentiebat Eutycheti, Flaviano infensissimus. Hujus opera impetravit Eutyches, ut Imperator Synodum Generalem Ephesum convocaret, eique præesse juberet Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, hominem nefarium, & turbulento militi, quam Episcopo similiorem. In hoc Conciliabulo nihil ex lege actum, sed omnia vi, & inaudita violentia turbata sunt. Elpidius Comes, quem Imperator Concilii defensorem legaverat, potestatis suæ limites supergressus pro Gubernatore se gerebat. Barsuma Archimandrita Syrus cum valida 300 Monachorum manu, & multis militibus, qui occulte cum Dioscoro conspirabant, in Synodum irrupit, Episcopi Flaviano addicti in vincula conjecti sunt, cæteri metu adacti puris, & albis membranis, in quibus, quid ab adversa parte postea scriberetur, magna pars ignorabat, subscribere debuerunt. Ipsi Legati Apostolici postquam frustra reclamarunt, protestatique sunt, vix inter hostes, & gladios ex illo malignantium consessu fuerunt elapsi.

192 His ita constitutis soli demum asseclæ Dioscori omne sibi judicium usurparunt, & primo quidem approbarunt Eutychetis symbolum, tanquam conformæ Ephesinæ, & Nicænæ fidei, ipsum vero hæresiarcham

ſiarcham in priſtinum dignitatis ſtatum reſtituerunt: tum Flavianum, & Euſebium Dorilæum ſuis ſedibus dejecerunt, & ad carceres damnarunt. Cum autem Flavianus ad tribunal Romanum contra iniquam ſententiam appellaret, Dioſcorus ex Epiſcopo carnifex tam atrociter illum pugnis, calcibusque contudit, ut cum aliis ſibi faventibus Epiſcopis in exilium deportatus intra triduum veritatis Martyr obierit. Denique Dioſcorus quaſi victor exultans Synodum ſolvit, & immania flagitia novis aliis accumulans, ideoque a Leone damnatus, ipſe viciſſim contra Leonem inaudita protervia ſententiam excommunicationis tulit, quam decem Epiſcopi Ægyptii, quos adhuc ſecum habebat, inviti, & gemebundi ſubſcribere coacti ſunt.

193 Leo Papa, ut peſſumdatam religionem reſtitueret, in Synodo Romana Conciliabulum Epheſinum damnavit, Eutychetem vero, & Dioſcorum, ut diximus, anathemate perculit, crebris apud Theodoſium inſtans litteris, ut Concilium Generale in Italia celebrare liceret, quo labes, ac infamia Epheſina deleretur. At nihil impetrare potuit; quin Theodoſius hæreticorum, Chryſaphii maxime, fraudibus irretitus, publica lege Flavianum damnavit, Epheſinum vero Conciliabulum Nicænæ Synodo juſſit æquari. Paulo poſt Theodoſio in imperio ſucceſſit Marcianus, & Pulcheria, qui pari mox ſtudio rei Catholicæ reſtituendæ incubuerunt. Illorum juſſu corpus Flaviani ſolenni pompa Conſtantinopolim relatum, & in Baſilica SS. Apoſtolorum collocatum eſt. Epiſcopi ob Flavianum depoſiti ab exilio revocati, Chryſaphius omnium malorum incentor occiſus. Tum Concilium Generale, initio quidem, Nicæam indictum, poſtea vero Chalcedonem Bythiniæ urbem translatum, ita petentibus Legatis Apoſtolicis, ut etiam Imperator Synodo adeſſe valeret.

194 Anno 451 octavo idus Octobris Concilio Chalcedonenſi, quod fuit Generale IV, datum eſt initium,

præsentibus Episcopis 520, qui omnes epistolam Synodicam S. Leonis Papæ ad Flavianum adversus Eutychetis errorem tanquam Apostolicam, & ab ipso Petro per Leonem prolatam acceptarunt. Soli quidam Illiriciani, & Palæstini Episcopi hæsitare sunt visi, seu quod epistolam Leonis non satis intelligerent, seu quod Eutycheti & Dioscoro essent addicti. Paucorum tergiversationem negligendam esse, judicavit S. Synodus. Confecta itaque ad normam epistolæ Leonis definitio fidei, in qua dilucide exponebatur, in Christo post adunationem duas esse naturas distinctas, Divinam, & humanam, salvis utriusque proprietatibus. Quæ fidei expositio cum præsente Marciano, & Pulcheria rursus lecta, & ab Episcopis subscripta fuisset, sciscitante Imperatore, num illa secundum omnium Episcoporum sensum fuerit facta, unanimi voce responderunt: *Omnes sic credimus, una fides, una voluntas, omnes id ipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus &c.*

195 Circa personam Eutychetis nihil quidem in hoc Concilio fuit statutum, quia jam a Flaviano, & Leone legitime fuerat condemnatus, & a Marciano in exilium relegatus. At Dioscorus ex Leonis, & communi Patrum sententia omni non solum Episcopali, sed etiam Sacerdotali ministerio privatus est, & Gangram Paphlagoniæ urbem, dein in Chersonesum deportatus; Cæteri Episcopi qui prius Dioscoro adhæserant, postquam Leonis epistolæ subscripserunt, & Eutycheti anathema dixerunt, iterum in communionem recepti sunt. Fuere nihilominus aliqui, qui post finitum Concilium adhuc varias turbas moverunt, præsertim propter tria, ut vocari solent capitula, nempe personam Theodori Mopsuestiæ Episcopi, commentarios Theodoreti Episcopi Cyrenensis, & epistolam ad Marim Persam, quæ ab Iba Edesseno Episcopo scripta ferebatur. Hæc capitula postmodum quidem a Synodo V Generali damnata sunt, nihil tamen ibidem statutum, quod Concilio Chalcedonensi

donensi præjudicium afferre potuisset, sed potius illius auctoritas de novo confirmata est, ut pluribus declaratur in Tract. de Fide.

Historia Monothelismi.

196 Hæresis ista auctores habuit Athanasium quemdam Jacobitarum Patriarcham, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis Metropolitanum, qui postea ab Heraclio Imperatore ad Patriarchatum Alexandrinum promotus fuit. Athanasius antea hæresim Eutychianam apud Syros late propagaverat, cum autem Heraclium bello Persico feliciter perfunctum Herapoli officii gratia convenisset, Imperator illum non modo benigne excepit, sed oblato etiam Patriarchatu Antiocheno hortatus est, ut ejurato Eutychetis errore Synodi Chalcedonensis decretis obsequeretur. Ille spe hac illectus, Chalcedonense Concilium se suscipere, & duas in Christo naturas agnoscere profitetur, sed simul subdole interrogat de voluntate, & operatione Christi, utrum duplex, an unica credenda sit. Hæsit Imperator, & quid respondendum sit, incertus, propositam difficultatem Sergio, & Cyro dijudicandam commisit. Responderunt ambo, secundum Chalcedonense Concilium distinctas quidem esse in Christo naturas, sed unicam voluntatem, & operationem, eamque Divinam.

197 Circumventus hac ratione Heraclius edictum publicum a Sergio compositum, quod Ecthesin, seu expositionem fidei nominabat, promulgari jussit. In hoc sub gravi pœnarum interminatione præcepit, ut omnes unam in Christo voluntatem profiterentur, a voce autem operationis, seu unius, seu duarum omnino abstinerent, eoquod res hæc graves excitasset altercationes inter Cyrum Alexandrinum, & Sophronium Patriarcham Jerosolymitanum, qui doctrina pariter, ac sanctitate illustris constanter se Monotheli-

tis

tis opposuit, & per Stephanum Dorensem Episcopum de novo hoc errore Honorium Papam certiorem fecit. At Sergius Sophronium prævenerat, utque ipsum Pontificem in suas partes subdole pertraheret, officiosissimis litteris illi exposuit, inter Cyrum, & Sophronium gravem controversiam exortam fuisse de una, vel duabus operationibus Christi: sibi autem ad fidei, & animorum concordiam nihil consultius visum, quam si vox unius, & duarum operationum penitus supprimeretur, eoquod per professionem unius operationis videatur perimi dualitas naturæ in Christo, per affirmationem autem duarum operationum voluntates contrarias Domino affingi. Cæterum se rem totam Papæ judicio submittere.

198 Credidit Honorius dolosis vaferrimi hæresiarchæ verbis, & privatis litteris ejus consilium laudans rescripsit, unam pariter, ac duplicem operationem silentio obruendam, & nihil aliud prædicandum, quam Christum Filium DEI vivi, DEUM verissimum in duabus naturis operantem divinitus, atque humanitus. Accepta hac epistola Pontificis qui paulo post e vivis excessit, Sergius Constantinopoli coegit Conciliabulum, Ecthesinque subscriptione Episcoporum firmatam per Heraclium promulgari curat, epistolam tamen Honorii nunquam in publicum protrahere ausus est, quippe quam Monothelismo potius obfuturam ipsemet adverterat. Qamquam enim Honorius unam voluntatem in Christo fateretur, id tamen solum intelligebat de una voluntate humana, negans, in illa dari operationes contrarias. Interim Divinam, & humanam in Christo voluntatem, ac operationem clare adstruxit his verbis: *Utrasque in Christo naturas unione naturali copulatas, & cum alterius communione operantes, & operationes confiteri debemus; & Divinam quidem, quæ DEI sunt, operantem, & humanam, quæ hominis sunt, exsequentem.*

199 Honorio in Papatu successere Severinus, Joannes IV, & Theodorus, qui omnes Heraclii Ecthesin con-

constanter repudiarunt, atque damnarunt. Heraclius quoque interea ex intercute morbo extinctus, eumque in imperio secutus est Constantinus, ad quem Joannes IV dedit epistolam apologeticam pro Honorio, simulque Imperatorem apprime Catholicum rogavit, ut Ecthesin rescindi juberet, quod Constantino præmatura morte sublato præstitit quidem Constans, sed simul novam edidit fidei professionem, quam Typum appellavit. Fabricata hæc fuerat a Paulo, Sergii post Pyrrhum successore, in eaque non solum unius, aut duplicis operationis, sed etiam unius, vel duplicis voluntatis silentium præcipiebatur. Missus est ab Imperatore hic Typus ad Martinum I, nuper electum Pontificem. At ille coacto Romæ Concilio, & Ecthesin Heraclii, & Typum Constantis cum præcipuis Monothelismi defensoribus Theodoro Pharanitano, Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, ac Paulo Constantinopolitanis Patriarchis damnavit. Ob quam rem excandescens Imperator Martinum per Theodorum Calliopam Constantinopolim ductum in Chersonesum deportari jussit, ubi S. Papa ærumnis confectus obiit, veritatis orthodoxæ Martyr.

200 Tandem Constante occiso ad Imperium evectus est ejus filius Constantinus, cognomento Pogonatus, a patre pie degener, & justitiæ, ac religionis cultor eximius. Hic, ut scissas tot hæresibus provincias ad fidei unitatem reduceret, egit primum cum Dono Pontifice Romano, dein illo mortuo cum Agathone de Synodo Oecumenica Constantinopoli congreganda, ad quam ut planior, securiorque via muniretur, Agatho prius Romæ particularem 125 Episcoporum Synodum celebravit. Inde post damnatam Monothelitarum hæresin tam a Synodo, quam a Pontifice missi sunt Legati cum litteris, in quibus Agatho orthodoxam fidem luculentis S. Scripturæ, sanctorumque Patrum testimoniis accurate explicabat. Anno itaque 680 considentibus Episcopis 289 Synodus Constantinopolitana III cœpta est, & sequenti anno

per-

perfecta 18 actionibus. In primis duodecim lecta, atque discussa sunt ea, quæ ad hæresim rite cognoscendam, & condemnandam spectabant. Actione XIII damnatæ sunt epistolæ Sergii ad Cyrum, alia ejusdem ad Honorium, & ipsius Honorii ad Sergium.

201 Actione ultima præsente Imperatore promulgata est fidei definitio, prius jam a Patribus concepta, in qua profitebantur duas Christi naturas in una radiantes subsistentia, duas itidem naturales voluntates, & operationes, cui definitioni post Legatos Pontificis, Patriarchas, aliosque Episcopos etiam subscripsit Imperator hoc modo: *Constantinus in Christo Deo Rex, & Imperator legimus, & consensimus.* Denique absoluta Synodo exemplaria Synodalis definitionis communicata sunt Sedi Apostolicæ, & quatuor Sedibus Patriarchalibus manu Imperatoris subscripta. Patres vero Synodicam ad Agathonem scripsere epistolam, in qua litteras, quas Agatho ad Imperatorem dederat, tanquam a Summo Apostolorum vertice perscriptas prædicant, eique, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, stantis supra firmam Fidei petram, quid agendum sit, relinquunt, rogantes, ut fidei expositionem, ab ipsis editam, sua auctoritate confirmet. Verum, antequam Synodi litteræ Romam delatæ sunt, Agatho summum diem obierat, sancte in Domino defunctus anno 682, 10 Januarii.

202 Eodem anno in Pontificem electus est Leo II, quam electionem Imperator ratam habens Legatos Agathonis, & Romanæ Synodi dimisit, eisque acta VI Synodi cum epistola ad Leonem tradidit; quibus mense Julio Romam reversis, Leo mense Augusto ejusdem anni 682 consecratus est Papa, anno vero sequenti, mense Majo actis Constantinopolitanæ Synodi diligenter inspectis, & examinatis, dedit ad Imperatorem litteras, quibus ejusdem Synodi acta, saltem potissimam partem, Apostolica Auctoritate con-

firma-

firmavit. Censet quidem Baronius, hanc epistolam Leonis esse supposititiam, eo quod in fine scripta dicatur nonis Maji, indictione X sive anno 682. Verum Antonius Pagius in sua critica tom. 3 ad annum Christi 683 observat, hanc temporis consignationem in textu Græco non exprimi, & loco indictionis decimæ legendam esse undecimam, ipse Leo indicat, dum in sua epistola inquit: Legatos Apostolicæ Sedis per nuper elapsam decimam indictionem mense Julio cum Synodalibus gestis a se susceptos fuisse. Profecto nisi dicta epistola Leonis sit legitima, nullam invenies, in qua Synodus VI a Romano Pontifice fuit approbata. Sed plura de his in Tract. de Fide.

QUÆSTIO I.

An solum Verbum Divinum absumpserit naturam humanam?

203 Dicendum: Solus Filius Divinus assumpsit naturam humanam. Est de Fide. Quoties enim Scriptura de hoc mysterio loquitur, semper loquitur de solo Filio. Sic Joan. 1 vers. 14: *Verbum caro factum est.* Matth. 3 vers. 17 Pater Divinus ait: *Hic est filius meus dilectus.* Et Apostolus ad Galat. 4 vers. 4: *Misit DEUS filium suum factum ex muliere.* Eodem modo de Incarnatione loquuntur Symbolum Apostolicum, Nicænum, & SS. Patres, præsertim S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 2, ubi hanc veritatem pluribus egregie deducit. Hinc in Concilio Generali V can. 10 anathematizatur, *Si quis non confitetur, Dominum nostrum JEsum Christum - - - DEUM esse verum, & Dominum gloriæ, & unum de Sancta Trinitate.* Concilium quoque Lateranense sub Martino I can. 2 ita statuit: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur, proprie, & secundum veritatem ipsum unum sanctæ, & consub-*

stantia-

ſtantialis, & venerandæ Trinitatis DEUM Verbum e cœlo deſcendiſſe, & incarnatum de Spiritu Sancto &c. condemnatus ſit.

204 Ratio concluſionis præcipua eſt voluntas DEI. Afferunt nihilominus Theologi poſt S. Thomam 3 part. quæſt. 3 art. 4 varias congruentias, propter quas perſona Filii potius, quam Patris, aut Spiritus Sancti incarnata fuerit; quarum prima eſt: Ut idiomata, quantum fieri poſſet, eſſent ſimilia, dum ille, qui ab æterno fuerat Filius DEI, in tempore fieret Filius hominis. Secunda: Ut homo, qui appetendo ſcientiam, & ſimilitudinem DEI perierat, per ſapientiam & imaginem Patris ad DEUM reduceretur. Tertia: Ut, ſicut Filius DEI eſt quaſi media perſona inter Patrem, & Spiritum Sanctum, ita etiam eſſet Mediator inter DEUM, & hominem. Quarta: Ut, ſicut Verbum eſt Filius DEI naturalis, ita filios DEI adoptivos repararet, ſibique ſimiles redderet, atque tali modo eſſet primogenitus in multis fratribus. Quinta: Ut, ſicut per Verbum omnia creata ſunt, ita per illud omnia reſtaurarentur, ſicut jam diximus num. 37.

205 Dices 1. Chriſtus Joan. 10 v.30 inquit: *Ego, & Pater unum ſumus;* ergo ſi Filius eſt incarnatus, etiam Pater. Confirm. Quamvis Scriptura de ſolo Verbo afferat, quod fuerit incarnatum, id tamen non negat de Patre, & Spiritu Sancto: ergo. Reſp. Diſt. ant. dicit: *Ego, & Pater unum ſumus* ſecundum eſſentiam, conc. ant. ſecundum perſonalitatem, neg. ant. & conſ. Cum perſonalitates Patris, & Filii realiter ſint diſtinctæ, nil obſtat, quo minus una uniatur humanitati, non item altera. Quia tamen utriusque eadem eſt eſſentia, Pater dicitur eſſe in humanitate per circumſeſſionem, vel concomitantiam, quatenus, etſi non eſſet immenſus, nihilominus deberet eſſe, ubi eſt humanitas unita Verbo, ut adeo humanitati ex duplici titulo ſit præſens ratione immenſitatis, & identitatis cum eſſentia Verbi. Ad confirm. diſt. ant.

ant. Id non negat de Patre, & Spiritu Sancto explicite, conc. ant. implicite, neg. ant. Hoc ipso, quod Scriptura de solo Filio dicat, quod sit homo factus, gratis id diceretur de Patre, & Spiritu Sancto, & tota Ecclesia textus Scripturæ semper intellexit in sensu exclusivo, neque ex ipsis hæreticis, qui tres distinctas in DEO personas admiserunt, quemquam scio, qui aliter senserit.

Dices 2. Una persona sine altera non potest producere unionem hypostaticam; ergo neque una sine altera potest eam terminare, seu per illam uniri; nam opera DEI ad extra sunt communia toti Trinitati. Confirm. Una persona non potest intuitive videri sine altera, ergo neque uniri. Resp. Conc. ant. neg. cons. Rationem addictam dist. Opera DEI ad extra sunt communia toti Trinitati quoad efficientiam, conc. quoad terminationem, neg. Ratio efficiendi opera externa est Omnipotentia divina, quæ cum sit omnibus personis communis, ad extra nihil possunt facere divisim. At ratio terminandi humanam Christi naturam non est præcise natura Divina secundum se, sed potissimum relatio, seu subsistentia, qua una persona realiter ab altera distinguitur. Unde sicut una persona subsistit ut distincta ab aliis, ita sine aliis potest humanitatem Christi terminare. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. Si verum est antecedens, quod multi negant, tunc ideo, quia visio intuitiva ex essentia sua est perfecte satiativa appetitus rationalis; talis autem non foret, si tantum repræsentaret unam personam, eo quod relinqueret desiderium cognoscendi etiam reliquas, quæ ratio non pugnat respectu unionis. 206

Quæres 1. An etiam reliquæ personæ potuissent assumere naturam humanam saltem seorsim, & in sensu diviso? Resp. cum S. Thoma quæst. 3 art. 5 affirmative. Quidquid enim ad extra potest Filius, pariter potest Pater, & Spiritus Sanctus, cum omnipotentia, quæ assumptivæ actionis principium est, 207

omnibus tribus personis sit communis, & quælibet habeat personalitatem propriam, vi cujus possit terminare unionem hypostaticam. Hinc 1. Licet Pater non possit generari generatione æterna, per quam ipsi communicaretur natura Divina, posset tamen generari generatione temporali, per quam ipsi communicaretur natura humana. 2. Sic sub diverso respectu posset simul esse Pater & Filius suæ Matris; Pater per creationem, & gratiam adoptionis, Filius secundum generationem naturæ humanæ ex Matre assumptæ. 3. Non tamen posset dici Pater sui ipsius, aut Filius filii Divini, quia neque esset persona generata, neque adoptata a se ipso, aut a Filio Divino. 4. Utrum autem in tali casu saltem posset dici Filius Dei, filiatione fundata præcise in creatione naturæ humanæ, ad modum loquendi pertinet.

208 Quæres 2. An plures personæ Divinæ potuissent etiam simul assumere eandem naturam humanam? Resp. affirmative cum S. Thoma quæst. 6 art. 7. cum neque detur repugnantia ex parte personalitatum, quarum nulla alteram excludit, neque ex parte naturæ humanæ; sicut enim illius perfectio finita, & limitata non obstat, quo minus possit uniri uni personæ, sic non obstat, quo minus possit uniri reliquis. Porro in tali casu 1. quælibet persona Divina denominaret humanitatem subsistentem subsistentia sibi propria e.g. Pater subsistentem subsistentia Patris, Filius subsistentem subsistentia Filii. 2. Plures personæ eidem naturæ non tribuerent eundem effectum specificum, sed tantum genericum, ferme sicut auditio, & visio eidem homini tribuunt effectum formalem genericum sentientis. 3. Licet natura in Patre subsistens etiam uniretur Filio, ideo non traheretur ad totum dignius. 4. Hinc, quamvis eadem natura non possit simul subsistere subsistentia propria, & divina, potest nihilominus subsistere pluribus subsistentiis Divinis.

Quæ-

209 Quæres 3. An etiam una perſona Divina potuiſſet aſſumere plures naturas? Reſp. iterum cum S. Thoma loc. cit. affirmative. Si enim ab eadem perſona Divina ſimul poteſt terminari natura Divina, & humana, cur non & plures naturæ humanæ, vel natura humana, & Angelica? An autem in caſu, quo plures perſonæ Divinæ eandem naturam humanam, vel eadem perſona plures naturas humanas aſſumerent, deberent dici plures homines, vel tantum unus, parum refert. S. Thomas cum communiore docet, in utroque caſu fore unum hominem, quia concretum ſubſtantivum homo non multiplicatur, niſi ſimul multiplicetur ſuppoſitum, & forma per nomen homo ſignificata. Alii non male dicunt, attendendum eſſe, an homo accipiatur tanquam concretum naturæ, vel tanquam concretum perſonæ; ſi tanquam concretum naturæ, in primo caſu fore tantum unum hominem, in altero plures, prout ipſa natura humana una, vel multiplex eſt: ſi vero accipiatur tanquam concretum perſonæ, in primo caſu fore plures homines, in altero unum, pro numero videlicet perſonarum, quæ naturam humanam aſſumerent.

QUÆSTIO II.

An etiam natura Divina fuerit unita humanitati?

210 Dicendum 1. Natura Divina Verbi eſt aliquo modo unita humanitati. Concluſio eſt certa, & fundatur in illo Apoſtoli ad Coloſſ. 2 verſ. 9: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, id eſt, per veram, realem, ac phyſicam conjunctionem. Quippe SS. Patres apud Magiſtrum ſentent. lib. 3 diſt. 5. paſſim docent, *Naturam Divinam eſſe incarnatam. Quando dicimus*, inquit S. Damaſcen. lib. 3 de fide cap. 71: *naturam Verbi incarnatam eſſe*,

ſecundum Beatos Patres, ſcilicet ſecundum Athanaſium, & Cyrillum, Deitatem dicimus eſſe unitam carni. In Concilio Lateranenſi ſub Martino I can. 6 ſtatuitur: *Si quis ſecundum SS Patres non confitetur, proprie, & ſecundum veritatem ex duabus, & in duabus naturis ſubſtantialiter unitis, inconfuſe, & indiviſe unum, eundemque eſſe Dominum, & DEUM JEſum Chriſtum, anathema ſit.* Conſonat Trident. ſeſſ. 3 cap. 3, ubi docet, in Euchariſtia adeſſe *Divinitatem propter admirabilem ejus cum corpore, & anima unionem.*

211 Dicendum 2. Natura Divina non fuit incarnata, prout eſt communis tribus perſonis, ſed prout eſt contracta ad perſonalitatem Filii, ita, ut Verbum humanitati non fuerit unitum immediate, & formaliter ſecundum ſolam naturam Divinam, ſed ſecundum perſonalitatem propriam. Quippe unio hypoſtatica debet habere terminum aliquem immediatum; atque hic non eſt perſonalitas Patris, & Spiritus Sancti, neque ſola natura Divina, alias, cum hæc æque ſit in Patre, & Spiritu Sancto, illi non minus aſſumſiſſent naturam humanam quam Filius; ergo unio hypoſtatica pro termino immediato habet perſonalitatem Verbi, & natura Divina ſolum fuit incarnata, prout eſt contracta ad perſonalitatem Filii. *Credimus*, inquiunt Patres Concilii Rhemenſis, quod anno 1119 ſub Calixto II celebratum eſt, *Credimus, ipſam Divinitatem, ſive ſubſtantiam Divinam incarnatam eſſe, ſed in Filio.* Et Patres Concilii Toletani XI, quod Innocentius Papa in epiſtola ad Petrum Compoſtellanum vocat authenticum can. 1: *Solus Filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ, non in unitate Divinæ naturæ, in eo, quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitati.*

212 Dixi ſupra, naturam Divinam eſſe unitam humanitati aliquo modo, ſcilicet vel immediate, vel ſaltem mediate, de quo ipſi orthodoxi non conveniunt. Communior cum S. Thoma part. 3 quæſt. 3 art. 2 docet, naturam Divinam fuiſſe humanitati unitam ſolum

ſolum mediate, ſecundario, & materialiter, ratione perſonalitatis Verbi, cum qua eſt identificata. Alii econtra, quibus videtur favere Magiſter ſentent. lib. 3 diſt. 5 cit. exiſtimant, conformius ad mentem Patrum, & Conciliorum dici, quod natura Divina, prout eſt in Filio, non minus immediate, ac formaliter unionem hypoſtaticam terminet, quam perſonalitas Verbi. Quippe Patres, & Concilia ſimpliciter dicunt, *Naturam Divinam eſſe incarnatam, illam eſſe unitam carni, Chriſtum eſſe ex, & in duabus naturis ſubſtantialiter inter ſe unitis;* atqui hæc non minus indicare videntur unionem immediatam naturæ Divinæ, quam Verbi. Certe, licet etiam Pater, & Spiritus Sanctus cum natura Divina realiter identificentur, ideo non poteſt dici, quod ſint incarnati, aut naturæ humanæ uniti.

213 Ratio ulterior eſt, quia, ut indicat Concilium Lateranenſe citatum, & inferius magis patebit, Chriſtus eſt perſona compoſita ex duabus naturis, Divina, & humana. Jam ſic: Unio hypoſtatica immediate, & formaliter terminatur ad omne illud, quod per ſe requiritur ad conſtituendum compoſitum hypoſtaticum; atqui ad conſtituendum tale compoſitum etiam requiritur natura Divina; nam compoſitum ex utraque natura nec eſſe, nec concipi poteſt ſine utraque natura; ſi enim e. g. natura Divina per impoſſibile tolleretur, aut per intellectum præſcinderetur a perſonalitate Verbi, nulla amplius ratione dici, aut intelligi poſſet, quomodo Chriſtus ſit perſona ex utraque natura compoſita. Confirm. Unio ſubſtantiali formaliter terminatur ad id, quod per ſe requiritur ad conſtituendum totum ſubſtantiale, ſcilicet ad materiam, & formam; ſimiliter unio accidentalis immediate terminatur ad ſubjectum, & formam accidentalem, quæ per ſe requiruntur ad conſtituendum compoſitum accidentale: ergo etiam unio hypoſtatica immediate, & formaliter terminatur ad

 omne

omne illud, quod per se requiritur ad constituendam personam compositam.

214 Dices 1. Natura Divina identificatur cum omnibus tribus personis Divinis: ergo, si esset unita humanitati, omnes tres personæ eidem essent unitæ; alias de unione hypostatica verificarentur contradictoria. Confirm. Ideo natura Divina est unita humanitati, quia realiter identificatur cum personalitate Verbi; sed etiam realiter identificatur cum Patre, & Spiritu Sancto; ergo. Resp. dist. ant. Ita tamen, ut inter naturam, & personas Divinas intercedat distinctio virtualis, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. cum sequela addita. Quod in ordine ad denominationem uniri, vel incarnari, possint verificari prædicata contradictoria, debent omnes fateri, cum natura Divina humanitati certo sit unita, & incarnata saltem mediate, non item Pater, & Spiritus Sanctus. Unde natura, & personæ Divinæ in ordine ad istas denominationes se habent, quasi essent duo distincta, ita, ut unum possit respici, & uniri, quin respiciatur aut uniatur alterum. Sic Filiatio generatur a Patre, non item natura divina, quin ideo de ipso Patre generante verificentur prædicata contradictoria. Ad confirm. neg. maj. sed ideo, quia Concilia & Patres personam Christi vocant compositam, & naturam divinam dicunt incarnatam.

215 Dices 2. Ex una parte in Divinis nulla debet admitti distinctio virtualis, nisi id constet ex auctoritate sacra: ex altera parte modo dicatur, quod natura Divina humanitati uniatur mediate, jam potest explicari, quomodo Christus sit persona composita, & natura Divina incarnata: ergo gratis admittuntur hæc contradictoria: Natura Divina immediate est incarnata; Pater nullo modo est incarnatus. Confirm. Natura Patris, non obstante identitate reali, potest esse unita humanitati, quin eidem sit unitus Pater: ergo etiam personalitas Filii, non obstante identitate reali, potuit uniri naturæ humanæ, quin eidem uni-

uniretur natura Filii. Resp. Transf. ant. quoad 1 membr. neg. quoad 2. Quamquam enim unio mediata forte sufficeret, ut natura Divina posset dici incarnata quomodocunque, materialiter, & secundario, plus tamen videntur indicare Patres, & Concilia, qui non minus simpliciter dicunt, naturam incarnatam esse, quam Verbum. Dein, quod unio immediate terminetur ad omne illud, quod per se requiritur ad constituendu compositum hypostaticum, probavimus inductione aliorum compositorum, nec ulla est ratio aliter loquendi de composito Theandrico, seu Christo. Ad confirm. transf. totum; at nego, personalitatem Verbi de facto ita humanitati unitam fuisse.

Dices 3. Concilium Toletanum supra citatum 216 expresse docet, quod *Filius Divinus formam servi acceperit in unitate personæ, non in unitate naturæ Divinæ, in eo, quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati*; atqui hoc non esset verum, si natura Divina humanitati immediate esset unita: ergo. Confirm. Synod. Generalis VI act. 8 ait, *Quod Pater, & Spiritus Sanctus nihil habeant commune in incarnatione, nisi benignissimam voluntatem, qua una cum Filio illud mysterium effecerunt*: ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. Scopus Concilii Toletani erat ostendere, quod natura Divina cum humana non sit confusa, neque tota Trinitas, sed solus Filius incarnatus, ut patet ex verbis subjunctis: *Nam si natura hominis, DEIque alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset*. Itaque solum voluit, quod ex natura Divina, & humana non sit facta una natura, neque natura Divina unita humanitati reduplicative, prout est communis toti Trinitati, sed præcise prout est in Filio, ut explicat Concilium Rhemense. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Etiam juxta nos Pater, & Spiritus Sanctus respectu unionis hypostaticæ nihil habent commune, quam benignam voluntatem, & efficientiam.

217 Dices 4 Quod immediate, & formaliter ratione sui convenit naturæ Divinæ, convenit tribus Personis, uti, esse summum bonum, omnipotentem, intelligere, velle, operari ad extra &c. ergo. Confirm. Hæ phrases: Natura, prout est in Filio, prout est contracta ad personalitatem Filii &c. non dicunt aliud, quam naturam communem, & personalitatem Filii: vel ergo utraque distributive sumpta, vel sola personalitas unitur humanitati? Si primum: ergo humanitati unitur natura communis: Si secundum: ergo natura Divina humanitati tantum unitur mediate. Resp. dist. ant. Quod formaliter ratione sui convenit naturæ, ut communi, conc. ant. quod illi solum convenit, prout est contracta ad personalitatem Verbi, neg. ant. Non convenire toti Trinitati, quod naturæ Divinæ convenit præcise ut contractæ ad certam personalitatem Verbi, videter principium in Theologia receptum. Sic licet natura Divina saltem mediate sit unita humanitati, eamque formaliter sanctificet, hæc tamen prædicata nec Patri, nec Spiritui Sancto conveniunt. Aliud est de illis prædicatis, quæ ipsam essentiam, & perfectionem Divinam constituunt; hæc enim utique omnibus tribus Personis debent esse communia. Ad confirm. conc. maj. neg. min. & dico, quod natura Divina, & personalitas Verbi distributive, vel potius collective uniantur humanitati, ita tamen, ut personalitas Verbi sit potissima ratio, cur Verbum, & natura Divina incarnatæ fuerint.

QUÆSTIO III.

An Verbum Divinum sit humanitati unitum in unitate naturæ?

218 Dicendum: Unio hypostatica non est facta in unitate naturæ. Est de fide contra Eutychianos Theopassistas. Probat. 1. Christus est verus Deus

Patri conſubſtantialis, & verus homo, ex anima rationali, & corpore conſtans: ergo in Chriſto dantur duæ naturæ diſtinctæ, Divina, & humana, ſalvis, & integris utriusque proprietatibus. Anteced. oſtendimus diſput. præced. & patet ex Symbolo S. Athanaſii, in quo de Chriſto dicitur: *Qui, licet Deus ſit, & homo, non tamen duo, ſed unus eſt Chriſtus: unus autem non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: Unus non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Idem adhuc luculentius definiit Concil. Chalcedonenſe in profeſſione fidei his verbis: *Docemus, unum, eundemque Chriſtum Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nusquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magisque ſalva proprietate utriusque naturæ in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente.*

219

Præter complura Concilia particularia eandem veritatem tradiderunt Synodi Generales Conſtantinopolitana II act. 8, Conſtantinopolitana III & Nicæna II in profeſſione fidei. Item SS. Patres, non ſolum illi, qui ſcripſerunt poſt Concilium Chalcedonenſe, ut S. Leo in epiſt. ad Flavianum, S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 14, S. Gregor. lib. 10 Moral. cap. 17, ſed etiam, qui floruerunt ante hæreſin Eutychianam. Ex his S. Athanaſius lib. de Incarnat. Chriſti ait: *Appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo Chriſtus - - ſecundum rationem exiſtendi plenam, & integram, ut unus ſit utrinque per omnia idem & Deus, & homo.* S. Cyrill. in epiſt. ad Neſtor. quæ incipit: *Intelligo quosdam*, ita habet: *Quamvis naturæ ſint diverſæ, unum nobis Chriſtum, & Filium effecerunt: non quod naturarum differentia propter unionem ſublata ſit, verum quod Divinitas, & humanitas ſecreta quadam ineffabilique conjunctione in una perſona unum nobis JEſum Chriſtum, & Filium conſtituerint.*

220 Probatur, & declaratur conclusio ulterius 2. Si ex natura Divina, & humana post unitionem resultasset una, vel id factum fuisset per conversionem unius naturæ in alteram, sicut quando lignum convertitur in ignem? vel per commixtionem, & confusionem, quemadmodum ex pluribus herbis, aut succis conficitur unum pharmacum, aut juxta veteres Peripateticos elementa transmutantur in mixtum? vel per compositionem, ut quando ex anima, & corpore fit una natura completa, aut ex pluribus membris unum corpus? Non primum; quia sic una natura fuisset destructa, quod in natura Divina implicat: si vero fuisset destructa humana, Christus vel tantum specie tenus, vel secundum ipsam Divinitatem fuisset passus. Non secundum; alias Christus neque amplius esset verus Deus, neque verus homo, sed haberet tertiam quamdam naturam ex ambabus resultantem. Nam in commixtione substantiali mixta desinunt esse, quod prius erant, ut patet ex adductis exemplis. Non 3tium, quippe tam natura Divina, quam humana Christi est in suo genere completa; ergo non possunt constituere unam naturam compositam, sicut corpus, & anima; neque per modum partium quantitativarum, ut plura membra unum corpus.

Objectiones.

221 Object. 1 Joan. 1 v. 14: Verbum dicitur *Caro factum*; atqui hic modus loquendi in Scriptura denotat conversionem, sicut quando Joan. 2 dicitur *aqua vinum facta*: ergo. Confirm. Ad Philip. 2 v. 7 Filius DEI dicitur semetipsum exinanivisse; sed hæc exinanitio importat conversionem Verbi in carnem: ergo. Resp. dist. maj. Verbum dicitur caro factum per mutationem sui in carnem, neg. maj. per assumptionem carnis in unitatem personæ, conc. maj. Quod aqua in Cana Galileæ fuerit vere mutata in vinum,

vinum, patet ex circumſtantiis, & guſtu deprehendit Architriclinus cum ſuis convivis, neque hoc DEO erat impoſſibile. At implicat, Divinitatem mutari in carnem, & ipſe textus ſacer ſtatim addit, *quod Verbum habitaverit in nobis:* nempe in quantum aſſumpſit naturam humanam, ut verba objecta explicat S. Ambroſius lib. de Incarn. cap 6 & Epiphan. hæreſ. 77. Ad confirm. conc. maj. neg. min. In quonam conſiſtat hæc exinanitio, rurſus explicat ipſe Apoſtolus dicens: *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Quæ autem major in Filio Dei exinanitio cogitari poteſt, quam quod ſuſcepta eſt a Majeſtate humilitas, a Virtute infirmitas, ab Æternitate mortalitas? ut inquit S. Leo in celebri ad Flavianum epiſtola.

222 Dices. Scriptura non dicit, Verbum eſſe carni unitum, ſed eſſe carnem factum: ergo plus denotat, quam quod Verbum carnem aſſumpſerit. Confirm. SS. Patres cum Juſtino Martyre in apolog. 2 pro Chriſtianis docent, Verbum carnem factum eſſe, ſicut in Euchariſtia panis ſit caro Chriſti; ſed panis ſit caro Chriſti per veram converſionem: ergo. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Scriptura juxta S. Gregor. Nazianz. epiſt. 1 ad Cledonium, & S. Chryſoſt. homil. 10 in Joan. adhibuit verbum factum, tum ut expreſſius ſignificaret intimam unionem cum vera, & non tantum apparente carne, tum ut commendaret effuſam charitatem DEI, qui propter nos ad id usque ſe demiſit, quod deterius eſt, & nova generatione cœpit eſſe, quod non erat. Certe dum Apoſt. ad Galat. 3 dicit, Chriſtum pro nobis factum eſſe maledictum, nemo ita inſanus erit, ut inde inferat, Chriſtum in maledictum peccati converſum fuiſſe. Ad confirm. SS. Patres eam ſimilitudinem ſolum inſtituunt in hoc, quod, ſicut in Euchariſtia continetur vera Chriſti caro, ſic etiam veram carnem aſſumpſerit; neque enim tam craſſe errarunt Patres, ut crederent,

derent, Verbum in carnem mutari posse, quod nec Eutychiani docuerunt.

223 Obj. 2. Multi ex SS. Patribus, ut Irenæus, lib. 2 cap. 21, Tertullian. Apolog. cap. 21, Cyprian. lib. de idol. vanit. Augustin. epist. ad Volus. dicunt, per incarnationem naturam Divinam misceri, & contemperari naturæ humanæ; hinc unionem Divinitatis cum humanitate mixtionem, vel mixturam nuncupant: ergo post adunationem ex duabus naturis facta est una per commixtionem. Confirm. Sicut Patres dicunt, quod natura Divina sit incarnata, sic dicunt, quod natura humana sit Deificata: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Patres per hos modos loquendi solum volunt significare intimam, ac hypostaticam naturæ Divinæ, & humanæ in Christo unionem: Omnium mentem exponat S. Augustinus epist. 137 ad Volusianum, ubi ait: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ita in unitate personæ DEUS unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis, in hac persona mixtura est DEI, & hominis, si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita misceri, ut neuter servet integritatem suam.* Ad confirm. neg. conf. natura humana dicitur Deificata, non quasi caro sit facta DEUS, sed quia facta est caro Verbi DEI, salvis tamen utriusque naturæ proprietatibus.

224 Etsi elementa maneant formaliter in mixtis, & quodlibet habeat suam naturam completam, tamen ex iis potest fieri tertia quædam natura mixti: ergo a pari. Confirm. Si in Christo darentur duæ naturæ, darentur duo Christi. Hinc Julius Papa in epist. ad Dionysium Corinthiorum Episcopum scripsit: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare.* Et Gregorius Thaumaturgus in exposit. fidei: *Non duæ,* inquit, *personæ, neque duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus.* Resp. dist. ant. Potest ex iis fieri tertia natur-

tura mixti, ita, ut hoc mixtum adhuc simpliciter posset dici ignis, aqua &c. neg. ant. aliter, conc. ant. & neg. conf. Christus juxta Concilia, & Patres vere dicitur Deus, & homo, idque inconfuse, nusquam sublata differentia naturarum. Ad confirm. neg. ant. Christus est concretum personæ, quod non multiplicatur nisi multiplicata personalitate. Epistola ad Dionysium falso adscribitur Julio Pontifici, ut etiam illa expositio fidei D. Gregorio, quemadmodum ostendit Tournelius de Incarn. quæst. 7 art. 1 conclus. 5.

225 Obj. 3. Anima rationalis, & corpus inter se unita sunt una natura composita; ergo etiam Divinitas, & humanitas; nam *sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus*, inquit S. Athanas. in Symbolo. Confirm. S. Damascen. in sua Dialectica cap. ult. ait: *Illud scire attinet, hypostaticam unionem unam rerum conjunctarum naturam efficere*: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Anima, & corpus sunt substantiæ incompletæ, & unitæ tanquam principium quo possunt elicere novas quasdam operationes, nempe sensationes. E contra natura Divina, & humana sunt substantiæ completæ, & post unitionem nullam possunt elicere novam operationem. Hinc S. Athanas. paritatem solum instituit in eo, quod, sicut anima, & corpus vere, ac physice uniuntur, & unum hominem constituunt, quin per hanc unionem tollatur distinctio, ac differentia unitorum; sic etiam natura Divina, & humana vere, ac physice uniantur, & unum Christum constituant, salva utriusque naturæ distinctione, & proprietatibus. Ad confirm. neg. ant. Versor S. Damasceni, ut ex Græco textu patet, pro persona posuit naturam, & in eodem capite S. Doctor apertissime negat, ex duabus naturis completis unam compositam fieri posse.

226 Dices. Etiam natura Divina, & humana inter se unitæ constituunt unum quoddam principium operatio-

rationum ſupernaturalium, quæ ſunt infiniti valoris; ergo data ſuperius diſparitas non ſubſiſtit. Confirm. Si ex duabus naturis non eſt facta una, ſola humanitas eſt paſſa; ergo ſolus homo eſt paſſus; at hoc dicere foret Neſtorianum: ergo. Reſp. Diſt. ant. Conſtituunt novum quoddam principium ut quo operationum, neg. ant. novum principium ut quod, ſubdiſt. ſolæ naturæ ſecundum ſe ſpectatæ, neg. ant. una cum perſonalitate Verbi, conc. ant. neg. conſ. Natura ex ſua notione eſt principium ut quo operationum, in quantum illas elicit; principium ut quod eſt ſuppoſitum, cui operationes a natura elicitæ tanquam ſubjecto denominationis adſcribuntur. Jam unio hypoſtatica ſolum facit, ut operationes naturæ humanæ adſcribantur Verbo tanquam ſuppoſito infinite digno, quin ideo humanitas aliquid poſſit operari, quod non potuiſſet, ſi a Verbo fuiſſet ſeparata, ut jam advertimus num. 17. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Cum actiones ſint ſuppoſitorum, ipſe etiam DEUS eſt paſſus, non quidem ſecundum naturam Divinam, ſed humanam.

227 Obj. 4. S. Cyrillus epiſtol. 1 ad Succeſſum, & alibi ſæpius docet, poſt unitionem in Chriſto non amplius dari duas naturas, ſed unam. Et epiſt. 2da ad eundem ait, quod ſola mentis conſideratione duæ in Chriſto naturæ diſcernantur. Reſp. Diſt. ant. docet, in Chriſto poſt unitionem non amplius dari duas naturas diſtinctas, ſed ſimpliciter, & abſolute unam, neg. ant. non amplius dari duas naturas ſeparatas, ſed unam incarnatam, id eſt, humanitati realiter, & phyſice unitam, conc. ant. S. Cyrillus nuſpiam ſimpliciter, & abſolute dixit, unam eſſe in Chriſto naturam, ſed ſemper addidit, *Incarnatam*; at: *Qui unam naturam incarnatam agnoſcit*, ait dialog. 2 Theodoretus, *duplicem in Chriſto naturam confitetur; alia enim eſt, quæ carnem aſſumat, alia carnis aſſumptæ*. Quo tectus clypeo ipſe Cyrillus 2da ad Succeſſum epiſt. retundit criminationem, qua

ab

ab aliquibus propter ſuam doctrinam proſcindebatur. Porro in epiſtolis ad Neſtorium clare in Chriſto poſt unitionem adſtruit differentiam naturarum, quas epiſtolas Synodus Epheſina approbavit, & poſtquam in Concilio Chalcedonenſi act. 2 lectæ ſunt, Patres exclamarunt: *Sicut Cyrillus, ita credimus; æterna memoria Cyrilli.*

228 Dices. Joannes Antiochenus cum ſuis damnavit 12 capitula Cyrilli tanquam hæreſi Apollinaris infecta, & ipſe Eutyches, ejusque aſſeclæ Cyrillo velut Magiſtro gloriati ſunt. Confirm. Genadius Conſtantinopolitanus fuit vir Catholicus, & ſanctus, & tamen poſt Concil. Chalcedonenſe capitula Cyrilli damnavit ut hæretica; Sanctus quoque Iſidorus Peluſiota dixit, Cyrillum parum orthodoxe tractaſſe, quæ Chriſti ſunt. Reſp. Joanni cum ſuis Orientalibus hic nullam fidem eſſe habendam, eumque ipſe Cyrillus in ſuo apologetico mendacii arguit. Eutyches non ſolum gloriabatur auctoritate Cyrilli, ſed etiam Athanaſii, aliorumque Patrum, quos quidem dicebat, ſe legiſſe, at non intellexit. Certe in Synodo Generali V ſcripta Theodoreti, & epiſtola ad Marim Perſam non alia de cauſa damnata ſunt, quam quia doctrinam S. Cyrilli impugnarunt. Ad confirm. Opus illud, cujus aliqua tantum fragmenta a Facundo referuntur, falſo videtur adſcribi Genadio, vel certe ſalſis rumoribus deceptus Cyrilli mentem non fuit aſſecutus. His ipſis rumoribus conturbatus S. Iſidorus Cyrillum amice ſolum, & paterno affectu monuit, utpote quem ſummopere venerabatur, & Patrem appellare ſolebat.

229 Obj. 5. Natura Divina immediate unitur naturæ humanæ; ergo ex utraque reſultat natura compoſita, ſicut ex illis reſultat perſona compoſita. Confirm. SS. Patres paſſim aſſerunt, in Chriſto eſſe unam naturam ſubſiſtentem: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quamvis forte natura Divina, & humana Chriſti poſſint aliquo modo dici compoſitæ, id

eſt,

eſt, invicem realiter unitæ, inauditum tamen apud Patres eſt, quod ſint una natura compoſita, quia per has voces non tantum denotatur unio qualiscunque, ſed ſecum invehens converſionem, commixtionem, aut compoſitionem ex duabus naturis incompletis. Econtra perſona compoſita in ſenſu orthodoxo nihil aliud ſignificat, quam quod perſonalitas Verbi de ſe ſimpliciſſima poſt Incarnationem ſubſiſtat in duabus naturis. Ad confirm. Quando Patres dixere, in Chriſto dari unam naturam ſubſiſtentem, intellexere naturam incarnatam, id eſt, non ſine carne, ſeu humanitate, ut expoſuit Martinus I in Concil. Rom. adhibuere autem hunc modum loquendi ad exprimendam contra Neſtorium phyſicam, ac hypoſtaticam unionem, qua fit, ut ſola Divinitas ſubſiſtat ſubſiſtentia propria, humanitas vero ſubſiſtentia aliena Verbi.

230 Dices. Juxta nos poſſet dici, quod Chriſtus ſit duæ naturæ; ſed hæc propoſitio eſt damnata in Joanne Huſs: ergo. Confirm. Si Chriſtus eſt duæ naturæ, licebit ita argumentari: *Chriſtus eſt Divinitas, & humanitas; ſed Chriſtus eſt paſſus; ergo Divinitas, & humanitas ſunt paſſæ.* Reſp. diſt. maj. Quod Chriſtus ſit duæ naturæ in ſenſu copulativo, tranſ. maj. in ſenſu diſtributivo, quaſi quælibet natura ſeorſim ſumpta ſit totus Chriſtus, ut contendebat Huſs, neg. maj. Hæc propoſitio: *Chriſtus eſt duæ naturæ*, teſte Lugone habetur apud S. Auguſtin. & Leonem. Nihilominus multi rejiciunt iſtam: *Chriſtus eſt Divinitas, & humanitas*, eo quod Chriſtus ſpecificative, & in recto dicat perſonam, de qua duæ naturæ non poſſunt identice prædicari; hinc ut vera ſit, Chriſtus debet ſumi reduplicative, vel potius collective tanquam compoſitum, ſicut ſumitur, quando dicimus: *Chriſtus conſtat ex duabus naturis.* Syllogismus in confirmat. poſitus mutat ſuppoſitionem; nam in majore Chriſtus accipitur quidditative pro utraque natura: in minore ſpecificative

cative pro ſuppoſito habente naturam humanam paſſibilem; in Concluſione denique partes ſumuntur diſtributive.

QUÆSTIO IV.

An in Chriſto detur duplex voluntas, & operatio?

Dicendum. In Chriſto datur duplex voluntas, & operatio, Divina & humana. Eſt de fide contra Monothelitas. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Chriſtus Matth. 26 verſ. 39 ait: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Joan. 5 verſ. 30: *Non quæro voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.* In his, & ſimilibus textibus Chriſtus expreſſe diſtinguit ſuam voluntatem a voluntate Patris; ergo humanam a Divina; nam hæc ipſi cum Patre erat communis. Hinc S. Gregorius Nyſſen. lib. contra Apollinarem inquit: *Alia eſt humana voluntas, alia Divina. Qui enim dixit: Non mea, humanam hoc ſermone ſignificavit; addens vero tua, oſtendit conjunctionem ſuæ Deitatis ad Patrem, cujus nulla eſt voluntatis differentia propter communitatem naturæ.* Et S. Auguſtinus lib. 2 contra Maximin. cap. 2: *In hoc quod ait, non quod ego volo, aliud ſe oſtendit voluiſſe* (videlicet inefficaciter, & ſub diverſa ratione, ut inferius explicabitur) *quam Pater, quod niſi humano corde non potuiſſet.* Confirm. Ex illis Scripturæ locis, in quibus Chriſtus dicitur triſtari, indignari, obedire &c. quæ in illum ut DEUM cadere non potuerunt, nec dari ſine voluntate humana.

231

Prob. 2 auctoritate Conciliorum, a quibus con fixus eſt Monothelismus, nempe a Concilio Lateranenſi ſub Martino I, quod can. 10 duas Chriſti Domini voluntates, Divinam, & humanam expreſſe definit. A Romano ſub Agathone, ubi Patres do-

232

ctrinam circa duas voluntates, & operationes profitentur, se hausisse ex Apostolica, & Evangelica traditione. A Synodo Generali VI, cujus definitio fidei act. 18 ita habet: *Duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam prædicamus, & duas voluntates non contrarias, sed humanam subjectam Divinæ ejus, atque Omnipotenti voluntati.* Eandem veritatem tradiderunt summi Pontifices, Martinus I in epist. Encyclica ad omnes fideles. Leo II in epist. ad Constantinum Pogonatum, in qua acta Synodi VI confirmat. Eugenius IV in decr. ad Armen. Item SS. Patres, tam qui ante, quam qui post damnatum Monothelismum scripserunt, quorum testimonia exhibent Petavius, Simonet, &c.

233 Prob. 3 ratione Theologica. Dantur in Christo duæ naturæ distinctæ, impermixtæ, ac inconfusæ, Divina, & humana; ergo etiam duæ distinctæ voluntates, & operationes; quippe voluntas Divina est identificata cum natura Divina, voluntas vero humana juxta omnes est saltem proprietas naturalis necessario ex natura humana emanans. Unde S. Joannes Damascenus lib. 3 de orthod. fid. cap. 15 ait: *Cum itaque duæ in Christo naturæ sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est: quorum enim diversa natura est, horum quoque dispar est actio.* Ex quibus colligis, Christum etiam habuisse duplicem intellectum, tum quia etiam intellectus est proprietas naturæ humanæ, tum quia voluntas, & volitio necessario præsupponunt intellectum, & intellectionem: atqui humanitas non potuit intelligere per intellectionem increatam Verbi. Nam intellectio est actus vitalis, qui non tantum debet uniri suo principio vitali, sed ab eodem etiam produci, cum nemo vivat per actionem ab alio productam. Sane Christus etiam ut homo loquebatur, docebat &c. ergo ut homo etiam intelligebat.

Obje-

Objectiones.

Obj. 1. S. Dionyſ. Areopag. lib. de Divin. Nomin. docet, *unam eſſe in Chriſto Dei virilem actionem.* Et epiſt. 4 ad Cajum inquit: *Ab Incarnationis tempore non ſecundum DEUM Divina geſſit Chriſtus, nec humana ſecundum hominem: verum DEO viro facto novam quamdam Theandricam, ſeu DEI virilem operationem expreſſit in vita;* ergo in Chriſto tantum datur una operatio DEI virilis. Reſp. Tranſ. ant. diſt. conſ. Ergo in Chriſto datur una operatio DEI virilis unitate ſuppoſiti, tranſ. conſ. unitate ipſius actionis, neg. conſ. Primus textus teſte Martino I in Concilio Lateranenſi ab Eutychianis eſt corruptus. Cum enim S. Dionyſius ſcripſerit *novam DEI virilem actionem*, illi voculæ *novam* ſubſtituerunt *unam*, quia per hanc ipſam vocem DEI virilis duplex natura Chriſti potius confirmabatur. In altero textu S. Doctor ſolum indicat, quod Chriſtus Divina non geſſerit ſeparatim ab humanitate, nec humana ſeparatim a Divinitate, præſertim ſpectando actiones miraculoſas, & mixtas, quæ concurſum utriusque naturæ requirebant, & ſingulariter Theandricæ, ac DEI viriles appellantur, ut quando Chriſtus verbo ſuſcitavit mortuos, tactu curavit morbos &c. Porro quia natura non poteſt operari, niſi ſubſiſtens, & actiones ipſi ſuppoſito tribuuntur, etiam omnes reliquæ actiones Chriſti poſſunt Dei viriles nuncupari, & ſic dici una unitate ſuppoſiti.

234

Dices 1. S. Cyrill. lib. 4 in Joan. affirmat, *Chriſtum unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas oſtendiſſe* S. Gregor. Nazianz. orat. 3: *Chriſti voluntatem non fuiſſe DEO contrariam, quia tota Deificata fuit.* Reſp. S. Cyrill. in Synod. VI act. 4 expreſſe ait: *Quæ DEO decenter dicta, vel acta ſunt, oſtendunt Salvatorem Chriſtum DEUM, & iterum, quæ ſecundum hominem dicta ſunt, vel facta, oſtendunt veraciter hominem;* itaque ut bene reſpondit S. Ma-

235

ximus disput. cum Pyrrho. S. Cyrillus ideo solum dixit unam cognatam operationem per ambas naturas, quia utraque fuit arctissime unita, ita, ut unum tantum fuerit suppositum agens, & sic utraque natura concurrerit, humana operando, Divina dignificando. Ad auctoritatem Gregorii Nazianz. idem Maximus in Synodo VI respondit, illius verbis voluntatem humanam potius adstrui, quam everti; quia, si datur in Christo voluntas Divinæ non contraria, sed Deificata, hæc certe est humana, Divina enim nec proprie Deificata, nec nisi inepte DEO non contraria dici potest.

236 Dices 2. S. Athanasius lib. de salutari Christi adventu ait, *Christum fuisse sine carnalibus voluntatibus, & cogitationibus, quia solius Divinitatis voluntas in eo fuit.* S. Gregorius Nyssen. adversus Eunomium, *Divinitatem per corpus, quod assumpsit, salutem hominum ita fuisse operatam, ut sit passio quidem carnis, DEI autem operatio.* Resp. Testimonium S. Athanasii a Macario Antiocheno, & Stephano ejus discipulo fuisse truncatum. Et si totum poneretur, a Christo tantum excluderet voluntates, & cogitationes carnales, culpabiles, ac perversas, ut in Synod. VI act. 8 advertit Theophanes Presbyter, & Abbas Monasterii Bajas. Hinc in Christo solius Deitatis voluntas non fuit quoad entitatem, sed quoad directionem, qua Divinitas Christi omnes actiones humanas regebat. S. Gregorius vel solum voluit ostendere, DEI operationem in redemptione hominum potissimam sibi partem vindicasse, vel ejus testimonium non sincere refertur. Citatur enim ex epistola Sergii ad Honorium; constat autem, & in Synodo VI detectum est, plurima Patrum testimonia a Monothelitis corrupta fuisse, & quosdam libros ab ipsis falso attributos veteribus, uti Mennæ ad Vigilium Papam de una Christi voluntate, & ipsius Vigilii ad Justinum, & Theodorum.

Obj. 2.

Obj. 2. Ubi tantum eſt una perſona, ibi tantum una eſt operatio; actiones enim ſunt ſuppoſitorum; atqui in Chriſto datur tantum una perſona: ergo. Confirm. Voluntas, & operatio ſunt proprietates perſonæ; ergo. Reſp. neg. maj. Quamvis actiones ſint ſuppoſitorum, in quantum illis tribuuntur tanquam ſubjecto denominationis, & ideo in Chriſto detur unicus volens, & unicus operans, tamen natura eſt principium elicitivum operationum. Sicut igitur in Chriſto duplex eſt natura, ita in illo datur duplex operatio, & duæ naturæ volentes. Ad confirm. neg. ant. Alias in DEO ob tres diſtinctas hypoſtaſes, ac perſonas deberent admitti tres voluntates, & tres operationes, ut advertit S. Agatho in epiſt. ad Imperator. quæ refertur act. 4 Synodi VI. Itaque voluntas eſt proprietas naturæ, & quidem eſſentialis, volitio autem naturalis, & libera: *Naturales, non perſonales voluntates, atque operationes eſſe dicimus*, inquit S. Damaſcen. de duabus Chriſti voluntatibus. 237

Dices. Humanitas Chriſti eſt organum, ſeu inſtrumentum Divinitatis, ut paſſim ajunt SS. Patres; atqui inſtrumentum non habet operationem propriam, & diſtinctam ab operatione cauſæ principalis, ut patet in calamo, qui unice ſequitur motum a ſcribente ſibi impreſſum. Confirm. Quia in DEO eſt unica natura, & operatio, datur unicus operans; ergo ſi in Chriſto datur duplex natura, & operatio, dantur in illo duo operantes. Reſp. diſt. maj. Humanitas Chriſti eſt organum Divinitatis mere paſſivum, & inanimatum, neg. maj. activum, & animatum anima rationali, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Humanitas a SS. Patribus dicitur inſtrumentum Divinitatis, ſeu Verbi, quia Verbum vere, ac proprie ſalutem noſtram operatum eſt per humanitatem ſuam, cujus actiones, & merita tanquam principium quod dignificavit. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Sicut ſola multiplicitas perſonarum non 238

 facit

facit, ut dentur plures operantes, quia principium ut quod se habet per modum substantivi, quod non multiplicatur, nisi etiam multiplicetur forma, nempe virtus, & operatio: ita plures actiones necdum faciunt, ut dentur plures operantes, quia esse principium ut quod est proprietas personalis.

239 Obj. 3. Si in Christo admittitur voluntas humana, hæc fuit contraria voluntati Divinæ; nam voluntas humana refugiebat mortem, quam Divina imperabat: atqui hoc est contra definitionem Synodi VI, & ipsam Scripturam, in qua Christus Joan. 4 v. 34 de se testatur: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Et cap. 5 v. 30: *Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Confirm. Si voluntas humana fuit perfecte subjecta Divinæ, non habuit dominium suorum actuum: ergo. Resp. neg. maj. Rationem additam dist. Voluntas humana refugiebat mortem actu efficaci neg. solum inefficaci, conc. Christus voluntate efficaci, semper idem voluit, quod Pater. Sic, quia Pater voluit, ut humanæ salutis causa moreretur, perfectissime consensit etiam voluntas humana Christi: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isai. 57 v. 7. Ad confirm. neg. ant. Voluntas Divina direxit quidem voluntatem humanam, sed illi non sustulit libertatem; hinc voluntas humana Divinæ fuit quidem perfectissime subjecta, sed libere.

240 Dices. Voluntas humana saltem actu inefficaci refugiebat mortem: *Pater! si possibile est, transeat a me calix iste,* Matth. 26 v. 39: ergo adhuc in Christo dantur voluntates contrariæ. Confirm. Ipse Christus vers. cit. dicebat: *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu. Per quæ verba,* ait S. Augustinus, *aliud se ostendit voluisse, quam Pater.* Resp. dist. ant. Actu inefficaci refugiebat mortem sub illa ratione, sub qua mors a DEO imperabatur, neg. ant. sub alia diversa ratione, conc. ant. & neg. cons. Ubi nulla datur discrepantia circa idem objectum sub eadem ratione

ratione ſpectatum, nulla eſt voluntatum contrarietas; jam vero DEUS imperabat mortem tanquam medium ſalvandi homines, Chriſtus autem inefficaciter illam refugiebat tanquam malam, & incommodam naturæ, qui actus inefficax erat omnino conformis voluntati Divinæ. Sicut enim DEUS abſolute voluit, Chriſtum mori, ſic voluit, ut pateretur internas illas afflictiones triſtitiæ, pavoris, & tædii, quibus inefficaciter a morte tanquam malo naturæ abhorrebat. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Ex antecedente tantum ſequitur, quod Chriſtus aliud voluerit voluntate inefficaci, & ſub diverſa ratione; interim nunquam voluit aliud, quam Pater voluit, ipſum velle.

241 Cæterum ex dictis deduces 1, quod omnes actiones Chriſti ſint unius & ejusdem operantis, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & in Chriſto unicum datur ſuppoſitum, 2. Quod, licet ſit unus operans, tamen naturæ, & operationes ſint diſtinctæ; hinc probe diſtinguendum, quid hic operans, & ex qua natura faciat. 3. Quod una natura non agat ſeparatim ab alia, & actiones humanæ Chriſti nutu Divinitatis fuerint gubernatæ. 4. Quamvis voluntas Chriſti inefficax, & quaſi conditionata non ſemper fuerit impleta, nihilominus illa voluntas humana, qua Chriſtus omnino abſolute, efficaciter, & absque reſtrictione aliquid voluit, ſemper ſortita eſt ſuum effectum; tum quia nihil ita voluit, niſi quod perficere potuit, & honeſtiſſimum, ac prudentiſſimum erat: tum quia voluntas efficax Chriſti ſemper fuit conformis voluntati Divinæ.

QUÆSTIO V.

An Verbum humanitati ſit unitum in unitate perſonæ?

242 Dicendum: In Chriſto datur unica perſona Verbi, adeoque unio hypoſtatica facta eſt in unitate perſo-

personæ. Est dogma fidei contra Nestorium. Prob. 1, Quia in Scriptura eadem Christi persona simul homo, & DEUS dicitur; sic cum Christus Matth. 16 v. 13 quæreret: *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* respondit v. 16 Petrus: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Similiter Joan. 9 v. 35, dum Christus cæco illuminato dixit: *Credis in Filium DEI?* ille respondit: *Quis est Domine, ut credam in eum?* dixitque ei JEsus: *Et nosti eum, & qui loquitur tecum, ipse est:* ergo ille ipse homo, qui natus ex Maria Virgine Filius hominis erat, & qui loquebatur cum cæco, fuit Filius DEI, ejusque Verbum æternum; ergo idem Christus est DEUS, & homo, Filius DEI, & Filius hominis, non propter unitatem naturæ, ut quæst. 3 ostendimus: ergo propter unitatem personæ. Confirm. Eidem Christo tribuuntur, quæ sunt naturæ humanæ: *Factus ex muliere*, ad Gal. 4 v. 4. *Formam servi accipiens*, ad Philipp. 2 v. 7. Et quæ sunt propria naturæ Divinæ: *Ego & Pater unum sumus*, Joan 10 v. 30. *Exivi a Patre*, Joan 16 v. 27: ergo evidens signum est, in eodem Christo dari duas naturas, & unam personam; actiones enim, ut sæpe diximus, sunt suppositorum.

243 Probat. 2 auctoritate Symbolorum, & Conciliorum. In Symbolo Apostolorum: *Filius DEI dicitur conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* In Symbolo S. Athanasii: *Qui licet DEUS sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus, unus omnino unitate personæ.* In Symbolo Nicæno, seu Constantinopolitano: *Qui propter nostram salutem descendit de cælo, & incarnatus est, & homo factus.* Concilium Ephesinum ex professo dogma nostrum adversus Nestorium definivit, & probavit anathematismos S. Cyrilli. Quorum secundus sic habet: *Si quis non confitetur DEI Patris Verbum carni secundum hypostasin unitum, unumque esse Christum, eundem nimirum DEUM simul, & hominem, anathema sit.* Idem in professione fidei clare confitetur

tur Concilium Chalcedonenſe, & Synodus General. V collat. 8 anathematiſmo 4to. Profecto niſi in Chriſto daretur unica perſona, rueret myſterium Incarnationis, redemptio generis humani, & tota Religio Chriſtiana: ſi enim in Chriſto eſſet duplex perſona, Divina nec pati, nec mori, nec pro nobis ſatisfacere potuiſſet: humana autem, utpote finita, non potuiſſet condignum pro nobis pretium offerre.

244 Prob. 3 auctoritate SS. Patrum, quorum aliqua teſtimonia jam adduximus diſput. præc. quæſt. 5. S. Irenæus lib. 3 cap. 16, alias cap. 18, ex Scripturis probat, unum & eundum eſſe Verbum DEI, & hunc eſſe unigenitum, & hunc incarnatum pro ſalute noſtra, JEſum Chriſtum Dominum noſtrum. S. Dionyſius Alexandrin. in epiſt. Synodica ad Paulum Samoſatenum, illum redarguit *tanquam hæreticum, duas hypoſtaſes, & duas perſonas aſſeverantem, ſive duos Chriſtos, duosque Filios.* S. Chryſoſtom. in epiſt. ad Cæſarium Monachum inquit: *Etſi duplex natura, verumtamen indiviſibilis, & indiſſipabilis unitio, quam in una filiationis confitetur perſona, & una ſubſiſtentia, & hypoſtaſi.* Similia habent S. Clemens Alexandrin. Tertullian. Cyprian. Hieronym. Ambroſ. &c. apud Simonet. Ratio a priori eſt, quia Verbum vere, ac realiter fuit unitum naturæ humanæ: ergo natura humana non amplius habuit ſubſiſtentiam ſuam propriam: ergo ſubſiſtit in eadem perſonalitate Divina, in qua ſubſiſtit natura Divina, conſequenter in Chriſto datur unicum ſuppoſitum, & unica perſona.

Objectiones.

245 Obj. 1. SS. Patres cum S. Ambroſio lib. 5 de fid. cap. 5 paſſim aſſerunt, Verbum aſſumpſiſſe *Hominem.* S. Baſilius apud Theodoretum in reprehenſ. anathemat. 5 Chriſtum vocat *Hominem Deiferum.* S. Athanaſius in expoſit. fid. *Hominem Deificatum.* S. Auguſtinus

gustinus *Hominem Dominicum*: ergo in Christo agnoscunt duas personas. Resp. conc. ant. neg. cons. Quando Patres dicunt, Verbum assumpsisse hominem, concretum accipiunt pro abstracto, hominem pro humanitate. In eodem sensu Christus ab ipsis potuit dici homo Deifer, Deificatus, Dominicus, in quantum nempe natura humana Verbo Divino hypostatice unita fuit. Equidem hos modos loquendi reprobavit S. Cyrillus in Nestorio, quia per illos indicare volebat, a Christo non tantum naturam, sed personam humanam assumptam fuisse. At in viris Catholicis, nec suspectis, omni vitio, & erroris suspicione carebant. Imo S. Basilius non Christum, sed carnem Christi Deiferam appellavit. S. Augustinus autem illam loquendi formam: Homo Dominicus lib. 1 retract. cap. 19 retractavit. Post illum Magist. Sentent. & S. Thomas maluerunt dicere: Homo Dominus: quod verissimum, si de toto Christo est sermo. Alii putant, per hominem Dominicum intelligi hominem Domini, id est, Patris; sed hæc ad modum loquendi pertinent, & ab intentione loquentis dependent.

246 Dices 1. S. Augustinus tract. 4 in Joan. Verbum vocat sponsum, & naturam humanam sponsam; atqui sponsus, & sponsa sunt duæ personæ: ergo. Confirm. Idem S. Doctor cum aliis Patribus docet, Christum esse aliud præter Verbum, & aliud præter hominem: ergo. Resp conc. maj. dist. min. Sponsus, & sponsa sunt duæ personæ in humanis, ubi physice non uniuntur, conc. min. in Christo, in quo natura est Verbo physice unita, neg. maj. S. Augustinus naturam humanam vocat sponsam Verbi propter aliquam analogiam, in quantum inter sponsum, & sponsam solet dari arctissima conjunctio, quin tamen hæc paritas sit adæquata. Hinc istum modum loquendi non probat D. Gregor. Homil. 38. Ad confirm. SS. Patres per aliud & aliud non intelligunt distinctas personas, sed naturas; sicut enim in

in DEO non datur aliud & aliud, quia una eſt natura, ſic in Chriſto non datur alius & alius, quia una eſt perſona. Unde juxta Lugonem in rigore etiam non poteſt dici, quod Chriſtus ſit plura, aut plures, eoquod per has voces denotarentur plura entia totalia, ſeu diſtincta ſuppoſita.

247 Dices 2. S. Chryſoſt. in Chriſto clare agnoſcit duas perſonas; nam Homil. 3 in cap. 1 epiſtolæ ad Hebr. poſtquam attulit textum Pauli: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te DEUS, DEUS tuus oleo exultationis* &c. ait, *Apoſtolum hoc teſtimonio ferire Judæos, & variarum ſectarum hæreticos: Judæos quidem, oſtendens duas perſonas, & DEUM, & hominem.* Reſp. Sixtus Senenſis lib. 6 Bibliothecæ Sanctæ annot. 329 ſuſpicatur, locum Chryſoſtomi etiam in Græcis codicibus depravatum eſſe. Nam Theophilactus S. Chryſoſtomi diſcipulus referens hæc eadem verba, omiſſa hominis mentione, bis ponit nomen DEI: *Tanquam duas perſonas indicans DEUM, & DEUM;* ſcilicet DEUM Patrem, & Filium. Quæ conduplicatio aptiſſime congruit cum propoſita Pauli ſententia: *Unxit te DEUS, DEUS tuus.* Immo ipſe Chryſoſt. Homil. 5 de incomprehenſibili DEI natura, verba S. Pauli de duabus SS. Trinitatis perſonis Patre, & Filio interpretatur. Si tamen textus eſſet incorruptus, per DEUM deberet intelligi perſona Patris, per hominem perſona Chriſti ſimul DEI & hominis, cum S. Doctor in citata epiſt. ad Cæſarium unam Chriſti perſonam aperte adſtruat, nec ejus auctoritas unquam a Neſtorianis fuerit allegata.

248 Obj. 2. In Chriſto dantur duæ naturæ individuæ, & ſingulares: ergo duæ perſonæ; quippe perſona ex Boetio nihil aliud eſt, quam ſubſtantia prima ſingularis, & individua. Confirm. Humanitas Chriſti habuit omnes ſuas proprietates, & quidquid ad dignitatem naturæ humanæ pertinet; atqui ſubſiſtentia eſt proprietas naturæ humanæ, pertinens ad ejus

ejus dignitatem: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Boetius per substantiam primam individuam, & singularem non intellexit qualecunque individuum particulare, sed individuum alteri digniori per unionem incommunicabile, & ultimato terminatum. Aliter quidem hos terminos dicitur intellexisse Aristoteles, nempe per substantiam primam, naturam singularem, per substantiam secundam, universalem; sed non est mirum, cum differentia naturæ a supposito primum per ipsum Mysterium Incarnationis innotuerit. Ad confirm. transf. maj. dist. min. subsistentia vel propria, vel aliena est proprietas naturæ, conc. min. subsistentia propria, subdist. supernaturaliter tamen a natura separabilis, conc. min. aliter, neg. min. & conf. Subsistentia non tam est proprietas naturæ, quam personæ, & naturæ humanæ longe gloriosius, & melius est subsistere in Verbo, quam in se ipsa.

249 Dices. Si in Christo daretur unica persona, hypostasis Verbi facta esset hypostasis naturæ humanæ: hoc absurdum: ergo. Confirm. Tali modo unus de SS. Trinitate fuisset incarnatus, passus, & mortuus; atqui hoc tanquam erroneum damnavit Hormisdas Papa: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. Nihil est absurdi, quod idem Verbum simul reddat naturaliter subsistentem naturam Divinam, & supernaturaliter humanam; hinc isto modo loquendi usi sunt S. Damascenus, Euthimius, & Epiphan. apud Petav lib. 3 cap. 13. Ad confirm. Si τὸ unus sumatur non tantum personaliter, sed substantialiter quatenus simul involvit naturam humanam, in qua persona verbi passa est, conc. maj. neg. min. Hormisdas hanc propositionem nunquam erroris condemnavit, sed tantum silentio premendam judicavit, tum, quia erat nova, & dissidiorum causa, cum multi orthodoxi initio putarent, illam defendi in gratiam Arianorum, Apollinistarum, vel Eutychianorum, asserentium, ipsum Verbum secundum se, vel naturam Divinam passam esse; tum, ut reprimeret

ret pertinaciam Monachorum Scythiæ, qui contendebant, hanc loquendi formam neceſſario adjiciendam eſſe definitioni Concilii Chalcedonenſis. Interim hæc propoſitio approbata eſt in Synodo Generali V, & a Joanne II Pontifice in epiſt. ad Senatores Conſtantinopolitanos.

250 Obj. 3. Perſona Chriſti eſt compoſita: ergo involvit duas perſonas ſimplices. Ant. patet ex Synodo V Generali, ubi collat. 8 anathematiſmo 4 expreſſe dicitur: unitionem Verbi factam eſſe *ſecundum compoſitionem, & ſubſiſtentiam Chriſti eſſe compoſitam.* Idem docent SS. Patres cum S. Damaſcen. lib. 3 de orthod. fide cap. 4. Confirm. Si perſona Chriſti eſt compoſita, Chriſtus non ſubſiſtit in ſolo Verbo: ergo. Reſp. diſt. ant. Perſona Chriſti eſt compoſita, ſi ſpectetur ſecundum ſe, neg. ant. ſi ſpectetur relate ad naturas, in quibus ſubſiſtit, conc. ant. & neg. conſ. Perſonalitas Chriſti ſecundum ſe non eſt aliquod compoſitum ex ſubſiſtentia, & Divinitate Verbi, vel humanitate, ſed in ſe eſt ſimpliciſſima; quia tamen ſubſiſtit in duabus naturis, recte dicitur compoſita quoad modum ſubſiſtendi, neque plus voluere SS. Patres, & Synodus V, quæ loc. cit. illud ſecundum compoſitionem opponit Eurychianis, & Neſtorianis, quorum primi dixere, unitionem factam eſſe ſecundum confuſionem naturæ Divinæ, & humanæ; poſteriores, illam fuiſſe factam ſecundum affectum. Ad confirm. redit data diſtinctio, ſub qua conc. ant. neg. conſ.

251 Dices. Chriſtus etiam ut homo, ſeu in quantum eſt homo, eſt perſona: ergo perſonalitas Chriſti componitur ex Verbo, & humanitate. Confirm. Si perſona Chriſti eſt compoſita ex natura Divina, & humana, perſona Chriſti eſt creata; hoc falſum: ergo. Reſp. diſt. ant. In quantum eſt homo, eſt perſona, id eſt, ſuppoſitum humano-Divinum. tranſ. ant. id eſt, habet perſonalitatem humanam, neg. ant. & conſ. Quamvis ſuppoſitum humano-Divinum com-

componatur ex humanitate, & personalitate Verbi, non tamen ex illis componitur ipsa personalitas Verbi. Imo hanc propositionem: *Christus ut homo est persona*, simpliciter prolatam, dicunt, non esse admittendam, ne videatur probari error Nestorianus: pariter non probant istam: *Christus ut homo est persona humana*; etsi sit vera, si tantum accipiatur in hoc sensu, quod Christus sit persona subsistens in humanitate, in quo sensu illam usurpavit S. Ambros. & Damascenus. Ad confirm. neg. maj. Equidem etiam hæc propositio posset ita exponi, quod personalitas Divina cum natura creata constituat unum suppositum; at hic sensus non est obvius, sed propositio potius videtur affirmare, quod ipsa personalitas Christi sit creata.

QUÆSTIO VII.

An B. Virgo vere sit, & dici debeat Dei Genitrix, sive Deipara?

252 Dicendum: B. Virgo vere est, & dici debet Deipara. Est dogma contra Nestorium. Prob. Isai 7 vers. 14 dicitur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum DEUS.* Luc. 1 vers. 35: *Quod nascetur ex te vocabitur Filius DEI.* Ad Gal. 4 vers. 4: *Misit DEUS Filium suum factum ex muliere.* In quibus locis ille ipse, qui natus est ex B. Virgine, vocatur DEUS, & Filius DEI; ergo B. Virgo est DEI Genetrix, non quasi vel ipsam Deitatem, vel DEUM purum genuerit, sed quia genuit eum, qui simul est DEUS, & homo propter unionem hypostaticam utriusque naturæ, Divinæ, & humanæ in unam Christi personam. Probat hoc dogma nostrum S. Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas multis veterum testimoniis, inter quæ est illud Theophili Episcopi: *Hoc unum non prætermiserim, optimos, ac sapien-*

sapientissimos quosque Patres, quotquot ante nos exstiterunt, omnes Sacram Virginem Deiparam appellare, ut adeo ob manifesta Scripturæ testimonia, & indubitatam Patrum auctoritatem merito Gregor. Nazianz. orat. 51 dixerit: *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est.*

253 Probat 2 ex Symbolis, & Conciliis. In Symbolo Apostolorum credimus *in JEsum Christum Filium DEI, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, postquam declaravit, Christum esse DEUM de DEO, & Patri consubstantialem, statim addit: *Qui incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Concilium Ephesinum ex professo hanc veritatem definivit in primo S. Cyrilli anathematismo: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere DEUM esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Patris Verbum secundum carnem) anathema sit.* Synodus quoque Generalis V anathema dicit *Asserenti, sanctam gloriosam semper Virginem Mariam abusive, & non vere, & proprie DEI genitricem esse.* Confirm. Christus est DEUS, sed Christus est Filius B. Virginis; ergo DEUS est Filius B. Virginis: ergo B. Virgo est Dei genetrix. Hoc syllogismo, cujus utraque præmissa est revelata, utebatur S. Cyrillus loco supra citato.

254 Ex his patet, B. Virgini competere, quidquid ad Matrem DEI vere talem requiritur; quænam autem ista sint, Auctores non conveniunt. Juxta SS. Patres Bedam, Fulgentium, Leonem, Cyrillum &c. B. Virgo ideo vere, & proprie est DEI genitrix, quia DEUM hominem factum, & incarnatum genuit, in quantum videlicet Verbum per unionem hypostaticam sibi propriam fecit illam carnem, seu humanitatem, quam B. Virgo genuit, & quidem in ipso conceptionis instanti. Hinc Maternitas DEI juxta Ulloam dicit 1, quod illud corpus, cui anima Christi infusa

est,

est, fuerit sanguis B. Virginis. 2. Quod hic sanguis non fuerit mixtus semine virili, quia scilicet fuit Mater, & Virgo. 3. Quod Verbum in ipso conceptionis instanti hoc corpus per unionem hypostaticam sibi fecerit proprium. Addunt aliqui 4, quod B. Virgo supernaturaliter elevata in unionem hypostaticam influxerit physice. Verum hunc influxum physicum ad Maternitatem DEI nullibi requirunt SS. Patres.

Objectiones.

255 Obj. 1. Ad Heb. 7. Filius Dei dicitur esse sine Matre, & genealogia: ergo B. Virgo non est Deipara. Confirm. Quando in Scriptura Christus dicitur natus ex Virgine, nunquam adhibetur nomen DEUS, sed Christus, aut filius, aut Dominus, neque ante S. Leonem aliquis Patrum B. Virginem Deiparam, aut Matrem Dei appellavit; ergo. Resp. dist. ant. Filius Dei dicitur esse sine Matre, & genealogia quoad naturam Divinam, conc. ant. quoad naturam humanam, neg. ant. & cons. Cum in eodem Christo detur duplex natura, sæpe illi aliquid convenit secundum unam, non item secundum alteram. Sic secundum naturam humanam est passus, & mortuus, secundum Divinam est impassibilis, & immortalis. Ad confirm. Quamvis nomen DEUS non adhibeatur explicite, satis adhibetur implicite, eoquod ille ipse, qui ex Virgine natus est, clare appelletur DEUS, & Filius DEI. Porro ex S. Cyrillo manifeste constat, quod nomen Deiparæ jam ante S. Leonem multis Patribus fuerit usitatum, nec ab ullo Doctorum Ecclesiasticorum reprobatum. Idem fatetur Joannes Antiochenus in epistola, qua Nestorium hortatur, ut etiam ipse nomen Θεοτόκος admittat.

256 Dices. S. Hilar. lib. 10 de Trinit. num. 16 ait: *Corpori Christi Mariam originem non dedisse, licet ad incre-*

incrementa, partumque corporis omne, quod sexus sui naturale est, contulerit. Confirm. Juxta S. Augustinum lib. 2 de Grat. Christi cap. 27: *Caro Christi jam fuit in Adam, & Abraham secundum corpulentam substantiam.* Quidam vero ex Hebræis docent, DEUM jam in Adamo particulam quamdam a labe peccati immunem elegisse, eamque per omnes progenitores fuisse transfusam, ut ex illa Christi corpus formaretur. Resp. dist. ant. Corpori Christi originem non dedisse more cæterarum mulierum ex commercio viri, conc. ant. modo singulari cooperante Spiritu Sancto, neg. ant. *Virgo,* inquit S. Pater, ibidem num. 15, *quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, tamen JEsus Christus non per humanæ conceptionis coaluit naturam.* Ad confirm. Secundum S. Augustinum materia corporis Christi præcessit in Adamo, & Abrahamo tanquam in principio activo, non autem tanquam in principio materiali; alias B. Virgo nequidem fuisset Mater Christi; unde figmentum Hebræorum a Christianis merito exploditur.

Obj. 1. B. Virgo non genuit Divinitatem; ergo tam parum potest dici Mater DEI, quam Dea. Confirm. Actio generativa B. Virginis attigit solam humanitatem, non vero hypostasin Divinam; neque ex eo, quod influxerit in humanitatem, hypostasis Divina sequebatur: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Ut generetur aliquod compositum, non debent generari omnes partes, quemadmodum manifeste patet in generatione hominis, in qua præcipua pars, nempe anima rationalis, non generatur; sicut ergo proprie mater hominis dicitur, quæ gignit eum, qui est homo: sic B. Virgo proprie est Mater DEI; quia genuit eum, qui est DEUS, licet ipsa Divinitatem non genuerit, ut in epist. ad Monachos num. 16 respondit S. Cyrillus. Ad confirm. trans. ant. neg. conf. Modo Verbum in primo conceptionis instanti

humanitati Christi aliunde fuerit unitum, jam verum est, B. Virginem genuisse illum, qui est DEUS. Alii cum Vega dicunt, ipsam actionem generativam terminatam fuisse ad Verbum in natura humana subsistens, tanquam ad terminum ultimatum, quia juxta SS. Patres, & D. Thomam personæ attribuitur, & hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur, & nascitur.

358 Dices. Ex una substantia non possunt generari duæ substantiæ; ergo cum DEUS & homo sint duæ substantiæ, B.Virgo non potest esse simul Mater DEI, & hominis. Confirm. Mater Filio suo debet esse consubstantialis, sed B. Virgo filio Divino non fuit consubstantialis; ergo. Resp. dist. ant. Si duæ naturæ separatæ generentur, omitt. ant. si una per se non generatur, sed tantum ratione alterius, cum qua ita convenit in unam hypostasin, ut verus sit Filius, qui duplicem naturam habet, neg. ant. Ita respondit Ferrandus Diaconus in epistola ad Anatolium dicens: *In magno illo, & mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne Divina, substantia secundum humanam substantiam proprie nata est - - proprie est nata de Patre Divinitas pura, proprie est nata de Matre Divinitas incarnata.* Ad confirm. dist. maj. Mater debet esse Filio consubstantialis aliqua ex parte, nempe secundum naturam humanam, conc. maj. omni ex parte, & etiam secundum naturam Divinam, neg. maj. & sic dist. min. neg. cons. Equidem hujus rei frustra exemplum quæreretur in rebus humanis; at ex hoc tantum sequitur, quod Incarnatio Verbi, & subsistentia illius in duabus naturis sit Mysterium singulare.

359 Obj. 2. B. Virgo non potest dici Mater Verbi Divini; ergo neque Mater Filii DEI. Confirm. Quia sic B. Virgo esset causa DEI; mater enim est causa Filii. Resp. dist. ant Non potest dici Mater Verbi Divini ratione Divinitatis, & quoad generationem æternam, conc. ant. ratione humanitatis, & quo ad generationem temporalem, qua Verbum humanf-

manitatem hypostatice sibi univit, neg. ant. Tournelius horret dicere Mariam matrem Verbi, quia, ut ait, nomine Verbi denotatur terminus solius generationis æternæ; at Scriptura, & Patres Verbum perinde, ac Filium DEI temporalis quoque generationis terminum statuunt. Sic Joan. 1 dicitur *Verbum caro factum*, id est genitum secundum carnem. Synodus Ephesina anathematismo 1 cum S. Cyrillo profitetur, *Quod Maria secundum carnem genuerit Verbum Patris*. Idem in terminis affirmat S. Justin. Mart. Irenæus, Hippolit. Episcop. & Mart. apud Petav. lib. 5 cap 14. Ratio est, quia Verbum, & Filius DEI nec re, nec ratione differunt; ergo de uno debemus loqui, sicut de altero. Ad confirm. eadem est responsio; sicut enim gignere non solum determinat naturam, sed etiam suppositum, sic etiam causare, vel causari.

Dices. Si B. Virgo potest dici Deipara, eodem jure potest dici Christipara, & Mater hominis; atqui isti modi loquendi a Patribus fuere reprobati in Nestorio: ergo. Confirm. Juxta nos B. Virgo esset Mater supernaturalis; hoc est contra S. Ephrem, qui dicit, quod ex natura sua pepererit Filium. Resp. Quod B. Virgo sit Mater Christi, adeo verum est, si vox ista in sano sensu accipiatur, ut nequidem posset dici Deipara, nisi esset Christipara; hinc a Patribus vox Christipara tantum proscripta est, tum quia non habebat vim satis expressam ad refutandos hæreticos, & in Scriptura etiam alii Christi vocantur; tum quia hæretici volebant, Virginem tantum esse Matrem Christi, non item DEI, adeoque per vocem Christipara voluerunt excludere Deiparam, quod cum longe magis videatur fieri, si dicatur Mater, seu Genitrix hominis, merito Catholicis ab ejusmodi locutionibus abstinendum. Ad confirm. conc. maj. cum S. Thoma quæst. 33 art. 1. Certum enim est, B. Virginem modo supernaturali ex Spiritu Sancto concepisse, licet postea naturaliter ad formationem, & nutritionem corporis Christi concurrerit, per quod

260

explicari poteſt S. Ephrem, vel intelligi de natura ſupernaturaliter elevata, & fœcundata.

261 Quæres, an B. Virgo phyſice etiam influxerit in unionem hypoſtaticam. Quæſtio hæc potiſſimum locum habet apud illos, qui unionem hypoſtaticam conſtituunt in entitate modali; qui enim eandem identificant cum ipſis extremis, utique debent admittere partialem influxum B. Virginis, in quantum videlicet tanquam Mater influxit in humanitatem Chriſti. Ex Modiſtis Rhodes, Hurtado, aliique Recentiores contra communiorem docent, B. Virginem ita ſupernaturaliter fuiſſe elevatam, ut tanquam cauſa inſtrumentalis phyſice unionem hypoſtaticam produxerit. Ratio eſt, quia iſte concurſus fuit poſſibilis, Matri Divinæ valde glorioſus, & fundatur in Patribus. Sic S. Epiphan. orat. de Deipara ait: *Ipſa enim cœli, terræque Mediatrix unionem effecit.* Heſichius Homil. 2 de B. *Virgine* illam vocat *Inſtrumentum Incarnationis.* Quæ ſi vera ſunt, utique ſerviunt ad melius explicandam maternitatem DEI. Dixi tamen, cauſa inſtrumentalis. Nam cauſa principalis efficiens utique fuit SS. Trinitas, ut patet tum ex eo, quia opera ad extra ſunt communia toti Trinitati: tum ex Concil. Lateranenſi III cap. *Firmiter* §. 1, ubi dicitur: *Tandem Unigenitus Chriſtus JEſus a tota Trinitate communiter incarnatur.*

QUÆSTIO VII.

An, & quænam in Chriſto detur communicatio idiomatum?

262 Idiomata alias proprietatem ſermonis, hic autem attributum, proprietatem, vel quodcunque prædicatum cujuslibet rei ſignificat. Unde per communicationem idiomatum in Chriſto intelligitur mutua prædicatorum utriusque naturæ communio talis, vi cujus prædicata naturæ Divinæ propria de homine, &

& vicissim prædicata naturæ humanæ propria de DEO possint in recto affirmari, e. g. dicendo: Homo est DEUS: DEUS est homo: homo est immortalis, & impassibilis; DEUS est passus, mortuus, &c. Porro nomen prædicabile aliud dicitur abstractum, quod tantum significat formam, vel quasiformam, ut Divinitas, humanitas, albedo &c. Aliud dicitur concretum, quod simul formam, & subjectum exprimit, & siquidem forma sit substantia, erit concretum substantiale, uti homo, DEUS; si autem formæ sit accidens, erit concretum accidentale, uti album. Præterea concreta substantialia vel sunt concreta naturæ, quia expressius naturam indicant, uti DEUS, homo; vel sunt concreta personæ; quia expressius significant personalitatem, uti suppositum, pater, filius, &c.

269 Quod in Christo detur communicatio idiomatum in concreto, certum est contra Nestorium. Cum enim in Christo natura Divina, & humana ita hypostatice sint unitæ, ut in unica persona Verbi subsistant, hoc ipso de uno eodem Christi supposito in concreto possunt prædicari, tum utraque natura, tum ea, quæ utriusque naturæ propria sunt. Patet 1 ex Scriptura, in qua Filius DEI naturalis dicitur natus ex Virgine, passus, mortuus &c. & vicissim Filius hominis vocatur DEUS fortis, admirabilis &c. 2. Ex Symbolis & Conciliis, quæ Christum passim prædicant tanquam Filium DEI unigenitum, ex Patre natum ante sæcula, DEUM de DEO &c. simulque dicunt, eundem incarnatum ex Maria Virgine, passum &c. 3. Ex SS. Patribus: omnium loco sit S. Cyrillus, qui in sua epistola, *intelligo quosdam*, a Synodo Ephesina approbata sic habet: *Is, qui ante omnia sæcula, natus est ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus; non quia Divina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium, sed quia propter nos, & propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam, & processit ex muliere - - ideo dicitur na-*

 tus

rus esse carnaliter, sic illum dicimus & passum esse, & resurrexisse.

264 Ratio a priori est, quia in his, & similibus propositionibus semper datur identitas inter rectum subjecti, & prædicati, eo quod ex doctrina Scripturæ, & usu Ecclesiæ in recto importent subsistentiam, vel suppositum. Unde e. g. hæc propositio: *DEUS est homo*, variis modis, qui tamen in eundem sensum conspirant, exponi potest. 1. *Subsistentia terminans naturam Divinam, est subsistentia terminans naturam humanam.* 2. *Suppositum subsistens in natura Divina est simul subsistens in natura humana.* 3. *DEUS ratione humanitatis, quam sibi per unionem hypostaticam propriam fecit, est homo.* Quæ ultima expositio videtur esse conformior modo loquendi S. Cyrilli, aliorumque Patrum. Cæterum, ut S. Thomas 3 part. quæst. 16 art. 5 in corp. advertit, hæc concreta personalia Verbum, Filius DEI, Christus, JEsus unum quidem, idemque suppositum significant, attamen hoc discrimine, quod nomen Christi connotet in obliquo utramque naturam, nomen JEsus solam naturam humanam, cætera solam naturam Divinam.

265 Pariter contra Eutychianos certum est, quod non detur communicatio idiomatum inter naturam Divinam, & humanam, earumque proprietates in abstracto e. g. Natura humana est natura Divina: Humanitas est Divinitas: Mortalitas est immortalitas. 2. Inter abstracta naturæ, & concreta personæ e. g. Deitas est homo: Humanitas est DEus: Humanitas est immortalis: Divinitas est mortalis. 3. Inter abstracta naturæ, & personalitatem Verbi e. g. Verbum, vel personalitas Verbi est humanitas; Deitas est Verbum, seu personalitas Verbi. Quamquam enim hæc ultima propositio possit tolerari in sensu reali, quia tamen inter Verbum, & Deitatem datur distinctio virtualis, in sensu proprio, & formali non est vera. Ratio istorum omnium est, quia in his casibus vel omnino non, vel saltem non perfecta

datur

datur identitas inter rectum subjecti, & prædicati: Hinc quando in Ecclesia canitur: *In ligno mortua vita fuit*, terminus abstractus vitæ per tropum accipitur pro concreto DEUS. Eodem modo intelligendi sunt illi Patres, qui aliquando Deitatem incarnatam esse dixerunt.

266 Colliges 1. Concreta adjectiva, quæ significant proprietates naturæ Divinæ, & humanæ, possunt de Christo prædicari, etiamsi videantur sibi opposita, quia connotant diversas naturas: sic vere dicitur, Christus est æternus, & temporalis, finitus, & infinitus &c. econtra falsæ essent istæ propositiones: Christus non est mortalis: DEUS non est passus, quia significarent, Christum secundum nullam naturam esse mortalem, nullamque personam ex Deitate passam esse. 2. Concreta cujuscunque naturæ in Christo possunt etiam de se mutuo prædicari, quia habent eundem rectum; sic dici potest: Æternus est mortalis, impassibilis est passibilis &c. 3. Concreta naturæ humanæ, & attributorum ejus de supposito Divino possunt prædicari per verbum *fieri*, sed non vicissim. Sic licet vere dicatur: Christus factus est homo, DEUS factus est mortalis, non tamen vicissim proprie potest dici: Homo factus est Verbum, DEUS, immortalis &c. Quia istæ propositiones in rigore denotarent rectum subjecti, seu hominem, saltem natura prius fuisse aliquid per se subsistens, quam ei conveniret prædicatum Verbi, DEI, immortalis &c. Quando igitur his loquendi modis usi sunt Patres, locuti sunt minus proprie, & solum voluerunt exprimere, quod humanitas hypostatice fuerit unita Verbo.

267 Colliges 2. De Christo etiam in concreto non posse prædicari 1 Attributa mere negativa, quæ attributum alterius naturæ simpliciter a supposito removerent, & unioni hypostaticæ repugnarent, ut, Christus est incorporeus, purus homo, purus DEUS. 2. Concreta, quæ per particulas reduplicativas ita ad

unam naturam contrahuntur, ut indicent, rationem formalem ſubjecti eſſe rationem ſaltem particularem, quare ſubjectum, & prædicatum inter ſe conveniant. Sic dici non poteſt: Homo qua homo eſt DEUS. DEUS, qua DEUS, eſt paſſus. 3. Partes humanitatis ſive integrantes, ſive eſſentiales e. g. Verbum eſt manus, Chriſtus eſt anima, ſanguis, &c. quia nomina partium non ſunt nomina ſuppoſitorum, nec juxta communem acceptionem ſuppoſitum in recto important. Hinc quando dicimus, Chriſtum eſſe ſepultum, deſcendiſſe ad inferos &c. cum tamen ſolum corpus ſepultum fuerit, & ſola anima ad inferos deſcenderit, ex uſitato modo loquendi utimur ſynecdoche, & partem pro toto accipimus; ſic paſſim etiam dicitur, Petrum eſſe ſepultum, eſſe in cælo, apparuiſſe poſt mortem &c.

168 Cæterum quamquam hactenus dicta in rigore ſcholaſtico procedant, nihilominus ejusmodi propoſitionum veritas ſæpe dependet a mente loquentis, & vel maxime a recepto uſu Eccleſiæ, Patrum, ac Conciliorum. Hinc quia iſtæ propoſitiones: *Verbum eſt creatura: Incipit exiſtere: Chriſtus eſt minor Patre* &c. in ſenſu Arianorum acceptæ ſunt hæreticæ, non debent ſimpliciter, & ſine addita limitatione: *Secundum naturam humanam*, proferri; ſicut ipſe Chriſtus, quando dixit: *Pater major me eſt*, ſtatim addidit: *Quia vado ad Patrem*, nempe ſecundum naturam humanam. Pariter concreta ſubſtantialia, ſi adjective ſumantur, ut, Chriſtus eſt *homo Dominicus, Deifer, Deificatus*, &c. non ſine explicatione videntur de Chriſto prædicanda, quia ejusmodi propoſitiones fuerunt damnatæ in Neſtorio, qui illis fuerat abuſus ad obtrudendas in Chriſto duas perſonas. Excipit S. Thomas cit. quæſt. 16 art. 3 ad 3 hanc propoſitionem: *Chriſtus eſt homo Divinus*, eoquod nomen Divinus etiam prædicari ſoleat de iis, de quibus eſſentialiter prædicatur DEUS. Dicimus enim: *Eſſentia*

tia Divina, Pater, aut Filius Divinus, cum tamen ef- ſentia Pater, & Filius identice ſit ipſe DEUS.

269 Dices 1. Licet anima rationalis ſit phyſice unita corpori, tamen non reſultat communicatio idiomatum; nec enim ob immortalitatem, & ſpiritualitatem animæ poſſum dicere: Homo *eſt immortalis, ſpiritualis*; ergo neque ex unione hypoſtatica communicatio idiomatum oritur. Confirm. In hac propoſitione: *DEUS eſt homo*, non datur identitas inter ſubjectum, & prædicatum, cum utique Deitas non ſit identificata cum humanitate: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Tum quia communicatio idiomatum non datur inter naturas tantum partiales, & incompletas: tum quia iſtæ propoſitiones in ſenſu naturali, & philoſophico ſignificarent, totum compoſitum ex anima, & corpore eſſe immortale, & ſpirituale: at in ſenſu Theologico iſtæ propoſitiones: *DEUS eſt homo: Homo eſt DEUS* &c. ſolum ſignificant, quod DEUS Verbum per unionem hypoſtaticam ſibi propriam fecerit naturam humanam, ut proin idem ſuppoſitum ſit DEUS, & homo. Ad confirm. diſt. ant. Non datur identitas naturarum, conc. ant. identitas ſuppoſiti, neg. ant. & conſ. Concretum DEUS & homo ex uſu, & doctrina Eccleſiæ hic non dicunt naturam, ſed ſuppoſitum; ad veritatem autem propoſitionum ſufficit identitas inter rectum ſubjecti, & prædicati; hinc etiam Philoſophus bene dicit: *Lac album eſt dulce.*

270 Dices 2. Juxta nos æque vera eſſet hæc propoſitio: *DEUS eſt homo:* quam iſta: *Petrus eſt homo*; hoc falſum, quia cum Petro identificatur ipſa natura humana, cum Deo autem eſt tantum contingenter unita. Confirm. Homo de DEO non poteſt prædicari in quid; interroganti enim, quid ſit DEUS, non poteſt reſponderi, quod ſit homo: ergo homo de DEO non prædicatur proprie. Reſp. conc. maj. neg. min. Quamvis iſtæ propoſitiones non ſint omnino, & quoad omnia ſimiles, quod ſolum probat ra-

tio minori addita; nihilominus recta subjecti, & prædicati in una non minus identificantur, quam in altera, & in sensu propriissimo verum est, quod natura humana sit natura suppositi Divini. Ad confirm. dist. ant. Homo non potest prædicari de DEO in quid essentialiter, conc. ant. substantive, neg. ant. Quippe quærenti post Incarnationem, quid sit Verbum, tam vere, ac proprie respondetur, quod sit homo, quam quod sit DEUS, hoc tamen discrimine, quod respondendo esse DEUM, respondeatur per quid essentialiter, respondendo autem, esse hominem, respondeatur per quid substantive. Ex quibus vides, hanc quæstionem de communicatione idiomatum habere quidem multum de modo loquendi, esse tamen fundatam in natura rei, neque homo Catholicus cum Ecclesia solum debet sentire, sed etiam loqui, ubi illa sermonis sensum determinavit.

QUÆSTIO VIII.

An in Christo detur etiam communicatio idiomatum in sensu Ubiquistarum?

271 Ubiquistæ, de quibus num. 188 mentionem feci, communicatione idiomatum, quam nos admittimus, non contenti, volunt, Christum secundum ipsam humanitatem in abstracto acceptam vere, ac realiter dici, ac esse DEUM omnipotentem, æternum, impassibilem &c. ut patet ex num. 188. Cum vero ipsimet advertant, ex hac doctrina sequi, quod Christus neque pati, neque mori potuisset, addunt, Christum quidem his, aliisque attributis Divinis a momento incarnationis secundum humanitatem fuisse prædi- tum, sed eorum vim ante resurrectionem non usurpasse, imo repressisse quodammodo, & texisse forma servi. Verum hæc explicatio non potest sustineri, quia aliqua prædicata Divina, uti omniscientia, omnipræsentia &c. sunt talia, ut propria illorum ratio in quodam

quodam quasi usu, & veluti actu secundo sit posita. In aliis vero propria ipsorum ratio cum usu ita est conjuncta, ut, si quis eam separet, manifeste utrumque tollat. Sic propria ratio immortalitatis est, non posse mori, usus vero, non mori, quem si tollas, & ponas, rem aliquam mortuam esse, eo ipso tollis rationem immortalitatis.

272 Quod Ubiquitatem attinet, a qua isti hæretici suum nomen sortiti sunt, imprimis ipsa Scriptura aperte docet, Christum sive in statu exinanitionis, & vitæ mortalis, sive in statu exaltationis, & gloriæ non fuisse ubique. Sic Joan. 11 vers. 15 dicebat Christus: *Lazarus mortuus est, gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Matth. 28 v. 6: *Scio, quod JEsum quæritis; non est hic, surrexit enim.* Luc. 24 v. 51: *Recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Neque dicant, Christum juxta Scripturam non fuisse quidem ubique localiter, fuisse tamen ubique modo cælesti & Divino. Nam 1 non potest explicari, in quonam consistat iste modus cælestis, & Divinus. 2. Licet DEUS in mundo non sit localiter, & circumscriptive, nemo tamen propterea audebit dicere, DEUM nec in cælo, nec in terra esse. 3. Non est quæstio de modis, vel accidentibus humanitatis Christi, cujusmodi sunt visibile, vel invisibile, esse locale, vel illocale, sed quæstio est de ipsa substantia humanitatis, utrum hæc quocunque tandem modo sit ubique.

273 Jam vero, si ipsa substantia humanitatis Christi reipsa ubique fuit, non potuit moveri de loco in locum, ex quo sequuntur varia cum articulis fidei pugnantia. Quippe hac ratione Christus secundum humanitatem non potuisset ex utero materno prodire, & ejus anima, & corpus nunquam separari, adeoque Christus nunquam fuisset vere, & ita mortuus, ut anima ad inferos descenderit, corpus vero remanserit in sepulcro. Pariter in ipsa resurrectione non potuisset prodire e sepulcro, nec a terris ascendere in cælum,

nec

nec a cælo venire in terram ad judicandum. Dicunt quidem, ascensum Christi in cælum fuisse tantum metaphoricum, tum quia etiam dicitur de cælo descendisse; tum quia verba in Symbolo immediate subjuncta: *Sedet ad dexteram Patris*, tantum sensum metaphoricum faciunt. At ex eo, quod descensus Verbi suapte natura immensi fuerit metaphoricus, neutiquam sequitur, etiam metaphoricum fuisse ascensum carnis corporeæ, ac certis limitibus circumscriptæ. Neque hæc duo, ascendere in cælum, & sedere ad dexteram Patris, quod manifeste non potest in sensu proprio intelligi, confundi debent, quasi Symbolum, quod brevissimum fidei compendium esse oportuit, rem eandem explicet verbis synonymis.

274 Profecto si Scripturam juxta mentem Patrum intelligere debemus, manifestum est, Christum secundum humanitatem non esse ubique; complura illorum testimonia recitat Bellarminus lib. 3 de Christo cap. 14. Nobis sufficiant verba S. Augustini, & Hieronymi, quos pro suo errore Ubiquistæ jactare solent. S. Augustin. epist. 187, alias 57, ad Dardanum inquit: *Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit, secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita Divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, ut quod in DEO est, ita sit ubique ut DEUS.* S. Hieronym. a Marcella interrogatus, an Christus sit ubique, epist. 108 ita respondit: *Stultum est, illius potentiam unius corpusculi parvitate finiri, quam non capit cælum, & tamen, qui ubique erat, etiam in Filio hominis totus erat;* ubi vides S. Doctorem facere discrimen inter naturam Divinam, & humanam, & secundum illam ait quidem, Christum semper fuisse ubique, secundum hanc vero corporis parvitate fuisse circumscriptum.

275 Dices 1. Juxta S. Scripturam ad Coloss. 2 v. 9 in Christo: *Inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter,* &

& Luc. 10 v. 22: *Omnia a Patre ipsi sunt traditæ.* Matth. 28 v. 20 autem Apostolis promisit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* ergo omnia Divinitatis attributa humanitati sunt communicata. Confirm. ad Ephes. 4 v. 10 dicitur, quod *Ascenderit super omnes cælos, ut impleret omnia;* ergo nunc est ubique. Resp. conc. ant. neg. cons. Plenitudo Divinitatis dicitur in Christo inhabitare corporaliter, quia in illo non tantum fuit figurate per meram assistentiam, & efficaciam, sed per veram, ac realem unionem. A Patre ipsi omnia sunt tradita per generationem æternam, per quam est illi consubstantialis. Apostolis promisit se illis semper adfuturum, non quidem præsentia corporali, attamen auxilio gratiæ, & speciali protectione, qua Ecclesiæ suæ semper assistit. Ad confirm: iterum neg. cons. Christus secundum humanitatem implevit omnia loca, scilicet infima, media, & suprema, non simul, sed successive, conversando in terra cum hominibus, post mortem descendendo ad inferos, post resurrectionem ascendendo ad cælos, ita ut in summa supremi cæli parte sit collocatus, & sic elatus supra omnes cælos.

Dices 2. Christus ad Ephes. 1 v. 2 dicitur: *Constitutus ad dexteram Dei*, seu, quod juxta communem Patrum interpretationem idem est, accepit æqualem cum Patre potentiam, gloriam, & majestatem, & quidem secundum humanitatem; nam Deitati, seu Verbo Divino hæc omnia per se conveniebant: ergo. Confirm. Humanitas Christi jam a primo momento Incarnationis fuit humanitas Verbi habentis æqualem cum Patre majestatem: ergo post ascensionem novam gloriam acquisivit. Resp. dist. ant. Christus dicitur constitutus ad dexteram DEI secundum humanitatem in seipsa, & in abstracto consideratam, neg. ant. secundum humanitatem consideratam in concreto, & supposito, conc. ant. & neg. cons. Quamvis dici possit, quod hic homo sedeat ad dex-

teram

teram Patris, eique ſit æqualis; item quod humanitas Chriſti ſit humanitas ſedentis ad dexteram Patris, non tamen poteſt dici, quod ipſa humanitas Chriſti ſedeat ad dexteram Patris, eique ſit æqualis; ferme ſicut dici nequit, quod purpura ſedeat in ſolio, ſed tantum, quod in ſolio ſedeat Rex purpuratus. Ad confirm. conc. ant. diſt. conſ. Ergo acquiſivit novam gloriam intrinſecam, neg. conſ. extrinſecam, in quantum gloria Chriſti in aſcenſione fuit magis manifeſtata, & æqualitas illius cum Patre luculentius agnita, conc. conſ.

277 Dices 3. Ubi ex duabus rebus intime unitis eſt una, neceſſario etiam eſt altera; ergo ſicut Chriſtus eſt ubique, ſic etiam humanitas Chriſti. Nam Verbum eſt ubique; ſed Chriſtus eſt Verbum Divinum; ergo Chriſtus eſt ubique. Confirm. Natura Divina, & humana Chriſti uniuntur, ſicut anima, & corpus hominis; ſed anima omnes ſuas energias corpori communicat, ita, ut nihil faciat, niſi in corpore, & per corpus: ergo. Reſp. diſt. ant. Si ex duabus rebus unitis una non excedat alteram, conc. ant. ſecus, neg. ant. Sicut oculus intime unitur animæ, nec tamen oculus eſt, ubicunque eſt anima; ſic Chriſtus non eſt ubique ſecundum humanitatem, ubi eſt ſecundum Divinitatem. Nihilominus Verbum ubique eſt homo, quia illud ipſum Verbum, quod nunc exiſtit v. g. in ſole, habet ſibi unitam humanitatem. Syllogismus additus non concludit; nam Verbum in majore ſupponit pro ſola natura Divina, in minore etiam pro humana, cum tamen ſola natura Divina ubique exiſtat. Ad confirm. tranſ. maj. quia hanc ſimilitudinem non eſſe adæquatam, jam alibi diximus. Neg. min. Quippe anima ſuas energias non ita communicat corpori, ut ipſum corpus ſecundum ſe intelligat, velit, reddatur ſpirituale, &c.

278 Quæres adhuc, an homo de Chriſto, & reliquis hominibus prædicetur univoce? Item, an iſtæ propoſitiones: *DEUS eſt homo: Homo eſt DEUS* &c. ſint

ſint in materia neceſſaria, vel contingente? Reſp. ad 1. Hominem de Chriſto prædicari univoce, ſi ſpectetur ipſa natura humana, ſecundum quam nobis eſt conſubſtantialis; non vero, ſi ſpectetur ſuppoſitum, quod infertur in recto, & in Chriſto non eſt ejusdem rationis cum ſuppoſitis aliorum hominum. Ad 2 dico, has propoſitiones eſſe quidem in materia neceſſaria ex ſuppoſitione Incarnationis factæ; nam ſuppoſito Myſterio Incarnationis ſunt æternæ veritatis non minus, quam hæc: *Petrus eſt homo*; quia tamen hæc ipſa ſuppoſitio eſt contingens, etiam dictæ propoſitiones ſecundum ſe ſunt in materia contingente. Porro ex noſtra doctrina neutiquam ſequitur, quod etiam detur communicatio idiomatum inter tres perſonas Divinas. Quanquam enim ſubſiſtant in eadem natura Divina, aut eandem naturam humanam aſſumpſiſſent, nunquam conſtituiſſent idem ſuppoſitum. Hinc in his, & ſimilibus propoſitionibus: *Pater eſt Filius*: *Pater eſt genitus* &c. rectum ſubjecti, & prædicati non identificantur.

PARS

PARS II.

De causis, & effectibus Incarnationis.

279 Cum causæ intrinsecæ Incarnationis sint illæ, quæ DEUM hominem, seu Verbum Incarnatum constituunt, videlicet personalitas Verbi, Divinitas, humanitas, & unio hypostatica, satis jam de illis disputatum est. Ad causas extrinsecas pertinent causa physice efficiens, finalis, & moralis. De causa physica rursus ex dictis constat, quod causa principalis efficiens unionis hypostaticæ fuerit tota SS. Trinitas, licet tanquam opus singularis amoris, gratiæ, & dignitatis specialiter tribuatur Spiritui S. & ad efformationem corporis Christi etiam concurrerit B. Virgo tanquam causa efficiens creata. Plura de causa finali, & morali dicenda sunt, de quibus ita agam, ut simul etiam necessitas, & utilitas Incarnationis ex infinitis meritis, & satisfactione Christi ostendatur.

DISPUTATIO I.

De necessitate, & fine Incarnationis.

280 Causa finalis Incarnationis est complexum ex omnibus illis bonis, quæ DEUS prævidebat per illam obtinenda esse, uti 1 Multiplex Divinæ gloriæ incrementum, in quantum ex ineffabili hoc mysterio mirabiliter elucent perfectiones DEI, & inde eidem nascitur ingens æstimatio, laus, amor, veneratio, &c. 2. Omnia bona, quæ ipsi humanitati Christi ex unione hypostatica obvenerunt, sive intrinseca, uti sanctitas in gradu excellenti, multiplex scientia, beatitudo &c. sive extrinseca e. g. gloria Redemptoris, exaltatio nominis &c. 3. Bona, quæ inde reliquis hominibus, & etiam Angelis orta sunt, nempe

redem-

redemptio a peccato, & servitute dæmonis, sanctificatio nostra, auxilia gratiæ, & patrocinium, quod Christus tanquam Mediator DEUM inter, & homines pro nobis interponit. Porro sicut enumerata bona sunt finis qui Incarnationis; ita finis cui ultimatus est ipse DEUS, qui cum seipsum super omnia justissime diligat, primario, & ultimato omnia propter se operatur.

281 Hinc non defuere magni nominis Auctores, qui existimarent, Incarnationem fuisse absolute necessariam, saltem moraliter, tum, quia DEUS necessario facit id, quod optimum est; tum quia homines longe magis amat, quam parens suos filios juxta illud Isai. 49 v. 15: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar.* Verum quemadmodum DEUS est ens sibi soli sufficientissimum, & nihil ad extra necessario producit, sic illi liberrimum fuit, hoc vel illo modo nos amare. Unde quod defacto, præsertim post prævisam hominum ingratitudinem, majorem habeat inclinationem illis benefaciendi, quam parentes suis liberis, solum provenit ex libera determinatione DEI, & antecedenter ad suum decretum æque facile potuisset oppositum facere, consequenter necessitas moralis ad producendam Incarnationem gratis, & non sine præjudicio libertatis Divinæ adstruitur.

282 Alii, quamvis necessitatem absolutam Incarnationis non agnoverint, ad varia confugerunt supposita. 1. Raymundus Lullus docuit, Incarnationem fuisse necessariam ex suppositione mundi conditi. 2. Esparza ex suppositione elevationis naturæ humanæ ad statum supernaturalem filiationis adoptivæ. 3. Alii ex suppositione naturæ lapsæ, aut saltem voluntatis Divinæ illam reparandi. Contra est 1. Quia possibilis est status puræ naturæ, ut contra Bajum ostenditur in tractatu de gratia; ergo potuit DEUS mundum producere absque omni dono supernaturali, & multo magis absque Incarnatione. 2. Ad excellen-

cellentiam unionis hypostaticæ spectat, ut non minus excedat statum filiationis adoptivæ, quam gratia adoptionis excedit ordinem naturæ; ergo sicut gratia adoptionis ordini naturæ, sic unio hypostatica statui adoptionis est indebita. 3. DEUS hominem lapsum non minus potuisset relinquere in sua miseria, quam Angelos lapsos, aut vicissim homini lapso peccatum originale gratis remittere, vel certe contentus esse satisfactione congrua, ab aliqua pura creatura sibi præstita.

283 Profecto Scriptura, & Patres passim docent, reparationem generis humani esse gratiam, eamque variis modis fieri potuisse. Sic Apostolus ad Rom. 5 v. 48 ait: *Commendat autem charitatem suam DEUS in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, pro nobis mortuus est.* Et ad Tit. 3 v. 5: *Secundum suam misericordiam nos salvos fecit.* S. Augustinus de Agone Christiano cap. 11 dicit: *Sunt autem stulti, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem.* S. Leo Serm. 2 de nativ. *Verax misericordia DEI, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter multa ei suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit.* Similia habent S. Athanasius, Eusebius Emissenus, Gregorius, Bernardus, Hugo de S. Victore apud P. Ant. Mayr. Unde si alius quidam ex SS. Patribus videtur contrarium docuisse, vel exponendus erit de voluntate DEI consequente, vel illi præferendi alii Patres, qui majori numero, & conformius Scripturæ nostram doctrinam tenent.

284 His tamen non obstantibus in hac disput. ostendemus, Incarnationem fuisse necessariam ex alia suppositione, nempe ista, quod Deus pro peccatis ab hominibus commissis postulaverit condignam satisfactionem. Hunc in finem examinabimus 1. Quanta sit gravitas, & malitia peccati mortalis. 2. An pura creatura pro peccato mortali, 3. Vel saltem veniali condigne possit satisfacere. 4. An Christus venerit pro

pro illis satisfacturus. 5. Pro qualibus peccatis satisfacturus venerit. Quod si probaverimus, nullam puram creaturam pro peccato mortali, sive dein sit malitiæ infinitæ, sive tantum finitæ, posse satisfacere, manifesta consequentia deducitur, satisfactionem condignam DEO nullo alio modo præstari potuisse, quam a DEO homine; ergo ex suppositione, quod DEUS condignam satisfactionem pro peccatis postulaverit, Incarnatio fuit necessaria, non quidem determinate Incarnatio Verbi cum natura humana, attamen in sensu latiore, in quantum aliqua saltem persona Divina debuit uniri cum natura rationali creata.

QUÆSTIO I.

Quanta sit malitia peccati mortalis?

In peccato mortali tria considerari possunt, 1. Malitia moralis consistens in oppositione cum lege DEI, aut privatione honestatis actus oppositi. 2. Offensa, sive contemptus, & inhonoratio DEI, quatenus illi præbet jus ad rationabilem indignationem contra peccatorem. 3. Demeritum, quod rursus est ipse contemptus Dei, sed quatenus eidem præbet jus ad exigendam pœnam, vel satisfactionem. Quæritur jam, quanta sit malitia peccati mortalis? Thomistæ, & ex nostris Coninck, Viva, &c. docent, illam esse simpliciter infinitam. Negant hoc Scotistæ cum Suario, Lugone &c. Imo plurimi ex ipsis Thomistis admittunt, peccatum mortale non esse simpliciter infinitum in ratione malitiæ moralis, sed tantum in ratione offensæ, & demeriti. Ego quæstionem hanc paucis pertractabo, cum magna ex parte sit de nomine. Quippe omnes concedunt, quod per peccatum mortale offendatur Majestas infinita, & incurratur pœna æterna; unde disceptatio solum est de eo, utrum ideo ejus malitia sit, & dici possit infinita.

285

286 Probatur ſententia negativa. Unum infinitum in ea ratione, in qua ſimpliciter infinitum eſt, non poteſt eſſe majus altero, nec ab alio excedi, aut terminari; atqui unum peccatum mortale poteſt eſſe majus altero, & quolibet determinate ſumpto poteſt dari aliud adhuc gravius; ergo. Maj. conſtat ex Philoſophia. Min. prob. primo ex Scriptura: *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*, Thren. 4 v. 6. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, Joan. 19 v. 11. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum*, Apocal. 18 v. 7. 2. Ex ipſis terminis videtur patere, quod DEUM aliquis gravius contemnat, & offendat, adeoque majorem pœnam mereatur, ſi ex mera malitia DEUM poſitive oderit, & deteſtetur, quam ſi ex mera fragilitate peccet momentanea delectatione moroſa. 3. Idipſum ſentit communis ſenſus fidelium. Confirm. Nihil poteſt eſſe infinitum in aliqua ratione, niſi forma, per quam in ea ratione conſtituitur, ſit infinita; atqui forma, quæ actionem immediate conſtituit in ratione peccati, non eſt infinita; conſiſtit enim in libertate, plenitudine conſenſus, & advertentiæ ad legem DEI graviter obligantem, quibus intellectis jam intelligitur peccatum, illis creſcentibus creſcit, illis vero decreſcentibus decreſcit: ergo.

287 Colliges 1. Quod unum peccatum mortale ſit majus altero non tantum in ratione malitiæ moralis, ſed etiam offenſæ ac demeriti, imo offenſa, & demeritum fundatur in malitia morali. Ideo namque DEUS per aliquam actionem offenditur, & habet jus ad indignationem, & pœnam exigendam, quia illa actio eſt oppoſita legi divinæ; ergo ſi malitia moralis non eſt ſimpliciter infinita, neque offenſa, & demeritum. 2. Quod unum peccatum poſſit eſſe majus altero non tantum affective, ſed etiam effective; quia nulla actio poteſt eſſe contra DEUM affective, quin effective DEUM offendat, eo quod omnis affectus peccaminoſus ſit contra legem DEI, & pœna dignus.

3. Quod

3. Quod unum peccatum poſſit eſſe majus altero non tantum ratione objecti, aut aliarum circumſtantiarum, ſed etiam in ordine ad perſonam offenſam; nam licet perſona offenſa reſpectu unius peccati non ſit major, quam reſpectu alterius, poteſt nihilominus per unum peccatum magis offendi, quam per alterum.

288. Interim facile admitto, quod ob infinitam dignitatem perſonæ offenſæ tanquam menſuram extrinſecam, quodlibet peccatum ſit infinitum ſecundum quid, & terminative. Item, quod ſit ordinis ſuperioris ad omnes alias offenſas creaturarum, in quantum offenſa DEI omnes offenſas creaturarum ita excedit, ut per illas nunquam poſſit adæquari, non ſolum, quia DEUS ſimpliciter eſt ordinis ſuperioris, quam creaturæ, alias etiam offenſa Angeli non poſſet adæquari per offenſas hominum quantumcunque graves, & multiplicatas; ſed ratio eſt, quia DEUS eſt ſuperioris ordinis cum exceſſu dignitatis infinito, & peccatum mortale eſt capax gravitatem ordinis ſuperioris recipiendi; cum nihilominus unum poſſit eſſe majus altero. Neque obſtat, quod cognitio, & conatus ad peccatum non ſit ordinis ſuperioris, quia non eſt forma tota denominans malum; hæc enim conſiſtit in malitia, ſive in toto complexo ex advertentia, libertate, & conſenſu, quod complexum eſt in ordine ſuperiore ad omnes offenſas creaturarum.

Objectiones.

289. Obj. 1. Quo major eſt dignitas perſonæ offenſæ, eo major eſt offenſa; ergo cum dignitas DEI ſit infinita, pariter offenſa DEI eſt infinita. Confirm. Offenſa perſonæ dignæ ut octo ſaltem uno gradu excedit offenſam perſonæ dignæ ut unum: ergo ſi perſona offenſa habet infinitos octonarios dignitatis, offenſa excedit infinitis gradibus. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Quamvis offenſa creſcat ex dignitate per-

ſonæ offenſæ, non tamen creſcit proportione arithmetica, id eſt, totidem gradibus, ut ipſam dignitatem perſonæ adæquet; ſed tantum proportione geometrica incommenſurabilitatis, in quantum, ſicut DEUS eſt in ſummo genere boni, ita ejus offenſa eſt in ſummo genere mali. Hinc offenſa DEI eſt quidem ſumma in genere ſuo, quia a nulla offenſa creaturæ poteſt adæquari, non tamen ſumma eſt ex genere ſuo, quia qualibet determinata poteſt dari major. Ad confirm. neg. ant. & ſuppoſ. quod certus gradus poſſit aſſignari. Imo ſi perſona tantum ſit finitæ dignitatis, diſpar autem conatus voluntatis, cognitio, offenſæ frequentia, poteſt contingere, ut perſona dignior e.g. Rex minus offendatur, quam aulicus. Argumentum ſolvi debet in peccato veniali, malitia morali, & actu charitatis erga DEUM; nam cæteris paribus, eo major eſt perfectio amoris, quo major boni amati dignitas.

290 Dices. Ex iis, quæ infinite diſtant, unum eſt infinitum; ſed offenſa DEI, & creaturæ infinite diſtant, & illa infinitis offenſis creaturarum æquivalet: ergo. Confirm. Inter DEUM, & hominem datur infinita diſtantia; ergo vilitas hominis eſt infinita, & infinitam malitiam in peccatum refundit. Reſp. diſt. maj. Ex iis, quæ abſolute, & ſimpliciter infinite diſtant, conc. maj. quæ tantum ſecundum quid infinite diſtant, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Offenſa DEI reſpective ad alias offenſas poteſt dici ſecundum quid infinita, quatenus eſt ordinis ſuperioris, ad quem aliæ offenſæ nunquam poſſunt pertingere; interim tamen cum illis, quibus æquivalet, non creſcit arithmetice, ſed tantum geometrice. Ad confirm. diſt. ant. datur diſtantia infinita ex parte DEI, conc. ant. infinita ex parte hominis, neg. ant. Vilitas entitativa hominis conſiſtit in prædicatis illius intrinſecis, quæ ſunt aliquid finitum. Et quamvis finiti ad infinitum nulla ſit proportio æqualitatis, poteſt nihilominus una creatura eſſe magis diſſimilis DEO, quam alia.

Obj.

Obj. 2. Forma denominans peccatum eſt oppoſitio cum dignitate & voluntate DEI prohibentis; ergo per ipſam dignitatem DEI conſtituitur, conſequenter eſt infinita. Confirm. Qui ruſtico daret alapam, putans, eſſe Principem, non committeret tantam offenſam, nec contraheret tantum debitum ſatisfaciendi, quantum foret, ſi revera Princeps percuſſus fuiſſet: ergo offenſa ut tanta per ipſam offenſi dignitatem conſtituitur. Reſp. diſt. ant. Eſt oppoſitio radicalis cum dignitate, & voluntate DEI, conc. ant. oppoſitio formalis, & adæquata, neg. ant & conſ. Forma denominans peccatum eſt ipſe actus liber advertenter contra legem DEI poſitus, qui quidem voluntatem DEI tanquam terminum extrinſecum reſpicit, eique radicaliter opponitur, non tamen intrinſece per illam conſtituitur. Ad confirm. diſt. ant. Non committeret tantam offenſam reſpectu ruſtici, conc. ant. reſpectu Regis, neg. ant. Ruſticus tantum offenditur in hoc caſu realiter & effective, ergo non habet jus ad majorem ſatisfactionem, quam ut reparetur damnum reale; Princeps vero offenditur affective, & reſpectu illius percutiens æque magnam committit offenſam, quam ſi reipſa Principem percuſſiſſet. Quod autem homines tantum intentionaliter læſi non ſoleant concipere tantam indignationem, eſt per accidens, quia non tam attendunt ad intentionem nocentis, quam ad damnum reipſa datum. 291

Dices. Saltem libertas eſt partialis forma denominans actum malum; ergo etiam dignitas DEI. Nam omnipotentia DEI eſt pars libertatis, & tam realiter, quam virtualiter cum Majeſtate Divina identificatur. Confirm. Infinita dignitas DEI facit, ut peccatum præ nullo alio malo ſit eligibile; ergo peccatum reddit infinite malum. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. ergo etiam dignitas DEI quæ talis eſt forma denominans actum malum, conc. conſ. Dignitas DEI qua talis, neg. conſ. Omnipotentia DEI conſtituit 292

 actum

actum primum proximum liberum mere physice, quin ideo peccatum gravificet, præsertim infinite, alias deberet etiam infinite gravificare peccatum veniale, & vicissim infinite dignificare actum bonum. Idem est de dignitate DEI, si præcise spectetur ut virtus operativa, non vero ut forma reddens DEUM omni honore, æstimatione, & obedientia dignum. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Modo peccatum sit altioris ordinis, quam alia mala, non potest præ illis eligi. Cumque discordet a voluntate DEI, quæ est regula omnis prudentis electionis, nunquam est eligibile, nisi in casu perplexitatis, ubi peccatum levius debet eligi præ graviore.

293 Obj. 3. Peccatum mortale meretur pœnam infinitam; cum enim majus sit malum quacunque pœna, nulla est, quam DEUS non possit peccatori infligere, & quæcunque infligatur, nunquam verum erit dicere: peccatum hoc jam satis est punitum. Confirm. Etsi possibilis esset pœna infinite intensa, si tamen foret solum brevis, non sufficeret pro peccato mortali; ergo meretur pœnam intensive, & extensive infinitam. Resp. dist. ant. Peccatum mortale meretur pœnam infinitam secundum quid, & extensive, conc. ant. infinitam simpliciter, & simul etiam intensive, neg. ant. DEUS juste non potest infligere pœnam, quam quæ est proportionata delicto, ad quod neutiquam requiritur, ut sit majus malum, aut æquale delicto, alias non posset provide assumi tanquam medium ad delictum impediendum. Unde illa pœna dicitur delicto proportionata, quæ consideratis omnibus sufficit ad absterrendos homines fragiles, & vindicandam supremam auctoritatem; atqui talis jam est pœna extensive infinita, quæ cum sit æterna, nunquam verum erit dicere, quod peccatum satis sit punitum quoad pœnæ durationem. Ad confirm. transf. ant. neg. conf. Nam ex eo, quod peccatum mortale mereatur pœnam majorem, quam in-

tensive

tenſive infinitam, non ſequitur, quod mereatur pœnam infinitam tam intenſive, quam extenſive.

294 Dices. Peccatum mortale privat bonis infinitis. Nam 1. hominem reddit indignum omni bono poſſibili, etiam propria exiſtentia. 2. Meretur privationem viſionis beatificæ majoris & majoris in infinitum. 3. Privationem ipſius DEI. Reſp. Etſi antecedens eſſet verum, ſolum ſequeretur, quod peccatum mortale mereatur pœnam infinitam in uno genere, ſcilicet in genere pœnæ damni, quod non ſufficit ad demeritum ſimpliciter infinitum. Interim pœna damni non præciſe eſt deſumenda ex quantite boni, quo quis privatur, ſed etiam ex indigentia illud habendi, & modo, quo illud haberi poteſt. Sic major eſt pœna, ſi quis privetur 100 florenis ſibi debitis, quam 1000 indebitis; major carere viſu, quam ſcientia præſtantiſſima &c. Jam vero homini neutiquam debentur omnia bona poſſibilia, nec illis indiget: pariter illi ad finem ſupernaturalem non eſt neceſſaria viſio beatifica major & major in infinitum; imo hæc nulli puræ creaturæ poteſt eſſe debita. Denique homo per peccatum non meretur privationem, ſeu deſtructionem ipſius DEI, ſed tantum privationem DEI ut poſſidendi, & quidem poſſeſſione intenſive tantum finita.

295 Obj. 4. Peccatum mortale privat ipſum DEUM ratione ultimi finis, & ſummi boni; nam peccator, quantum eſt in ſe, vellet DEUM non eſſe, eumque deſtruere. Confirm. Malum de ſe deſtructivum boni infiniti eſt infinitum, atqui tale malum eſt quodvis peccatum mortale; ſi enim caderet in DEUM, DEUS non eſſet DEUS. Reſp. diſt. ant. Privat DEUM ratione intrinſeca ultimi finis, quæ eſt ipſa bonitas DEI infinita, neg. ant. ratione extrinſeca ultimi finis, quæ eſt actualis ordinatio ad DEUM, per quam creatura ultimum finem intendit, conc. ant. Quando SS. Patres, aut Aſcetæ dicunt, quod peccator vellet DEUM non eſſe, DEUM deſtruere &c.

 utun-

utuntur pia quadam exaggeratione. Quippe certum eſt, quod non in quolibet peccato ejuſmodi deſiderium explicitum, & odium formale involvatur. Quod ſi aliquis adeo ſceleſtus eſſet, ut talem actum eliceret, is effective ſolum eſſet inefficax, & advertentia, atque conatus tantum finitus. Ad confirm. tranſ. maj. neg. min. Si enim peccatum in DEUM caderet, jam ſupponeret, illum non eſſe DEUM; retorſio eſt manifeſta in peccato veniali, imo qualibet imperfectione phyſica.

296 Dices. Si peccatum actu deſtrueret DEUM, eſſet infinitæ malitiæ; ergo etiam voluntas illum deſtruendi; quia in judicio Divino voluntas habetur pro effectu, ſi ex parte hominis non ſtet, quo minus effectus ſequatur. Confirm. Theologi communiter docent, peccatum infra condignum puniri; ergo ſupponunt, quod ſit malitiæ infinitæ, & idem videtur docere S. Thomas. Reſp. conc. ant. quia una chimæra facile generat alteram. Neg. conſ. Effectus & affectus in ratione meriti, & demeriti cæteris paribus tunc tantum æquiponderant, quando effectus eſt poſſibilis, cum voluntate conjungibilis, & voluntas proportionata effectui ponendo; alias ſi quis vellet elicere amorem DEI infinitum, haberet meritum infinitum. Jam vero hæc omnia deſunt, quando rem impoſſibilem deſideramus. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Dictum Theologorum eſt verum, modo DEUS non infligat pœnam tam intenſam, ac peccator meretur, in quo ſenſu etiam dicitur, quod præmiet ſupra condignum, nempe aliquot gradibus, non infinite. Auctoritatem S. Thomæ in medio relinquo, utpote ita dubiam, ut tam patroni noſtræ ſententiæ, quam adverſarii illam pro ſe allegent.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An pura creatura possit condigne satisfacere pro peccato mortali?

297 Per puram creaturam hic non intelligitur creatura solis naturæ viribus relicta, sed creatura rationalis, quæ non est hypostatice unita DEO, quantumcunque alias gratiis, aliorumque donorum supernaturalium prærogativis emineat. Quæritur ergo, an talis creatura pro peccato mortali, licet non sit gravitatis simpliciter infinitæ, valeat DEO præstare condignam satisfactionem, per quam cum S. Thoma 3 p. q. 1 art. 2 ad 1 intelligimus obsequium libere exhibitum personæ offensæ, quod in æstimatione morali est tantæ, vel majoris æstimabilitatis, quantæ gravitatis fuit offensa, ita, ut offensus per tale obsequium tantum honorari censeatur, quantum fuit inhonoratus per offensam. Per satisfactionem congruam vero intelligimus illam, quæ, licet in ratione obsequii non sit tanta, quanta fuit offensa, tamen non est incongruum, ut in satisfactionem offensæ acceptetur. Quod si quis satisfactionem condignam aliter explicet, erit nobis solum adversarius quoad voces, uti adversari videntur multi Scotistæ, quibus ad condignitatem satisfactionis videtur sufficere promissio, & acceptatio DEI.

298 Itaque juxta nos ad condignam satisfactionem requiritur 1. Ut sit obsequium libere exhibitum, per quod differt a satispassione, quæ non debet necessario esse voluntaria, & obsequiosa erga personam offensam; tametsi enim aliquis invitus, & malitiose repugnans sustineat pœnam pro offensa statutam, nihilominus vere dicitur satispati. 2. Ut obsequium sit tantæ æstimabilitatis in sua ratione, quantæ est offensa in sua, idque ex se, & antecedenter ad liberam offensi promissionem, vel acceptationem, non tamen ante omnem gratiam, aut favorem Divinum. Vel

enim

enim satisfactio condigna præstaretur a creatura? & supponeretur illius existentia, conservatio, applicatio omnipotentiæ Divinæ &c. quæ omnia non sunt absolute debita creaturæ. Vel præstaretur ab homine DEO? & præcederet summa gratia unionis hypostaticæ. 3. Pariter rationi satisfactionis condignæ non obest, si superet æstimabilitatem offensæ, quia etiam satisfactio superabundans vere est condigna, & æqualis offensæ, non quidem æqualitate negativa, & exclusiva excessus, sed positiva, & præcisiva ab excessu.

299 Dicendum. Nulla pura creatura potest condigne satisfacere pro peccato mortali. Ita contra Scotistas nostri communissime, cum S. Thoma 3 part. quæst. 1 art. 2 in corp. Probatur 1. Ex Scriptura, juxta quam omnia obsequia puræ creaturæ, quantumvis præstantissima, coram tribunali Divino sunt aliquid levissimum, & vilissimum: econtra peccatum mortale est aliquid maximum, & gravissimum: ergo pura creatura nequit ponere talia obsequia, quæ in æstimatione DEI sunt condigna satisfactio pro peccato mortali. Ant. prob. De obsequiis creaturæ dicitur: *Si juste egeris, quid donabis ei?* Job. 35 vers. 7. *Si feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus,* Luc. 17 v. 10. Econtra de peccatis Jeremias c. 2 v. 12 exclamat: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas,* id est, averterunt se a me, & converterunt se ad creaturas. Isaias cap. 1 vers. 2: *Audite cæli, & auribus percipe terra, filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

300 Prob. 2 auctoritate SS. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum. Ex Græcis præcipuus videtur S. Cyrillus, qui contra Nestorium Divinitatem Christi sæpius, tum lib. 1 in Joan. cap. 10 potissimum probavit ex eo: *Quia alias justum pro omnibus pretium*

exhi-

exhibere non potuiſſet. S. Baſil. in illud Pſalm 48: *Frater non redimit, redimet homo;* ita habet: *Neque enim fratrem in redemptionem quærit, ſed unum aliquem, qui noſtram exſuperet naturam; non item hominem nudum, ſed hominem DEUM JEſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus DEO propitiationem præſtare poteſt.* Ex Latinis S. Auguſtin. in Enchyrid. cap. 108 ait: *Neque per ipſum liberaremur unum Mediatorem DEUM & hominem Chriſtum JEſum, niſi eſſet DEUS.* S. Leo ſerm. 1 de Nativ. Domini: *Niſi eſſet verus DEUS, non afferret remedium; niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.* Similia habent S. Athanaſ. Cyprian. Irenæus, Fulgent. &c. apud Vaſquez.

301 Ex quibus ſtatim colliges 1. Quod Patres potentiam condigne ſatisfaciendi non tantum negent homini puro, ab Adamo deſcendenti, & peccato originali infecto, aut vel nullis, vel nonniſi ordinariis gratiæ donis inſtructo. Nam Patres expreſſe dicunt, quod Chriſtus nos non potuiſſet liberare, niſi eſſet DEUS, imo ex hoc ipſo colligi, quod ſit verus DEUS, quia pretium condignum exhibere potuit. 2. Quod non tantum loquantur de ſatisfactione ſuperabundante, aut facta ex rigore juſtitiæ, neque ſolum de hac providentia, & impotentia conſequente ad decretum DEI, quo ſtatuerit, non acceptare ſatisfactionem, niſi ab homine DEO. Quippe Patres expreſſe loquuntur de pretio juſto, ac de ſatisfactione, qua de ſe indigebamus, quin ullum verbum faciant de rigore juſtitiæ, aut de hac ſolum providentia, ut proin nulla detur ratio, univerſalia, & indefinita Patrum verba ita reſtringendi. 3. Multo minus Patres tantum locuti ſunt ex ſuppoſito, quod peccatum mortale ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ; ipſimet enim paſſim docent, unum peccatum eſſe gravius altero.

302 Prob. 3 concluſio ratione. Sicut ex dignitate perſonæ offenſæ, & vilitate perſonæ offendentis creſcit gravitas offenſæ perſonalis, ſic ex iiſdem titulis, cæteris

teris paribus, decrescit obsequium offenso exhibitum; ergo nunquam potest DEO exhiberi obsequium tantæ æstimabilitatis, quanta fuit offensa, nisi vel persona offensa, & satisfaciens sit æqualis, vel personarum inæqualitas compensetur per multitudinem, & præstantiam obsequiorum; atqui quamdiu satisfaciens est pura creatura, non potest dari æqualitas personarum, neque illarum inæqualitas aliunde compensari: ergo. Primum antecedens videtur lumine naturæ notum; sic obsequium Regi præstitum a potente Principe utique magis æstimatur, quam præstaretur ab aulico, aut omnino a rustico; vicissim injuria e. g. verbalis ex natura sua est longe gravior, si a rustico inferatur Regi, quam si inferatur plebejo Minor subsumpta quoad 1 membr. rursus per se patet; quoad secundum probatur. Quæcunque obsequia a creatura exhibentur, DEUS illis est infinite dignus, creatura autem respective vilissima, ita, ut inter creaturam, & DEUM intercedat inæqualitas incommensurabilis: ergo distantia inter DEUM offensum, & creaturam satisfacientem per nulla obsequia potest compensari.

303 Ex his rursus colliges 1. Quamvis offensa realis, & late sumpta, qua alicui damnum infertur in bonis fortunæ, per se non crescat ex dignitate personæ offensæ, quia hæc bona sunt extrinseca, & in illis solum attenditur æqualitas rei ad rem, vel inter jus activum, & passivum; aliud tamen est de injuria personali, & stricte dicta, qua aliquis inhonoratur, eo quod immediate attingat ipsam dignitatem personæ, quæ est bonum saltem moraliter intrinsecum offenso. 2. Quod quævis offensa DEI sit in ordine superiore ad omnia obsequia puræ creaturæ, quia quantumcunque hæc multiplicentur, DEUS per illa nunquam tantum honoratur, quantum inhonoratur per peccatum grave. 3. Quia tamen offensa DEI non est simpliciter infinita, per se non requireretur satisfactio simpliciter infinita, sed tantum talis, quæ esset

esset ordinis superioris; cum autem hæc a pura creatura præstari nequeat, necesse est, ut satisfactio condigna ponatur a DEO homine, & sic per accidens, ac concomitanter requiritur infinita.

Objectiones.

304 Obj. 1. Obsequia a creaturis DEO exhibita in Scriptura sæpe laudantur tanquam magna, & præstantia. Sic ipse DEUS extulit obsequium Abrahami, Christus Matth. 15 v. 28 ad mulierem Chananæam dixit: *Magna est fides tua.* 2 ad Corinth. 4 v. 17 opera justorum dicuntur *æternum gloriæ pondus operari in cælis*; & Matth. 5 v. 19: *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum*; ergo si multiplicentur obsequia sanctorum, possunt adæquare gravem offensam DEI. Confirm. Ipse Spiritus S. secundum propriam substantiam inhabitat animam justi, ejusque opera mire dignificat: ergo. Resp. dist. ant. Laudantur tanquam magna respectu creaturarum, & aliorum bonorum creatorum, conc. ant. in ratione obsequii, & respectu DEI, neg. ant. & cons. Aureus respectu pauperis rustici est aliquid magnum, respectu ditissimi Principis aliquid exiguum, & non raro Reges obsequia respectu illorum exigua magno præmio remunerantur. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. Quia nihilominus justus manet pura creatura & solum est Filius DEI adoptivus: ergo necdum potest adæquare dignitatem DEI offensi, neque alia ratione incommensurabilem a DEO distantiam compensare.

305 Dices 1. SS. Patres, nominatim S. Athanasius, Ambros. & Concil. Francofordiense apud Petavium cap. 12 & 13 probant, Christum debuisse satisfacere pro peccato, quia ille solus erat immunis a peccato; ergo ex Patribus non probatur, quod nequeat satisfacere homo innocens, & justus, extraordinariis gratiæ donis ornatus. Confirm. Patres a nobis citati

solum

ſolum loquuntur de peccato originali vel univerſali, non vero de peccato mortali particulari; ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Ex eo, quod Chriſtus non potuiſſet ſatisfacere, ſi peccato fuiſſet obnoxius, nondum infertur, quod purus homo, qui non habuiſſet peccatum, ſatisfacere potuiſſet, neque iſtam rationem allegarunt Patres a nobis citati. Porro Patres objecti videntur ſolum indicare voluiſſe, quod Chriſtus per ſe fuiſſet obnoxius peccato Originali, ſi fuiſſet purus homo, ab Adamo deſcendens, ut blaſphemabat Neſtorius. Ad confirm. tranſ. ant. neg. conſ. Cum peccatum mortale juxta Scotiſtas ſit malitiæ ſimpliciter tantum finitæ, & numerus peccatorum a toto genere humano commiſſorum pariter tantum finitus; non amplius eſſet ratio, quare alia creatura, majoribus & majoribus gratiis ditata, nequeat ſatisfacere pro omnibus peccatis, ſi ſemel admitteretur, quod poſſit ſatisfacere pro uno.

306 Dices 2. Quando Patres docent, quod non potuerimus aliter redimi, niſi per mortem Chriſti, debent intelligi de hac providentia, & conſequenter ad decretum DEI; nam antecedenter fuiſſet ſufficiens quæcunque actio Chriſti meritoria; ergo etiam, quando dicunt, quod ſolus Chriſtus potuerit ſatisfacere, de hac providentia exponi poſſunt. Confirm. Quamvis pura creatura nequeat ſatisfacere nomine proprio, id tamen poſſet in perſona, & nomine Chriſti, ſicut Sacerdos nomine Chriſti Sacramentum conficit. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Quando SS Patres dicunt, nos redimi non potuiſſe, niſi morte Chriſti, ſumunt certum pro incerto, & aſſignant rationem in Scriptura maxime celebratam, non quaſi mors Chriſti per ſe determinate fuerit requiſita, cum aliunde certo conſtet, illam independenter a decreto DEI non fuiſſe abſolute neceſſariam; unde in his datur manifeſta ratio textus reſtringendi ad præſentem providentiam, quin ſimilis ratio detur circa condignam ſatisfactionem. Ad confirm. neg. ant. Actio, quam homo

homo nomine Christi poneret, non esset infinita, nec tam digna, quam ipsa actio Christi; nam dignitas Christi est personalis, homo autem, etiam ut membrum, & mandatarius Christi, manet pura creatura. Imo per talem actionem potius ipse Christus satisfaceret, sicut potius Rex, quam legatus satisfaceret, si hic ageret in persona, & nomine Regis.

307 Obj. 2. Omne finitum potest adæquari per aliud finitum; sed peccatum mortale in ratione offensæ est solum finitum: ergo potest adæquari per satisfactionem finitam, quam pura creatura præstare valet. Confirm. Licet aurum sit superioris ordinis ad argentum, & virtutes Theologicæ ad virtutes morales, tamen aurum ab argento, & virtutes Theologicæ a moralibus possunt adæquari; ergo. Resp. dist. maj. Omne finitum potest adæquari ab alio finito ejusdem secum ordinis, transf. maj. ab alio finito diversi, & inferioris ordinis, neg. maj. & sic dist. min. conf. Ad confirm. transf. ant. quoad 1 memb. dist. quoad 2. Possunt adæquari in ea ratione, in qua sunt ordinis superioris, neg. ant. in alia ratione, conc. ant. & neg. conf. Aurum respectu argenti solum est superioris ordinis in ratione physica, & virtutes Theologicæ respectu moralium in ratione conjunctionis immediatæ suæ potentiæ cum DEO, ideo in hac ratione tam parum ab argento, & virtutibus moralibus adæquantur, quam homo in perfectione essentiali ab infinitis muscis. At vero in consideratione morali, nempe quoad valorem, & vim merendi, videntur esse in eodem ordine, quia idem commune prædicatum participant.

308 Dices 1. Offensa Regis est in ordine superiore ad obsequium subditi, & tamen ab hoc potest adæquari; si enim miles, qui contra vitam Regis conjuravit, postea exceptis etiam lethalibus vulneribus vitam eidem Regi conservaret, condigne satisfaceret; ergo compensatio potest fieri in ea ratione, in qua datur diversus ordo. Confirm. Si ad satisfactionem

condignam requireretur æqualitas personæ satisfacientis, satisfactio pro peccato mortali deberet esse tanta, ac si peccatum esset infinitæ malitiæ: hoc falsum: ergo. Resp. transf. ant. dist. conf. Ergo compensatio potest fieri in ea ratione, in qua datur diversus ordo, quandoque, transf. conf. semper, & tunc, quando ordo superior est omnino incommensurabilis, neg. conf. Inæqualitas inter Regem, & subditum est tantum finita; cum igitur conservatio vitæ Regi magnam utilitatem afferat, hæc utilitas potest æquivalere læso honori. At inæqualitas inter DEUM, & creaturas est infinita, & per obsequia creaturæ DEO proprie nulla affertur utilitas. Ad confirm. dist. maj. Satisfactio deberet esse tanta per se, neg. maj. per accidens, conc. maj. & sic dist. min. conf. DEUS simpliciter habet jus satisfactionem condignam exigendi; cum ergo nulla finita sufficiat, potest exigere infinitam, licet ex minore titulo, quam si malitia peccati esset infinita.

309 Dices 2. Gravitas peccati adeo non crescit ex inæqualitate personarum, ut potius crescat ex dignitate offendentis; nam peccatum personæ in dignitate constitutæ v. g. Sacerdotis est gravius, quam hominis plebeji; & vicissim, obsequium a persona digniore exhibitum non æstimatur esse majus; sic, si Princeps fungatur officio militis, non debetur ipsi majus stipendium, quam gregario. Confirm. Eadem est delicti gravitas, sive aureus auferatur Regi, sive rustico: ergo. Resp. dist. ant. Ut ex dignitate offendentis potius crescat per se, & cæteris paribus, neg. ant. per accidens ratione majoris scandali, ingratitudinis &c. conc. ant. Si principi in tali casu non debetur majus stipendium, id est per accidens, ratione contractus, in quem ultro consensit; quod enim per se majore præmio, & laude dignus sit, quam miles gregarius, si pro bono publico cum propriæ vitæ periculo militet, videtur manifestum. Ad confirm. dist. ant. Eadem est delicti gravitas spectando inju-

injuriam realem, tranf. ant. fpectando injuriam perfonalem. neg. ant. Vide num. 303.

310 Obj. 3. Creatura poteft DEO reddere, quantum debet; ergo poteft condigne fatisfacere. Ant. prob. Qui facit, quantum poteft, reddit, quantum debet; cum ad impoffibile nulla fit obligatio; atqui creatura poteft facere, quantum poteft: ergo. Confirm. Qui pro beneficio tantum reddit, quantum poteft, perfecte fatisfacit obligationi gratitudinis; ergo qui pro offenfa reddit, quantum poteft, perfecte fatisfacit obligationi juftitiæ. Refp. neg. ant. Ad prob. dift. maj. Qui facit, quantum poteft, reddit, quantum debet per fe, remote, & fpectato jure offenfi, neg. maj. quantum debet hic & nunc per accidens, proxime, & fpectatis viribus, quibus inftructus eft, conc. maj. fed nego fuppof quod hoc ad condignam fatisfactionem fufficiat; alias, qui deberet 1000 aureos, condigne fatisfaceret toti debito, reddendo 100, eo quod hic & nunc plures non habeat. Licet itaque creatura, dum facit pro offenfa, quantum poteft, fatisfaciat debito formali, & proximo, ita, ut non peccet de novo, non ideo fatisfacit condigne debito remoto, & objectivo, cum non ponat aliquid æquale offenfæ, & juri, quod DEUS offenfus erga illam habet. Ad confirm. tranf. ant. neg. conf. Si verum eft anteced. tunc, quia gratitudo non exigit æqualitatem inter gratiarum actionem, & beneficium; at juftitia per fe exigit æqualitatem inter fatisfactionem, & offenfam.

311 Dices 1. Creatura poteft elicere actum tam bonum, quam malum eft peccatum mortale; ergo poteft reddere æquale. Ant. prob. Actus charitatis perfectæ a creatura elicitus DEO tantum placet, quantum ipfi difplicet illius omiffio peccaminofa: ergo. Confirm. Creatura per actum charitatis fe iterum convertens ad DEUM, eidem reddit rationem ultimi finis: ergo reddit DEO, quantum illi per converfionem ad creaturas abftulit. Refp. dift. ant.

 Poteft

Poteſt elicere actum tam bonum in ratione bonitatis objectivæ, & moralis, quam malum eſt peccatum mortale in ratione malitiæ moralis, & objectivæ, tranſ. ant. Tam bonum in ratione obſequii, & ſatisfactionis, quam malum eſt peccatum in ratione offenſæ, neg. ant. Ad prob. iterum diſt. ant. Actus charitatis tantum DEO placet complacentia intentiva, & præceptiva, quæ eſt proportionata bonitati morali actuum, conc. ant. complacentia appretiativa, quaſi DEUS tanti æſtimet hoc obſequium, quanti offenſam gravem, neg. ant. & conſ. Ad confirm. diſt. ant. Reddit DEO rationem ultimi finis per actum tam æſtimabilem, qui offenſam adæquet, neg. ant. aliter, tranſ. ant. & diſt. conſ. Ergo reddit, quantum abſtulit, ſpectando præciſe damnum reale, tranſ. conſ. ſpectando offenſam perſonalem, neg. conſ. Argumentum probaret, quod ſubditus rebellis condigne ſatisfaceret, ſi pileum, quem Regi excuſſit, iterum ejus capiti imponeret.

312 Dices 2. Actus charitatis ex infinita dignitate objecti amati habet bonitatem ſecundum quid infinitam, & inſuper eidem reſpondet majus præmium, quam pœna omiſſioni amoris graviter præcepti; nam poſſeſſio infiniti boni in ratione boni eſt majus, quam ſupplicium inferni in ratione mali: ergo ſatisfactio creaturæ adæquat ipſam offenſam perſonalem, utpote etiam tantum ſecundum quid infinitam. Confirm. Charitas perfecta vel per ſeipſam formaliter juſtificat, vel ſaltem cum gratia juſtificante eſt connexa; ergo creatura per illam facit, quantum requiritur ad extinguendam indignationem Divinam. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Alias poſſet condigne ſatisfieri etiam per actum charitatis naturalem, aut quemlibet actum meritorium vitæ æternæ. Nempe actus meritorius neutiquam ad actum demeritorium ſe habet, ſicut præmium ad pœnam. Nam præmium eſt finis actus boni, & commendat munificentiam præmiantis, adeoque poteſt eſſe majus. Econtra pœna tantum

tum est medium ad impedienda peccata, & ejus excessus argueret crudelitatem punientis. Ad confirm. dist. ant. Charitas est connexa cum gratia sanctificante ratione sui valoris, & æstimabilitatis adæquantis offensam, neg. ant. ratione suæ entitatis, transf. conf. Si argumentum vim haberet, per unicum actum charitatis posset condigne satisfieri pro innumeris peccatis gravibus.

313 Obj. 4. Quando DEUS permittit peccatum, inde debet eruere æquale, vel majus bonum; ergo supposito peccato vel necessario daretur Incarnatio, quod negavimus num. 82, vel potest a pura creatura elici actus tam bonus, quam mala fuit offensa. Confirm. Gubernator humanus non potest permittere malum, nisi inde eruat majus, vel æquale bonum; ergo neque DEUS. Resp. dist. ant. inde debet eruere æquale, vel majus bonum, quod est tale præcise secundum se, & respectu operantis, neg. ant. quod est tale respectu totius reipublicæ humanæ, & beneplaciti Divini, transf. ant. & neg. conf. Sicut DEUS nullum debet quærere bonum creatum, ita non debet quærere majus, vel æquale, & respectu totius universi melius judicavit, quædam peccata permittere, quam omnia impedire, eo quod tali modo magis manifestentur quædam perfectiones Divinæ e. g. justitia, & misericordia in puniendo. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Gubernator creatus ordinatur ad rem publicam, & ipsemet illius bono indiget. Econtra Gubernator Divinus nec ad hoc universum ordinatur, nec illius bono indiget, ut jam advertimus in Tract. de DEO.

314 Dices 1. Juxta SS. Patres DEUS sæpe permittit gravem lapsum hominis, ut inde augeatur illius humiliatio, fervor, pœnitentia, &c. ergo isti actus DEO æque, vel magis placent, quam peccatum displicet; quidquid enim DEUS facit, vel permittit, ordinat ad majorem suam gloriam, & beneplacitum. Confirm. Absurdum foret, si artifici posset exprobrari,

brari, quod in ipſius artefacto ſit plus mali, quam boni: ergo. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Iſti actus æque, vel magis placent DEO complacentia intentiva, & in ratione bonitatis moralis & objectivæ, tranſ. conc. complacentia appretiativa, & in ratione obſequii, neg. conſ. DEUS peccatum non intendit tanquam medium, ut per illud actum bonum obtineat, ſed cum homo libere ſit peccaturus, peccatum permittit, non permiſſurus, niſi videret, hominem poſtea eliciturum plures actus bonos, quos DEUS conſequenter ad ſuam gloriam ordinat. Ad confirm. diſt. ant. Si iſte defectus poſſet adſcribi ipſi artifici, conc. ant. Si tantum provenit ex libera malitia ipſius artefacti, neg. ant. DEUS cuilibet dat ſufficientia media ad peccata vitanda, idque præcipit: Si autem homo nihilominus velit peccare, id non tenetur impedire, conſequenter non poteſt adſcribi DEO, quod peccata contra ſuam voluntatem committantur.

315 Dices 2. Tali modo homo haberet majorem poteſtatem ſe perdendi, quam ſalvandi; hoc abſurdum: ergo. Confirm. Homo etiam in ſtatu naturæ puræ incitaretur ad pœnitentiam; ergo potuiſſet pro mortali ſatisfacere, alias poſt commiſſum peccatum deberet deſperare. Reſp. diſt. maj. Haberet majorem poteſtatem ſe perdendi, quam ſalvandi conſequenter ad lapſum, tranſ. maj. antecedenter, neg. maj. Homo antecedenter ad lapſum poteſt æque agere bonum, ac malum, adeoque tam bene acquirere ſalutem ſtatui ſuo competentem, ac illam amittere. Quod autem conſequenter ad lapſum propriis viribus nequeat reparare priſtinum ſtatum, ac ſalutem, tam parum repugnat providentiæ Divinæ, quam quod poſt voluntariam ſui occiſionem nequeat amplius reparare vitam corporalem. Ad confirm. conc. ant. neg conſ. Homo in hoc ſtatu potuiſſet ponere ſatisfactionem ſaltem imperfectam, & congruam, ob quam prudenter ex beneficio, & favore DEI veniam ſperare potuiſſet.

potuiſſet. Licet enim in ſtatu puræ naturæ nulla fuiſſet data gratia ſupernaturalis, potuiſſet nihilominus DEUS conferre beneficium indebitum ordinis naturalis, quale beneficium tunc fuiſſet venia peccatorum, data homini propter ſatisfactionem imperfectam.

316 Obj. 5. Pura creatura poteſt de condigno mereri remiſſionem peccati mortalis: ergo etiam de condigno ſatisfacere. Nam meritum condignum extinguit omne debitum, & offenſo aufert omne jus ulterius aliquid pro remiſſione peccati exigendi. Confirm. Chriſtus non aliter condigne ſatisfecit pro peccatis noſtris, niſi quatenus de condigno meritus eſt illorem remiſſionem: ergo. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Rationem additam diſt. Meritum condignum extinguit omne debitum, & jus offenſi ob ſuum valorem intrinſecum, & æqualitatem cum quantitate offenſæ, neg. ob promiſſionem, vel munificentiam præmiantis, conc. Meritum præcipue tendit in utilitatem merentis, & ejus condignitas creſcit ex ipſa dignitate præmiantis, quin illa perfecte debeat adæquare præmium. Econtra ſatisfactio tendit in utilitatem offenſi, & ex illius dignitate decreſcit, ac inſuper, ut ſit condigna, perfecte debet adæquare offenſam. Ad confirm. diſt. ant. Chriſtus non aliter ſatisfecit, niſi merendo quomodocunque, neg. ant. merendo per obſequia offenſas perfecte adæquantia, imo longe ſuperantia conc. ant. & neg. conſ.

317 Dices. Meritum condignum remiſſionis tantum valet, quantum ceſſio juris ad exigendam ſatisfactionem: & ceſſio juris tantum valet, quantum jus: ergo meritum condignum tantum valet, quam jus offenſi, & ipſa offenſa. Conf. Qui remiſſionem peccati meretur de condigno, per juſtum pretium emit omne jus, quod DEUS habet vi peccati: ergo ſolvit, quidquid pro peccato debet, conſequenter condigne ſatisfacit. Reſp. Diſt. ant. quoad 1 memb. Meritum condignum ex intrinſeca ſua æſtimabilitate tan-

tantum valet, quantum cessio juris ad exigendam satisfactionem,neg. ant. ex aliis titulis, transf. ant. quoad hoc membr. & transmisso altero, neg. conf. Quamvis remissio peccati, qua DEUS cedit jure suo ad exigendam satisfactionem, quoad effectum idem præstet, quod fit per condignam satisfactionem, non tamen idem præstat ex titulo æqualitatis intrinsecæ meriti cum offensa. Hinc ad confirm. dist. conf. Solvit, quidquid pro peccato debet, pretio per se debitum non adæquante, conc. conf. pretio adæquante debitum, neg. conf. cum ulteriore sequela.

318 Cæterum utrum homo possit mereri de condigno remissionem peccati gravis, disputatur. Interim certum videtur, quod pura creatura non possit condigne mereri remissionem peccati mortalis proprii. Nam licet juxta Theologos peccator per actum contritionis perfectæ mereatur de congruo gratiam sanctificantem, per quam peccatum grave formaliter remittitur, nullus tamen est, qui dicat, quod eam sibi mereri valeat de condigno. 2. Pariter certum videtur, quod homo justus nequeat alteri peccatori mereri remissionem peccati mortalis in hac providentia, utpote in qua DEUS ordinavit, ut totum meritum justi impendatur ad promerendam sibi ipsi gratiam & gloriam. 3. Communissima aliorum contra Ripaldam negat, quod homo justus etiam in alia providentia alteri de condigno possit mereri remissionem peccati, & gratiam sanctificantem. Quamquam enim gratia sanctificans secundum se non videatur excedere omne meritum puræ creaturæ, in peccatore tamen resistit peccatum, cujus malitia, & resistentia major apparet, quam bonitas, & vis meriti. 4. Nihilominus Vasquez cum aliis admittit, quod homo justus in alia providentia posset alteri justo mereri augmentum gratiæ sanctificantis. Quæ cum non sint hujus loci, breviter indicasse sufficiat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An pura creatura ſaltem poſſit condigne ſatisfacere pro peccato veniali?

Sicut in peccato mortali, ſic in veniali conſiderari poteſt reatus culpæ, & pœnæ. Reatus culpæ eſt obligatio paſſiva ſuſtinendi diſplicentiam, & indignationem Divinam. Reatus pœnæ eſt obligatio ſuſtinendi pœnam per peccatum promeritam; quæ cum reſpectu peccati venialis ſit tantum temporalis, omnes facile concedunt, quod culpa remiſſa reatus pœnæ a pura creatura tolli poſſit vel per condignam ſatisfactionem, eliciendo talia opera bona, quæ huic pœnæ temporali in æſtimatione morali æquivalent, vel per condignam ſatispaſſionem, ſive in hac, ſive in altera vita tolerandam. Idem de reatu culpæ docent Thomiſtæ, Scotiſtæ, Suarez, Vaſquez, aliique plurimi, ac graves Auctores, præſertim antiquiores; licet aliqui ex illis dicant, debere accedere ſpecialem DEI favorem, quo opera noſtra, utpote aliunde ex pluribus titulis ſibi debita, ad remittendum peccatum veniale acceptet. Imo Scotus, Ulloa, Tournely, cum multis Recentioribus abſolute negant, quod pura creatura pro reatu culpæ venialis condigne ſatisfacere poſſit, quæ ſententia eſt conformior doctrinæ, quæſtione præced. a nobis traditæ. Hinc 319

Dicendum. Pura creatura ne quidem poteſt condigne ſatisfacere pro peccato veniali. Prob. Peccatum veniale eſt quædam irreverentia, & inobedientia exhibita DEO, vel omnino vera offenſa DEI: ergo nulla pura creatura poteſt pro illo condigne ſatisfacere. Ant. quoad 1 membr. videtur per ſe manifeſtum; quippe peccatum veniale ex eſſentia, & definitione ſua eſt transgreſſio libera legis Divinæ; ergo eſt inobedientia, & irreverentia erga DEUM. Sic utique inobediens, & irreverens erga DEUM eſt, qui deliberate dicit mendacium, probe adver- 320

tens, id a DEO prohiberi, eique displicere, vel qui semideliberate erumpit in blasphemiam contra DEUM. Ex eadem ferme ratione prob. ant. quoad 2 membr. Nam lex prohibens peccatum veniale obligat saltem sub culpa levi; per hoc enim differt a mero consilio: ergo est aliquis contemptus interpretativus, quædam inhonoratio, atque injuria, in conspectu ipsius Legislatoris commissa, quæ proinde Legislatori præbet jus ad indignationem, & satisfactionem exigendam: ergo est proprie offensa DEI, quamvis levis, ut cum Vasquez admittunt plures ex ipsis adversariis, & indicat Scriptura Jacob. 3 v. 2: *In multis offendimus omnes.* Hinc fideles etiam, quando in Confessionali de solis peccatis venialibus se accusant, profitentur se dolere, quod DEUM offenderint.

321 Prob. nunc etiam consequentia primi enthymematis. Modo peccatum veniale sit vel offensa, vel saltem inobedientia, & irreverentia erga DEUM, jam crescit ex dignitate DEI, & vilitate creaturæ, adeoque coram tribunali Divino est aliquid gravissimum. Econtra omnia obsequia creaturarum ex iisdem titulis decrescunt, & coram tribunali Divino sunt aliquid levissimum, ex multis aliis titulis DEO jam debitum, qui ex se ipso illis est dignissimus, indignissimus vero omni vel levissima irreverentia: ergo non potest a pura creatura poni obsequium, quod tantæ sit æstimabilitatis in appretiatione Divina, quantæ fuit malitia peccati venialis. Confirm. Ex pœnis gravissimis, quibus DEUS tum in hac, tum in altera vita peccata venialia punit. Sic Moyses sanctissimus ob levem diffidentiam punitus est celeriore morte ante ingressum, & in conspectu terræ promissionis, quam ardentissimis votis desideraverat: David ob vanam elationem animi in numerando populo punitus est peste, qua intra triduum 70000 virorum amisit. De pœnis alterius vitæ S. Augustinus in Psalm.

37 inquit: *Gravior est ignis Purgatorii, quam quidquid homo potest pati in hac vita.*

Objectiones.

Obj. 1. S. Joannes epist. 1 cap. 1 v. 9 inquit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus* (DEUS) *ut remittat nobis*: qui textus loquitur de peccatis venialibus, ut ex D. Augustino evincere conatur Suarius; ergo remissio homini justo ea confitenti debetur ex justitia; atqui debitum ex justitia supponit condignam satisfactionem: ergo. Confirm. S. Thomas quæst. 87 art. 3 ad 3 docet, peccata venialia tolli quantum ad culpam virtute alicujus satisfactionis; ergo. Resp. Transf. ant. dist. conf. Ergo remissio venialium debetur ex justitia, supposita promissione Divina onerosa, conc. conf. secus, neg. conf. DEUS in cit. textu dicitur etiam fidelis; fidelitas autem supponit promissionem, vi cujus DEUS homini vult remittere peccata venialia, sub conditione, si ea confiteatur. Hac itaque conditione posita, DEUS venialia remittere tenetur etiam non posita satisfactione condigna. Ad confirm. S. Thomas solum videtur loqui de satisfactione aliqua congrua, aut si plus velit, cum reverentia ab illo discedere licebit. 322

Dices 1. Actus bonus justi per gratiam dignificatus, meretur præmium æternum, & augmentum amicitiæ Divinæ; peccatum autem veniale tantum meretur pœnam temporalem, nec amicitiam cum DEO minuit: ergo talis actus bonus habet dignitatem majorem, magisque placet DEO, quam peccatum veniale ipsi displicet. Confirm. Si pura creatura potest pro peccato veniali condigne satisfacere, magis commendatur placabilitas DEI: ergo. Resp. conc. ant. dist. conf. Talis actus habet majorem dignitatem in ratione obsequii, & magis placet DEO complacentia appretiativa, quam ipsi displi- 323

cet

cet peccatum veniale displicentia reprobativa in ratione irreverentiæ. neg. conf. habet majorem dignitatem in ratione meriti, ac in ea magis placet DEO, quam illi displicet veniale in ratione demeriti, transf. conf. sed hæc non sufficit ad satisfactionem condignam, ut patet ex quæstione præcedente. Ad confirm. neg. ant. Placabilitas DEI intelligitur esse major, si sine satisfactione condigna ejusmodi peccata remittit, & in nostra sententia magis commendatur Dignitas, & Excellentia DEI.

324 Dices 2. Saltem actus charitatis in ratione obsequii est aliquid dignius, quam peccatum veniale in ratione irreverentiæ; nam actus charitatis creaturam perfecte convertit ad DEUM tanquam ultimum finem, a quo eandem peccatum veniale non avertit, sed tantum retardat. Confirm. Ipsa ratio amicitiæ exigit, ut leves offensæ inter amicos vix evitabiles mutuis obsequiis possint compensari: ergo homo justus, & amicus DEI debet posse condigne satisfacere pro peccatis venialibus. Resp. Neg. ant. quod non evincit ratio addita, quia actus charitatis aliunde debetur DEO ex plurimis titulis, & ex ipsa dignitate DEI in ratione obsequii decrescit, dum econtra peccatum veniale in ratione irreverentiæ ex illa crescit. Ad confirm. dist. ant. Amicitia exigit, ut leves defectus mutuis obsequiis possint compensari aliqualiter, & per satisfactionem congruam, conc ant. æqualiter, & condigne, subdist. si amicus offensus sit tantum dignitatis finitæ, transf. ant. si sit dignitatis infinitæ, neg. ant. & conf. Licet peccata venialia sint aliquid leve respectu mortalium, aut oppositionis cum amicitia Divina, sunt nihilominus simpliciter aliquid gravissimum in ratione irreverentiæ.

325 Obj. 2. Peccatum veniale non est proprie offensa DEI; ergo non crescit ex dignitate DEI, & vilitate creaturæ. Ant. prob. Peccatum veniale non est contra, sed tantum præter legem DEI; nam finis legis est charitas, & beatitudo hominis, quæ cum peccato

peccato veniali ſtare poſſunt. Confirm. Paccatum veniale non verſatur circa DEUM, ſed tantum circa media ad DEUM veniendi; ergo non diſplicet DEO ut oppoſitum ejus dignitati, ſed tantum ut oppoſitum virtutibus, & bono per legem intento. Reſp. Imprimis tranſ. ant. neg. conſ. quia nihilominus peccatum veniale eſt transgreſſio legis Divinæ, & irreverentia, ac inobedientia erga DEUM. Dein etiam neg. ant. Ad ejus prob. diſt. ant. Peccatum veniale non eſt contra legem DEI graviter obligantem, & contrarietate finis, conc. ant. contra legem DEI leviter obligantem, & contrarietate objecti, neg. ant. Nam peccatum veniale eſt revera objectum a lege prohibitum, & diſplicens Legistlatori; hinc Theologi communiſſime peccatum in genere ex S. Auguſtino definiunt, quod ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI. Ad confirm. neg. ant. Cum veniale ſit contra legem, & voluntatem Divinam, hoc ipſo eſt contra DEUM, ſaltem indirecte, imo poteſt etiam circa DEUM verſari directe, ut patet in blasphemia ſemideliberata; ſicut viciſſim aliqua mortalia e. g. furtum, adulterium directe non verſantur circa DEUM, ſed circa res alias.

Dices 1. Illud ſolum eſt offenſa DEI, quod DEO tribuit jus auferendi, vel ſaltem minuendi amicitiam; atqui peccatum veniale hoc jus DEO non tribuit, cum gratiam ſanctificantem nec auferat, nec minuat. Conf. Leges prohibentes peccata venialia ſunt mere pœnales, nec tam ſunt latæ in utilitatem DEI, quam ipſorum hominum: ergo. Reſp. Neg. maj. Quia peccatum veniale nihilominus DEO tribuit jus ad levem indignationem, & ſatisfactionem, ac pœnam temporalem exigendam, quod omnino videtur ſufficere ad offenſam proprie talem. Sic levis irreverentia, & inobedientia filii erga patrem, non tribuit patri jus ad diſſolvendum amorem paternum, vel imminuendam hæreditatem; attamen tribuit ipſi jus ad iram moderatam, & exigendam ſatisfactionem, ac

pœnam

pœnam aliquam a filio, quamvis sibi dilecto; propterea talis pater non quidem dicitur filio infensus, dicitur nihilominus a filio offensus. Ad confirm. neg. ant. DEUS omnia principaliter ordinat ad suam gloriam, & Divina dignitas exigit, ut nulla ipsius lex sine offensa possit violari, præsertim, quia transgressio fit in conspectu ipsius Legislatoris. Aliud est de legislatore humano, qui sæpe tantum spectat utilitatem publicam, & hinc contentus est, si transgressor legis pœnam luat.

327 Dices 2. Peccans venialiter actu, vel saltem habitu est ita constitutus, ut rem prohibitam non faceret, si sciret, illam esse prohibitam sub amissione ultimi finis: ergo peccatum veniale non est contemptus DEI, adeoque nec offensa. Confirm. Puer, qui in schola aliquantum non attendit, cum tamen id jusserit Magister, non censetur idcirco Magistrum statim offendere: ergo. Resp. Transf. ant. quod non est universaliter verum de iis, qui jam sunt in statu peccati mortalis, dist. cons. Ergo peccatum veniale non est contemptus DEI formalis, & gravis, conc. cons. levis, & interpretativus, neg. cons. cum ulteriore sequela. Qui venialiter peccat, bonum creatum, cujus amore peccat, jam aliquo modo præponit voluntati, & legi Divinæ, leviter obliganti, consequenter DEUM leviter, & interpretative contemnit. Ad confirm. neg. ant. siquidem Magister serio, & sub pœna aliquantum graviore discipulum attendere jusserit. Certe talis discipulus juxta omnes esset irreverens, & inobediens, unde Magistro inferret aliquam injuriam, & inhonorationem.

328 Obj. 3. Homini justo ex justitia debetur vita æterna, consequenter etiam remissio peccati venialis; ergo pro hoc potest condigne satisfacere. Nam offensus tamdiu non tenetur ex justitia offensam remittere, quamdiu offendens non digne satisfacit. Confirm. Per condignam satisfactionem nulla alia intelligitur, quam ea, qua posita DEUS teneretur offen-

offensam remittere; ergo si DEUS aliquam satisfactionem tenetur a justo acceptare, illa erit condigna. Resp. Dist. ant. Homini justo debetur remissio peccati venialis propter æqualitatem obsequii cum offensa, vel irreverentia, neg. ant. aliunde propter gratiam sanctificantem, conc. ant. & neg. cons. cum ratione addita. Cum justus vitam æternam, ratione gratiæ sanctificantis ex justitia sibi debitam, sine remissione peccati venialis nequeat obtinere, DEUS tenetur peccatum veniale vel gratuito remittere, vel contentus esse satisfactione congrua, non propter obsequii valorem, sed intuitu juris, quod justo tribuit gratia sanctificans. Hinc ad confirm. dist. ant. Qua posita offensus tenetur offensam remittere ratione æqualitatis inter obsequium, & offensam, conc. ant. si tantum tenetur aliunde, neg. ant. & cons.

Dices 1. Quantacunque sit indignitas peccati venialis, est finita; & gratia sanctificans in homine justo potest augeri in infinitum; ergo obsequia justi tandem possunt indignitatem peccati venialis adæquare. Confirm. Quia alias omnium Sanctorum, & ipsius Deiparæ obsequia, licet innumera, & excellentissima, non possent condigne satisfacere, nec DEUM tantumdem honorare, quantum inhonoratur e. g. per distractionem semideliberatam in oratione: sequela est dura: ergo. Resp. Conc. ant. neg. cons. Quantumcunque augeatur gratia sanctificans, obsequia creaturæ semper manent inferioris ordinis ad quodcunque peccatum; quia dignitas creaturæ tantum est finita, Majestas Divina autem, quæ inhonoratur, est infinita, & illi aliunde omne obsequium possibile creaturæ debetur. Hinc ad confirm. conc. maj. neg. min. Licet hæc obsequia sint aliquid excellens, si considerentur secundum se, sunt tamen aliquid leve, si spectentur in ordine ad personam, a qua, & cui exhibentur, per quod vel maxime commendatur summa dignitas, & excellentia DEI.

329

Dices

330 Dices 2. Pura creatura potest condigne satispati pro peccato veniali; ergo etiam condigne satisfacere. Confirm. Alias ne quidem condigne posset satisfacere pro imperfectione morali, aut peccato Philosophico. Resp. Conc. ant. neg. cons. Condigna satispassio fit pro reatu pœnæ, & ad illam plus non requiritur, quam ut quis sustineat pœnam per peccatum meritam. Econtra satisfactio exigitur pro reatu culpæ, & ut sit condigna, obsequium debet esse tam æstimabile in ratione obsequii, quam gravis in suo genere fuit irreverentia, vel offensa: atqui tale obsequium non potest præstare pura creatura, ut probavimus. Ad confirm. neg. 1 sequel. Imperfectio moralis est tantum contra consilium Divinum, quod cum nullam inducat obligationem, ejus transgressio non est inobedientia, aut irreverentia contra legislatorem, nec DEO præbet jus ad exigendam pœnam, aut satisfactionem proprie dictam. Alteram sequelam admittit Ulloa, quia talis actus coram DEO esset aliquid grave, omne autem obsequium creaturæ aliquid levissimum. Econtra Lugo existimat, tale peccatum posse saltem post longum tempus, & multiplicata magna obsequia adæquari, eo quod ex dignitate personæ non haberet infinitatem secundum quid. Expeditissime negatur suppositum, quod peccatum Philosophicum sit possibile.

QUÆSTIO IV.

An Christus in hunc mundum venerit, ut pro peccatis nostris satisfaceret?

331 Circa satisfactionem Christi pro peccatis nostris erraverunt olim Pharisæi, qui, ut propriam justitiam stabilirent, satisfactionem Christi deprimere, & convellere conati sunt. 2. Valentiniani, Gnostici, Ariani, Photiniani &c. qui, sicut Divinitatem Christi nega-

negarunt, ſic pretium, & valorem redemptionis ejus operibus detraxerunt. 3. Pelagiani, qui totum miſſionis Chriſti fructum in eo poſuerunt, quod viam ſalutis tum exemplis, tum præceptis nobis demonſtrarit, quin interioris gratiæ ſubminiſtratione humanum genus a morbo peccati ſanaverit. In quem errorem teſte S. Bernardo epiſt. 190 ad Innocent. Papam ſæculo XII etiam prolapſus eſt Abailardus. 4. Sociniani, docentes, DEUM omnia peccata remittere gratis, modo peccatores reſipiſcant; unde ſatisfactionem pro peccatis eſſe inutilem, & ad veniam obtinendam ſufficere, ſi quis per fidem iterum ad DEUM convertatur.

332 Dicendum: Chriſtus venit in mundum, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret. Ita omnes Catholici. Probat. 1 apertis Scripturæ teſtimoniis: *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat,* Luc. 19 v. 10. *Miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret,* ad Gal. 4 verſ. 4 & 5. *Venit JEſus peccatores ſalvos facere,* 1 ad Timoth. 1 verſ. 15. Conſonant paſſim SS. Patres. Ex quibus Cyrill. lib. 5 Theſauri cap. 8 ait: *Quia DEUS ſciebat, nos fore mortales propter peccatum, ideo ſua miſericordia conſtituit, ut DEUS homo fieret.* S. Hieronym. in Eccleſ. cap. 7: *Quia homo infixus in limo profundi peccati indiguit majori auxilio, idcirco venit ipſa Sapientia.* S. Baſil. homil. de Nativ. *Propterea DEUS in carne eſt, ut in ea mortem occidat.* Eandem veritatem profitetur tota Eccleſia in Symbolo Nicæno his verbis: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt.*

333 Prob. 2. DEUS tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento ſæpe odium ſuum in peccata teſtatus eſt, & peccatoribus interminatus pœnam mortis æternæ; ergo cum nec mentiri poſſit, nec mutari, debuiſſet comminatio illa exſecutioni mandari, niſi Chriſtus condigna ſatisfactione iram DEI placaſſet, & pœnam

peccatoribus debitam in se suscepisset. Ant. patet iterum ex Scriptura. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium,* Psalm. 5 vers. 7. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur,* Ezechiel. 18 vers. 4. *Revelatur ira DEI de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum,* ad Rom. 1 v. 18. Quod autem Christus iram DEI placare debuerit, affirmat idem Apostolus ad Rom. 3 vers. 25: *Quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Item ad Hebr. 10 vers. 4 & 7, ubi ulterius hanc causam reddit: *Impossibile est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dixit: Hostiam, & oblationes noluisti, corpus autem adaptasti mihi.*

Objectiones.

334 Obj. 1. Licet homines peccando incurrant odium DEI, tamen DEUS humano generi non ita irascitur, ut petat satisfactionem, sed plenam omnium peccatorum remissionem omnibus pollicetur, qui resipiscunt, & sincero corde ad illum redeunt juxta illud Zachar. 1 v. 3: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: ergo DEUS non misit Christum, ut pro peccatis nostris satisfaceret. Confirm. Apostol. 2 ad Corinth. 5 v. 19 ait: *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*; ergo non petit satisfactionem, sed reconciliatus fuit solum non imputando peccata. Resp. neg. ant. & suppos. quod aliquis possit resipiscere, & sincero corde, prout oportet ad DEUM reverti, nisi per gratiam, quam Christus sanguinis sui pretio, & satisfactione promeritus est. Quippe ad remissionem peccatorum requiritur pœnitentia supernaturalis, quæ sine gratia dari non potest. Hinc ad Rom. 3 v. 24 dicitur: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptio-*

demptionem, quæ est in Christo JEsu. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Quod DEUS peccat, nobis non imputet, ratio est ipsa mors Christi, & satisfactio: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus,* ad Rom. 5 vers. 10.

DEUS ipse reconciliavit sibi homines; *Sic enim dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat,* Joan. 3 v. 16; ergo nulla amplius satisfactio necessaria erat. Confirm. Quando DEUS peccantibus minitatus est mortem, id tantum fecit sub conditione, nisi agant pœnitentiam, sicut contigit cum Ninivitis: ergo hæc comminatio non debuit mandari exsecutioni, etsi nulla præstetur satisfactio. Resp. Dist. ant. DEUS ipse reconciliavit sibi homines per Filium, & satisfactionem ab ipso præstitam, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. Sicut DEUM dedecuisset, si ante lapsum nulli hominum dedisset auxilium congruum ad servanda præcepta, sic post lapsum illum dedeceret, si omnia peccata gratis remitteret, & nemini pœnam, quam sæpe comminatus est, infligeret, quia inde facile oriretur scelerum impunitas, & legum, ac ipsius legislatoris contemptus. Hinc ad confirm. iterum dist. ant. nisi agant pœnitentiam qualemcunque, neg. ant. talem, quæ ex meritis Christi habet vim placandi DEUM, conc. ant. & neg. conf. 335

Dices 2. Est innegabile, quod immensa DEI misericordia vel maxime eluxerit in reconciliatione hominum; atqui hoc non esset verum, si DEUS plenam, & integram satisfactionem exegisset; quæ enim indulgentia creditoris erga debitorem, si ille debitum omne usque ad novissimum quadrantem exigat. Confirm. Saltem DEUS potuisset esse contentus satisfactione congrua ab ipso homine præstita; ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. Hæc ipsa est summa misericordia, quod DEUS unigenitum Filium suum miserit, ejusque satisfactionem pro nobis admi- 336

admiserit. Nam, ut ait Tournelius, licet debitor non possit respuere solutionem, vel restitutionem debiti realis, quia restitutio non respicit personam, sed tantum æqualitatem rei; aliud tamen est de satisfactione, quæ immediate respicit personam læsam, & per se præstari debet ab illo ipso, qui alterum inhonoravit. Ad confirm. transf. ant. neg. conf. Quod DEUS non voluerit esse contentus satisfactione tantum congrua, discimus ex textibus S. Pauli, quos ex cap. 3 ad Rom. & cap. 10 ad Hebr. recitavimus.

337 Obj. 2. Christus, & Incarnatio est bonum longe excellentius, quam nostra salus; ergo non potuit intendi in remedium peccati; inordinatum enim foret, si remedium longe nobilius ordinaretur ad finem ignobiliorem. Confirm. Christus fuit finis cui, propter quem DEUS omnes homines, & totum universum condidit, ut docet Apost. ad Hebr. 2; ergo non potuit intendi propter homines, alias ipsi homines essent finis cui Christi. Resp. Conc. ant. neg. cons. cum ratione addita. Sæpe fit, ut bonum majus ex justa ratione ordinetur ad obtinendum bonum minus, præsertim, quando simul obtinetur finis boni majoris; sic homo prudenter ordinare potest actum charitatis ad obtinendam castitatem. Jam vero DEUS habuit fines prudentissimos, Incarnationem ordinandi in remedium peccati e. g. ut sic magis manifestaretur DEI justitia, & misericordia. Qua ratione ipsa Incarnatio magis serviebat ad gloriam DEI, quæ fuit illius finis ultimatus. Ad confirm. conc. ant. dist. cons. Ergo non potuit intendi propter homines tanquam finem cui excellentiæ, conc. cons. tanquam finem cui indigentiæ, & utilitatis, neg. cons. Licet nostra justificatio fuerit finis qui, & nos finis cui adventus Christi, nihilominus hæc justificatio a DEO fuit ultimato ordinata ad gloriam Christi tanquam finem qui, & ad Christum tanquam finem cui excellentiæ.

338 Dices 1. Si DEUS Incarnationem ordinasset tanquam medium ad redemptionem hominum, magis amasset

amasset hominem lapsum, quam Christum; hoc absurdum: ergo. Confirm. Quia tali modo Christus esset bonum mere occasionatum, fere sicut sanatio corporis, aut pœnitentia, quæ tantum fiunt occasione mali, aut peccati. Resp. Neg. maj. Licet Christus habuerit rationem medii in ordine ad salutem nobis conferendam, simul tamen habuit rationem finis in ordine ad gloriam a nobis recipiendam, & defacto DEUS longe majora bona ipsi, quam nobis contulit. Hinc DEUS Christum non solum amavit propter bonitatem relativam ad finem redemptionis hominum, sed etiam, & quidem magis propter suam bonitatem absolutam, quæ erat longe præstantior, quam redemptio. Ad confirm. dist. ant. Fuisset bonum mere occasionatum, id est, non intendibile, nisi occasione peccati, sicut sanatio corporis, & pœnitentia non possunt intendi, nisi ex occasione mali vitandi, vel tollendi, neg. ant. id est, de facto non intentum, nisi in remedium peccati, transf. ant. Cum Christus venerit occasione opportunissima, in qua maxime elucebant perfectiones DEI, potius fuit bonum opportunum, quam occasionatum.

Dices 2. Saltem tali modo homo, postquam peccavit, esset melioris conditionis, quam fuisset sine peccato, quia occasione peccati accepisset tantum bonum, quantum est Christus. 2. Christus deberet hominibus grates, quod peccaverint, quia alias non exstitisset. 3. Tam Christus, quam homines de peccato possent speculative gaudere. Resp. Neg. omnes sequelas. Nam 1. licet homo ob existentiam Christi sit aliquo modo melioris conditionis extrinsece, & per accidens, simpliciter tamen, & intrinsece melius fuisset constitutus, si non peccasset, quia propter justitiam originalem, immortalitatem &c. magis fuisset unitus DEO, magisque expeditus ad obtinendum finem ultimum. 2. Cum peccatum de se potius fuerit impeditivum Incarnationis, Christus non debet suam

ſuam exiſtentiam hominibus, aut peccato, ſed ſoli DEO, occaſione peccati tantum bonum volenti. 3. Hinc Chriſtus ſolum potuit gaudere de propria exiſtentia, & voluntate DEI peccatum permittentis, nos vero inſuper de hac maxima DEI miſericordia, juxta illud Eccleſiæ: *Felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem.*

340 Obj. 3. Adamo jam ante ſuum lapſum revelatum fuit myſterium Incarnationis, ut communiter docent Patres, & S. Thomas quæſt. 1 art. 3 ad 5: ergo eidem etiam revelata fuit cauſa Incarnationis; alias propter deſiderium illam cognoſcendi habuiſſet anxietatem, & triſtitiam, quæ tamen repugnabat felicitati illius ſtatus; ſed cauſa illa, quod Chriſtus ſit venturus in remedium peccati, non potuit Adamo revelari; ſic enim fuiſſet præſcius ſui peccati, quod adhuc magis repugnaſſet felicitati ſtatus. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Quia, ut S. Thomas loc. cit. ait, nihil prohibet alicui revelari effectum, cui non revelatur cauſa, maxime, ſi effectus ab ejusmodi cauſa non dependet per ſe, & ex natura ſua, ſed tantum per accidens, & ex voluntate operantis, prout myſterium Incarnationis dependebat a remedio peccati tanquam fine. Dein potuit Adamo revelari cauſa hujus myſterii ſaltem inadæquata, & minus principalis, nempe gloria, & exaltatio Chriſti. In utroque enim caſu ſatisfactum fuiſſet ejus deſiderio; in primo quidem per liberam DEI voluntatem, in altero per cognitionem cauſæ ſufficientis, quin ideo debuiſſet judicare, illam eſſe adæquatam, & principalem; quodſi etiam de hoc ipſi dubium incidiſſet, pro ſua prudentia propter rei incertitudinem ſuſpendiſſet ſuum judicium, & nihil abſolute judicaſſet.

341 Dices 1. Fides Adami in Chriſtum venturum dependiſſet ab illius peccato; atqui hoc dici nequit: ergo. Min. prob. Quia hæc fides potuiſſet Adamum a peccato abſterrere, & ſic impediendo peccatum impedire ſe ipſam. Confirm. Per ſe abſurdum eſt dicere,

cere, quod Adamo tam sublime donum, quale fuit ipsius fides, sit concessum, posito, quod peccaturus sit, eidem vero negandum, posito, quod non esset peccaturus. Resp. Transf. maj. neg. min. probationem dist. Potuisset Adamum a peccato absterrere potentia antecedente scientiam mediam de hoc peccato conditionate futuro, conc. potentia consequente, & in sensu composito, neg. Si DEUS per scientiam mediam prævidisset, quod Adamus ob revelationem Incarnationis peccatum esset omissurus, ut potuit omittere, vel Incarnationem nunquam decrevisset, vel saltem non revelasset, & sic fides Adami objective existens potuisset negative impedire seipsam. Quia autem DEUS prævidit, Adamum nihilominus esse peccaturum, potentia consequente, & in sensu composito suum peccatum non amplius potuit omittere. Ad confirm. neg. ant. Argumentum solvi debet in actu supernaturali contritionis, & fide D. Petri, qua credidit revelationi Christi sibi factæ de trina sua negatione.

Dices 2. Si fides Adami in Christum venturum dependisset a peccato Adami, etiam gratia per illam fidem acquisitá dependisset ab eodem peccato: ergo idem peccatum simul fuisset causa, & destructivum ejusdem gratiæ. Confirm. Hac ratione peccatum fuisset natura prius ad Incarnationem, & ipsa Incarnatio, ejusque revelatio potuisset esse prior ad peccatum, supposito nempe, quod Adamus revelationi de Christo venturo non credidisset, aut occasione illius alio modo peccasset, sicut peccasse dicuntur Angeli. Resp Transf. ant. neg. conf. Licet gratia illa aliquo modo fuerit connexa cum peccato, non tamen ab eo proprie dependebat tanquam a causa, sed tantum remote, tanquam a conditione, sine qua non fuisset revelata Incarnatio, cui revelationi præstando fidem Adamus gratiam acquisivit, quam postea peccatum actu existens destruxit. Sic etiam gratia per fidem a D. Petro acquisita dependebat a suo

342

peccato objective existente, quam dein idem peccatum actu existens destruxit. Ad confirm. conc. ant. quoad 1 memb. quoad 2 neg. siquidem sermo fit de ipso peccato infidelitatis, quia in hoc casu tam revelatio, quam Incarnatio non exstitisset independenter a peccato; aut si hoc ponas, mutua naturæ prioritas tantum daretur inter duas causas morales.

QUÆSTIO V.

Pro quibus peccatis satisfacturus Christus venerit?

343 Quod Christus non tantum venerit in remedium peccati Originalis, sed etiam omnium actualium, videtur esse de fide ob aperta testimonia Scripturæ. Sic 1 Joan. 1 vers. 7 dicitur: *Sanguis JEsu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et 2 ad Timoth. 2 vers. 14: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ratio est, quia Christus venit tanquam perfectus Redemptor, & Salvator, qui nos ad vitam æternam perduceret, ut ipsemet testatur Joan. 10 v. 10 dicens: *Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant:* ergo Christus venit ad tollenda omnia impedimenta vitæ æternæ; atqui non solum peccatum Originale, sed etiam actualia, sunt impedimenta vitæ æternæ: ergo.

344 Nihilominus S. Thomas quæst. 1 art. 4 in corp. docet, quod Christus principalius venerit in remedium peccati Originalis, quam actualium, tum quia Scriptura peccato Adami præcipue opponit redemptionem a Christo factam: *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur,* 1 ad Cor. 15 vers. 22. Tum quia peccatum Originale simpliciter est majus quam actuale. Nam licet actuale sit majus intensive, & secundum quid, in quantum plus habet de ratione voluntarii, est tamen

dunta-

duntaxat malum privatum ſingulorum: cum econtra Originale ex natura ſua infecit totum genus humanum (excepta ſola B. Virgine) & inſuper eſt aliquo modo origo omnium peccatorum actualium.

345 Hinc inferunt, quod Chriſtus probabilius veniſſet propter ſolum peccatum Originale, etſi nullum actuale datum fuiſſet, quia nempe peccatum Originale fuit primarium motivum adventus Chriſti, & ſe ſolo ita infeciſſet totum genus humanum, ut omnes in uno fuiſſent mortui. SS. Patres quoque ſimpliciter aſſerunt, Chriſtum veniſſe, quia Adamus peccavit, ut ex dicendis apparebit. Quare dum Apoſtolus ad Gal. 2 v. 20 de Chriſto ait: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, non voluit indicare, quod Chriſtus pro ſingulorum peccatis fuiſſet moriturus, etſi Adam non peccaſſet, ſed quod Chriſtus mortem ita pro omnibus tulerit, ut ſingulis non minus providerit, ac ſi pro uno quoque in particulari eſſet mortuus. Item quod, quantum eſt in ſe, pro ſingulis mori paratus fuiſſet, ſi DEUS ita ordinaſſet.

346 Celebrior inter Auctores fuit diſputatio, an Chriſtus etiam veniſſet, licet Adam non peccaſſet. Affirmativam tenent multi, & inſignes Doctores, cum Scotiſtis docentes, Chriſtum nihilominus fuiſſe venturum, non tamen in carne paſſibili. Pro negativa ſtant ex noſtris plures cum Thomiſtis. Status quæſtionis verſatur in hoc: An redemptio generis humani fuerit Incarnationis finis principalis ſine quo non? an vero ſolum ſecundarius, ita, ut etiam absque eo Chriſtus in mundum miſſus fuiſſet propter alios fines, videlicet ipſam exiſtentiam myſterii, & gloriam DEI, & Chriſti, idque vi præſentis decreti (ut communiter addunt) non quidem formaliter, quia, ſi Adam non peccaſſet, hoc decretum non fuiſſet datum quoad omnia ſua objecta, & omnes formalitates; ſed arguitive, in quantum ex præſenti decreto, ejusque modo tendendi colligitur, quid

tunc DEUS fuisset facturus, & Adamo non peccante decreturus.

347 Ut controversiam hanc paucis complectar, judico, sententiam negativam magis esse conformem S. Scripturæ, & Patribus. Nam imprimis Scriptura pro motivo Incarnationis passim assignat remedium peccati ab Adamo commissi, quin ullum præbeat fundamentum distinguendi inter Christi adventum quoad substantiam, & quoad circumstantiam carnis passibilis: ergo Scriptura remedium peccati assignat pro motivo principali adventus Christi, præsertim quia hunc finem nobis identidem inculcando specialiter vult commendare specialem DEI charitatem erga nos peccatores. Sic si quis ad amicum continuo tantum diceret, se in Turciam venisse, ut illum ex captivitate liberaret, satis indicaret, hunc fuisse finem principalem, ac unicum sui itineris, sine quo in Turciam nunquam fuisset profecturus. Hinc ipsa Ecclesia canit: *O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat.*

348 Ad auctoritatem Scripturæ accedit auctoritas SS. Patrum, qui pariter dicta sua neutiquam restringunt ad carnem passibilem, sed adeo absolute, & illimitate ajunt, quod Christus non venisset, si Adam non peccasset, ut nos ipsi nostram sententiam vix clarioribus terminis proponere possemus. Sic S. Augustinus ex illis verbis Christi Luc. 19, *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat,* serm. 8 de Verbis Apostoli cap. 2 infert: *Ergo, si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* S. Irenæus lib. 5 cap 14 ait: *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum DEI caro factum esset.* S. Athanasius serm. 3 contra Arianos: *Necessitas, indigentiaque anterior est, quam Christi Nativitas, qua sublata carnem non induisset.* S. Ambrosius lib. 6 de Incarnat. cap. 6: *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur.*

Dices

Dices 1. Christus fuit decretus ante omnes alios homines, & creaturas: ergo venisset, licet Adam non peccasset. Ant. prob. Proverb. 8 v. 22 de Christo dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret in principio.* ad Rom. 8 v. 29: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* In eundem sensum ad Coloss. 1 v. 15 vocatur: *Primogenitus omnis creaturæ.* Resp. Dist. ant. Christus est decretus ante omnes homines, & creaturas prioritate dignitatis, & excellentiæ, attamen cum respectu ad remedium peccati, conc. ant. prioritate dicente omnimodam independentiam illius ab existentia aliorum hominum, & permissione peccati, neg. ant. Christus dicitur initium creaturarum, & primogenitus inter homines, quia in decreto divino habet prioritatem excellentiæ, & dignitatis, in quantum est objectum inter omnes creaturas excellentissimum, ex quo non sequitur, quod sit decretus absque respectu ad remedium peccati. Quia licet unum habeat rationem finis respectu alterius, potest tamen esse ab eo dependens, tam in exsecutione, quam in intentione, eo quod operans hunc finem non intendat, nisi dependenter a determinato medio. Imo Christus etiam ut passibilis, & Redemptor fuit decretus in primo signo rationis, ut hic supponere possumus ex Tractatu de DEO. 349

Quia tamen ordo signorum, quo DEUS Christum, aliaque circa illum decrevit, hoc etiam in Tractatu sæpius nobis erit necessarius, juvat illum hic repetere. Itaque DEUS instructus scientia simplicis intelligentiæ, & media de omnibus, quæ Christus, Angeli, Adamus, B. Virgo, cæterique homines, & progenitores Christi essent acturi, unico indivisibili decreto statuit: Volo Christum mittere tanquam Redemptorem in carne passibili, ejusque merita, ac mortem prædefinire in remedium peccati Originalis, quod video ab Adamo committendum, si ipsi conferrem 350

ferrem hanc libertatem. 2. Ob hæc merita Christi volo Mariæ Virgini dare has gratias, eamque eligere in Illius Matrem. 3. Ob eadem merita volo etiam gratias conferre Angelis. 4. Præterea producere Adamum, & hos illius posteros, eorumque voluntates alligare voluntati Adami in ordine ad præceptum non comedendi de fructu vetito. 5. Volo conferre Adamo hanc libertatem, & permittere illius lapsum. 6. Nihilominus etiam postea Adamo, ejusque posteris ob merita Christi conferre gratias, quibus a suo lapsu resurgere, & salutem consequi valeant.

351 Dices 2. Juxta SS. Patres Christus est fundamentum nostræ salutis, propter ipsum omnia sunt creata, neque, ut existeret, causam necessariam habuit peccatum, ut loquitur Rupertus Abbas in cap. 26 Matth. lib. 13: ergo. Confir. S. Augustin. lib. 2 de nuptiis cap. 21. docet, matrimonium jam in Paradiso, seu statu innocentiæ fuisse Sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia: ergo Christus venisset, etsi Adam non peccasset. Resp. Conc. ant. neg. cons. Ex doctrina Patrum ad summum potest erui, quod Christus ut Redemptor ante omnes alias creaturas fuerit decretus, & absolute decerni potuisset sine respectu ad peccatum; vel si Rupertus plus velit, pro nobis stat longe plurium Patrum auctoritas, qui aperte dicunt, Christum de facto ex nulla alia causa fuisse decretum, quam in remedium peccati. Ad confirm. conc. ant. neg. cons. S. Augustinus solum docet, quod defacto, ubi DEUS jam prævidit, Christum esse venturum in remedium peccati, matrimonium fuerit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, postea ab Apostolo vocatum Sacramentum magnum; item quod hanc conjunctionem significare potuisset, etsi Adam non peccasset, si nihilominus Christus venisset, hoc autem absolute futurum fuisse, S. Doctor non affirmat.

352 Dices 3. Reliqui homines exstitissent, etsi Adam non peccasset: ergo etiam Christus; alias DEUS reliquos

liquos homines Christo prætulisset. Confirm. Excellentiæ Christi magis fuit conveniens, ut decerneretur propter se, & sic DEUS magis commendasset suam charitatem, qua dignatus esset nos visitare, sive peccassemus, sive non. Resp. Conc. ant. neg. conf. Licet DEUS Adamo non peccante homines plus amasset amore absoluto, & practico, qui efficaciter infert productionem rei amatæ, nihilominus Christum etiam in hac hypothesi longe magis amasset amore speculativo, & conditionato, in quantum longe magis sibi complacuisset in possibilitate Christi, eique longe plura bona, quam aliis hominibus voluisset pro iis circumstantiis, in quibus existeret; hinc Adamo non peccante homines Christo solum prætulisset negative, quatenus illum noluisset producere. Ad confirm. transf. ant. neg. conf. Multa materialiter sunt magis convenientia, quin ideo magis serviant ad beneplacitum DEI, qui nobis longe plura adhuc beneficia præstare potuisset, quæ non præstitit, quia id ipsi fuerat liberum; alias Incarnationem decrevisset necessario, quod ipsi adversarii non volunt.

DISPUTATIO II.

De meritis Christi.

Quamvis meritum, & satisfactio Christi sint realiter idem, eundemque valorem habeant, differunt tamen formaliter; nam idem actus, quatenus ordinatur ad obtinendum præmium, dicitur meritum, quatenus vero ordinatur ad placandum DEUM offensum, & delendam offensionem, vocatur satisfactio. Hinc Theologis expeditius videtur, si prius de meritis, quam de satisfactione loquantur. Porro meritum Christi dupliciter considerari potest. Primo secundum suam entitatem physicam, & bonitatem moralem, quam habet ex objecto, aliisque circumstantiis

353

ſtantiis ſe tenentibus ex parte actionis. 2do. Secundum eſſe morale, ſeu valorem, quem habet ex infinita dignitate perſonæ merentis. In hoc ultimo ſenſu, meritum eſt aliquod concretum ex actione elicita a perſona merente, & ex forma, vel quaſi forma illam denominante meritoriam, ſeu præmio dignam. Unde ſi iſtud concretum accipitur denominative, in recto venit ſola actio humana a Chriſto libere poſita, ſi autem ſumitur concretive, ipſa etiam forma in recto importatur, ut magis patebit ex dicendis.

QUÆSTIO I.

An, & per quos actus Chriſtus ſit meritus?

354 Meritum ſupernaturale communiter definiri ſolet, quod ſit obſequium DEO præſtitum, de ſe potens movere ad retributionem præmii ſupernaturalis. Unde ad meritum, præſertim condignum, requiri ſolet 1. Ut ſit actus poſitivus, & mera aliqua omiſſio. 2. Ut ſit actus liber libertate indifferentiæ. 3. Honeſtus, & DEO placens. 4. Supernaturalis. 5. Elicitus ab homine DEO grato. 6. Et adhuc viatore. Addunt aliqui 7, ut talis actus a DEO ſit ordinatus ad præmium, eique promiſſa retributio. Dixi, ad meritum, præſertim condignum, ſive tale, quod ſecundum rectam æſtimationem habet æqualitatem cum præmio, non quidem arithmeticam, attamen geometricam, ſive proportionis, ita, ut ſpectata operis præſtantia, dignitate operantis, & munificentia præmiantis non poſſit dari præmium notabiliter minus. Meritum autem congruum eſt, quod, licet non habeat æqualitatem cum præmio, eſt nihilominus aliquid ita conducens, & æſtimabile, ut præmians prudenter poſſit moveri ad illud præmium retribuendum.

Dicetur

355

Dicendum 1. Christus meritus est per omnes actus virtutum liberos. Ita communis omnium, ac certa. Prob. Quia actus liberi Christi habuerunt omnia ad meritum requisita. Nam 1. fuere actus positivi charitatis, obedientiæ, humilitatis &c. 2. Fuere liberi, ut hic supponimus. 3. Honesti, & DEO grati. 4. Supernaturales, utpote orti ex cognitione supernaturali scientiæ infusæ, quam Christus de honestate objecti habuit. 5. Eliciti ab homine DEO grato, imo ipsi DEO hypostatice unito. 6. A viatore; dum enim Christus vitam mortalem degebat, tendebat ad gloriam, & præmium tanquam terminum, juxta illud Luc. 24 vers. 26: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* 7. Denique a DEO etiam fuerunt ordinati ad præmium, ut constat ex Scriptura: *Videmus JEsum per passionem mortis gloria, & honore coronatum*, ad Hebr. 2 v. 9. Confirm. Quia Christus a Concil. Tridentino sess. 6 cap. 7 vocatur causa meritoria nostræ justificationis, neque ulla est ratio, quare potius per unum actum virtutis, quam per alterum meruisse dicatur.

356

Dicendum 2. Christus meritus est a primo Conceptionis instanti continuo usque ad mortem, non tamen ultra. Prob. I pars ex cap. 10 ad Hebr. ubi Apostol. vers. 5 de Christo ait: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio - - - ut faciam DEUS voluntatem tuam - - - In qua voluntate*, pergit Apostol. vers. 11, *sanctificati sumus per oblationem corporis JEsu Christi.* Jam in hoc textu per ingressum in mundum juxta Cornelium, Tirinum, aliosque interpretes debet intelligi primum illud instans, quo persona Verbi in utero Virginis humanitati hypostatice fuit unita; tunc enim Filius DEI exinanivit seipsum, formam servi accipiens, & se ipsum Patri Divino hostiam magis placentem obtulit. Quæ oblatio utique fuit meritoria, cum Christus jam in primo

con-

conceptionis suæ instanti cognitione, & libertate fuerit præditus, utpote qui quoad animam longe supra conditionem aliorum hominum positus erat. Vir quippe erat, id est, homo perfectus, juxta illud Jerem. 31 v. 22: *Fæmina circumdabit virum.*

357 Prob. 2da pars. Quia vel ex ipsa natura meriti, vel saltem ex ordinatione DEI ad merendum requiritur status viæ: hic autem terminatur cum tempore hujus vitæ, ut docet communissima Theologorum, & colligitur ex Scriptura Eccles. 14 vers. 17: *Ante obitum operare justitiam.* Item Joan. 9 vers. 4: *Venit nox, quando nemo potest operari*, scil. meritorie. Hinc Christus in cruce exclamavit: *Consummatum est.* Quo tamen non obstante post mortem adhuc potest pro nobis intercedere, & impetrare. Quippe impetratio est quædam petitio alteri facta pro tollenda aliqua indigentia, quod proprie soli Orationi convenit, & fieri potest etiam ab iis, qui non possunt mereri. Sic beati per suas preces multa nobis impetrant sine merito; quod enim petunt, non datur intuitu orationis tanquam præmium illius orationis, sed potius propter merita præcedentia, quæ per orationem repræsentantur, & orantem eo gratiorem reddunt DEO, quo illa sunt majora. Hinc in nostris quoque orationibus distingui debet ratio mereti, & impetrationis; nam per easdem preces possumus mereri nobis, & aliquid impetrare defunctis.

Objectiones.

358 Obj. 1. Christus a primo conceptionis instanti fuit comprehensor, & beatus; ergo nunquam fuit in via, consequenter non habuit omnes conditiones ad merendum requisitas. Confirm. Licet animæ in Purgatorio nondum sint beatæ, & adhuc possint satispati, tamen non amplius sunt in via; ergo multo minus Christus fuit in via. Resp. Conc. ant. neg.

conceptionis suæ instanti cognitione, & libertate fuerit præditus, utpote qui quoad animam longe supra conditionem aliorum hominum positus erat. Vir quippe erat, id est, homo perfectus, juxta illud Jerem. 31 v. 22: *Fæmina circumdabit virum.*

357 Prob. 2da pars. Quia vel ex ipsa natura meriti, vel saltem ex ordinatione DEI ad merendum requiritur status viæ: hic autem terminatur cum tempore hujus vitæ, ut docet communissima Theologorum, & colligitur ex Scriptura Eccles. 14 vers. 17: *Ante obitum operare justitiam.* Item Joan. 9 vers. 4: *Venit nox, quando nemo potest operari*, scil. meritorie. Hinc Christus in cruce exclamavit: *Consummatum est.* Quo tamen non obstante post mortem adhuc potest pro nobis intercedere, & impetrare. Quippe impetratio est quædam petitio alteri facta pro tollenda aliqua indigentia, quod proprie soli Orationi convenit, & fieri potest etiam ab iis, qui non possunt mereri. Sic beati per suas preces multa nobis impetrant sine merito; quod enim petunt, non datur intuitu orationis tanquam præmium illius orationis, sed potius propter merita præcedentia, quæ per orationem repræsentantur, & orantem eo gratiorem reddunt DEO, quo illa sunt majora. Hinc in nostris quoque orationibus distingui debet ratio mereti, & impetrationis; nam per easdem preces possumus mereri nobis, & aliquid impetrare defunctis.

Objectiones.

358 Obj. 1. Christus a primo conceptionis instanti fuit comprehensor, & beatus; ergo nunquam fuit in via, consequenter non habuit omnes conditiones ad merendum requisitas. Confirm. Licet animæ in Purgatorio nondum sint beatæ, & adhuc possint satispati, tamen non amplius sunt in via; ergo multo minus Christus fuit in via. Resp. Conc. ant. neg.

neg. conſ. Chriſtus quidem fuit comprehenſor, & aliquo modo in termino, in quantum intuitive videbat DEUM, & quoad animam perfecta beatitudine fruebatur: in quantum vero ejus anima, & corpus erat paſſibile, & nondum adeptus fuerat accidentalem nominis gloriam, ſimul erat Viator adhuc tendens ad ſuum terminum, ut explicat S. Thom. quæſt. 16 art. 10 in corp. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Quamvis animæ in Purgatorio necdum complete ſint in ſuo termino, ſunt nihilominus jam conſtitutæ extra viam, quæ ſecundum DEI ordinationem finitur cum hac vita mortali. Porro ad ſatispaſſionem ſtatus viæ non requiritur, ſicut ad illam non requiritur libertas.

Dices 1. Vel Chriſtus eſſet meritus per actus amoris DEI, vel per actus virtutum moralium? Non primum: quia ſemper habuit viſionem beatificam, per quam ad amandum DEUM fuit neceſſitatus: non ſecundum, quia nunquam operatus eſt ex ſolo motivo virtutum moralium, ſed omnes illarum actus elicuit ex motivo amoris ita, ut illi actus a charitate efficaciter fuerint imperati, adeoque non amplius liberi. Reſp. Conc. maj. neg. min. quoad utrumque membr. Nam 1. Sicut Chriſtus ſimul habuit ſcientiam beatificam, qua DEUM vidit in ſe intuitive, & ſcientiam infuſam, qua illum cognovit abſtractive, ita duplicem potuit elicere amorem, unum reſpondentem viſioni beatificæ, alterum reſpondentem ſcientiæ infuſæ. Primus erat neceſſarius, alter liber, ut ipſe Chriſtus inſinuare videtur Joan. 14 v. 31 dicens: *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum mihi dedit Pater, ſic facio*, alias per actus præſtantiſſimos nihil fuiſſet meritus. 2. Quamvis nunquam operatus ſit ſine motivo charitatis, ideo non fuit neceſſe, ut omnes actus ex charitate ſibi imperaret, ſed potuit eodem, vel pluribus actibus ſimul natura elicitis aliquid velle ex pluribus motivis e. g. charitatis, obedientiæ, humilitatis &c. juxta illud ad Phi-

Philipp. 2 v. 8: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens.*

360 Dices 2. Saltem Chriſtus non potuit mereri per obſervationem præceptorum, cum enim fuerit impeccabilis, antecedenter ad illorum obſervationem fuit neceſſitatus. Reſp. Solutionem hujus objectionis non eſſe hujus loci, in quo ſolum defendimus, Chriſtum fuiſſe meritum per actus liberos. Interim Auctores communiter docent 1. Quod Chriſtus non ſit meritus per non transgreſſionem præcepti mere negativi, cum fuerit Chriſto neceſſaria. Nam licet potuiſſet elicere actum meritorium poſitivum, quo noluiſſet hoc præceptum transgredi; hic tamen actus præcepto mere negativo non afficiebatur. 2. Circa præcepta naturalia affirmativa, quæ ita erant abſoluta, ut a voluntate Chriſti non dependerent, pariter admittunt, quod per earum obſervationem Chriſtus non fuerit meritus quoad ſubſtantiam operis præcepti, ſed tantum quoad circumſtantias motivi, intenſionis, & temporis, quo præceptum nondum urgebat. 3. Idem dicunt de præceptis poſitivis, ſi quædam a Chriſto non potuerunt impediri, nec illorum diſpenſatio impetrari. Utrum huic doctrinæ debeamus ſubſcribere, ſuo tempore determinabo.

361 Obj. 2. Non poteſt eadem res in eodem inſtanti ſimul produci, & operari, neque in primo inſtanti poteſt dari conſultatio, & indifferentia ad agendum: ergo Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis non potuit mereri. Confirm. Operatio naturalis debet eſſe prior, quam libera; ergo in primo inſtanti non potuit dari operatio libera. Reſp. Neg. ant. Quando Philoſophi dicunt: prius eſt eſſe, quam operari, non intelligunt prioritatem temporis, ſed naturæ. Sic ſol in illo ipſo inſtanti, quo productus fuit, potuit producere lucem; ſimili modo in Chriſto ſtatim potuit dari cognitio indifferens, & ſufficiens conſultatio, quamquam hac non videatur indiguiſſe, eo quod omnia ſtatim perfectiſſime cognoverit. Ad confirm.

diſt.

dist. ant. operatio naturalis debet esse prior tempore, quam libera, neg. ant. prior natura, trans. ant. quia neque hoc sufficienti ratione potest probari.

362 Dices 1. Si Christus potuisset mereri in primo instanti conceptionis, id etiam potuisset in somno. 2. Per actus indifferentes, & mere naturales: hoc falsum: ergo. Resp. ad 1. Quia scientia Christi infusa fuit independens a phantasia, & corporis ministerio, adeoque Christus toto vitæ tempore proxime expeditus ad merendum, utique ad majorem ipsius commendationem dicendum, quod sine interruptione etiam in somno fuerit meritus, & nunquam ab operationibus honestis cessaverit. 2. Actus indifferentes, & mere naturales non fuere capaces meriti; si tamen per actus naturales intelligas quosdam morales, & liberos, non desunt, qui existimant, illos per infinitam dignitatem Christi potuisse dignificari ad merendum; cum enim dignitas Christi incomparabiliter superet æstimabilitatem cujuscunque præmii supernaturalis, per illam potuisse suppleri qualemcunque improportionem actus naturalis, eumque reddere DEO gratum, & præmio supernaturali dignum, maxime quia dignitas meriti non tam fundatur in dignitate actus, quam operantis. Cæterum Lugo bene negat suppositum, quod Christus unquam actum moralem mere naturalem elicuerit, eo quod omnis volitio Christi orta sit ex cognitione supernaturali de honestate objecti.

363 Dices 2 Vel omnes actus honesti, & liberi Christi tantum essent unum meritum, vel multiplex? Non primum, quia quilibet actus seorsim sumptus est dignus omni præmio possibili: non secundum, quia sic Christus per actus subsequentes nihil fuisset meritus, vel pro istis actibus debuisset dari in præmium, quod Christo jam antecedenter fuisset debitum ratione primi actus. Confirm. Absurdum foret, si Rex, qui subdito propter aliquod obsequium jam deberet aureum, eidem in compensationem aliorum obse-

quiorum nihil vellet dare, quam hunc ipſum aureum: ergo. Reſp. Tranſ. maj. neg. min. Rationem additam diſt. Chriſtus meritus eſt omne præmium per primum actum ut conjunctum cum reliquis, conc. maj. per illum ut ſeparatum a reliquis, ſubdiſt. meritus eſt omne præmium in actu primo, conc. meritus eſt in actu ſecundo, neg. DEUS, & Chriſtus non unum actum ſeorſim, ſed ſimul omnes ad modum unius meriti ultimato per mortem conſummandi ad præmium ordinarunt; hinc licet merita Chriſti fuerint multiplicia numero, & virtute, fuit tamen unum continuatione, & ordinatione ad præmium. Ad confirm. neg. paritatem. Quia ſubditus quodlibet obſequium ordinat ad novam compenſationem, neque unum ſeorſim meretur quodlibet præmium, aut quamlibet mercedem.

364 Obj. 3. Chriſtus eſt meritus per ſuam mortem, quæ datur poſt ultimum vitæ inſtans: ergo meritus eſt ultra vitam mortalem. Confirm. Chriſtus in triduo mortis nondum habuit perfectam beatitudinem; nondum enim habuit gloriam corporis, & neque de facto exaltationem omnem ſui nominis obtinuit: ergo adhuc fuit in via, & potuit mereri. Reſp. Diſt. ant. Chriſtus meritus eſt per mortem in fieri, ſeu per paſſionem illativam mortis, conc. ant. per mortem in facto eſſe, ſeu formalem vitæ privationem, neg. ant. & conſ. Mors in facto eſſe formaliter conſiſtit in deſtructione unionis inter corpus, & animam, quæ deſtructio cum non poſſit dari in eodem inſtanti cum vita, Chriſtus per illam formaliter non eſt meritus, ſed tantum per mortem cauſalem, ſeu paſſionem illorum tormentorum, ex quibus ſeparatio animæ a corpore ſecuta eſt. Ad confirm. conc. ant. neg. conſ. Ad hoc, ut aliquis ſit viator, non ſufficit, quod nondum habeat perfectam beatitudinem, alias animæ purgantes adhuc eſſent in via, ſed inſuper requiritur, ut tendat ad beatitudinem, id eſt, ut poſſit aliquid facere ad illam merendam conducens;

ducens;

ducens; hic autem ſtatus ex ordinatione divina contractus eſt ad tempus hujus vitæ.

365 Dices 1. SS. Patres docent, quod ex illo vulnere, quo latus Chriſto poſt mortem apertum fuit, fluxerint noſtra Sacramenta, eorumque vis, & efficacia: ergo ſupponunt, Chriſtum eſſe meritum poſt mortem. Confirm. Juxta S. Thomam Chriſtus deſcendit ad inferos, ut nos ab omni pœna liberaret, & ipſe Apoſtolus ad Rom. 4 v. 25 ait, quod reſurrexerit propter juſtificationem noſtram: ergo. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Vulnus illud Chriſti juxta Patres fuit fons Sacramentorum, vel quia per illud peccata noſtra abluit repræſentative, quatenus mira illa ſanguinis, & aquæ effuſio repræſentavit mundationem, & redemptionem noſtram, quæ fit per Sacramenta; vel quia vulnus illud fuit meritorium objective, & denominative, quatenus jam ante mortem a Chriſto fuit prævisum, & acceptatum. Ad confirm. eadem eſt reſponſio. Quod videlicet deſcenſus ad inferos, & reſurrectio Chriſti non fuerint cauſa meritoria noſtræ redemptionis & juſtificationis, ſed quod illam ſolum repræſentaverint, & expreſſius ſignificaverint. Ita Apoſtolum exponunt SS. Auguſtinus, Anſelmus, & Origenes.

366 Dices 2. Chriſtus in cælo quotidie adhuc interpellat pro nobis, & eſt Advocatus noſter, ut pluribus in locis aſſerit Scriptura; ergo pro nobis adhuc meretur. Confirm. juxta S. Auguſtin: epiſt. 105: *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine merito eſt, ſi fides aliquid impetrat*; ergo interpellatio, & impetratio non datur ſine merito. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Utrum Chriſtus in cœlo adhuc proprie pro nobis oret, inter Auctores, & ipſos ſanctos Patres non convenit. Affirmat Suarez, negat Vasquez, & Lugo, eoquod oratio proprie talis videatur includere carentiam plenæ poteſtatis in eo, qui orat. Cum ergo Chriſtus acceperit plenam poteſtatem in cælo, & in terra, videtur ſolum orare in ſenſu latiore, in

quantum Patri Divino repræſentat ſua merita, eique ſignificat, ſe velle, ut in præmium illorum hoc, vel illud nobis concedat; hinc Eccleſia nunquam petit, ut Chriſtus pro nobis oret, ſed ut noſtri miſereatur. Quidquid de hoc ſit, nego, quod oratio, & impetratio, præſertim extra ſtatum viæ, includat meritum. Hinc ad confirm. conc. ant. diſt. conſ. Ergo impetratio late ſumpta non datur ſine merito, conc. conſ. ſtricte ſumpta, neg. conſ. S. Auguſtinus agit de impetratione proveniente ex actu fidei, qua impetramus non orando, ſed merendo. Vide num. 357.

QUÆSTIO II.

An merita Chriſti ſint valoris ſimpliciter infiniti?

367 Quamvis Noſtri cum Thomiſtis communiſſime doceant, merita Chriſti eſſe ſimpliciter, & intrinſece infinita; acriter tamen ſe opponunt Scotiſtæ, contendentes, illa ſolum eſſe infinita extrinſece, & ſecundum quid ob reſpectum aliquem ad infinitam dignitatem Verbi, propter quem ſint in ordine ſuperiore ad omnia alia merita puræ creaturæ. Quod ſi quamdam infinitatem ſimpliciter talem habeant, id ſolum provenire ex libera DEI acceptatione. Procedit autem quæſtio de valore meritorio (id eſt de ſatisfactorio) in actu primo: An videlicet merita Chriſti de ſe, & ex intrinſeca ſua æſtimabilitate ſint digna præmio infinito. Quod enim non ſint valoris infiniti in actu ſecundo, ultro fatemur, eo quod de facto Chriſto non ſit collatum præmium ſimpliciter infinitum, neque ipſe Chriſtus tale præmium exigere voluerit, utpote quod ſciebat, eſſe impoſſibile.

368 Dicendum. Merita Chriſti ſunt valoris ſimpliciter infiniti. Prob. 1 auctoritate. Clemens VI in Extravag. Unigenitus cap. 3 de pœnitent. & remiſſionib. ait, *Chriſtum Eccleſiæ militanti reliquiſſe infinitum*

finitum thesaurum, de cujus consumptione, seu imminutione non sit aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita. S. Chrysostom. serm. 18 in cap. 5 ad Roman. comparat peccata nostra *Debito decem nummorum*, satisfactionem vero Christi *Innumeris auri talentis*, dein addit: *Hanc illis tanto esse majorem, quanto immensum pelagus excedit guttulam.* S. Basil. Homil. in Psalm. 48 ait: *Hoc pretium superare omnem valorem.* S. Anselm. lib. 2 Cui DEUS homo cap. 19: *Illud posse sufficere plusquam in infinitum pro peccatis totius mundi.* Jam sic. Clemens VI & SS. Patres merita Christi vocant simpliciter infinita, thesaurum infinitum, immensum pelagus, cujus pretium superat omnem valorem, & sine diminutione sufficit pro peccatis totius mundi plus, quam in infinitum, quin faciant ullam mentionem de libera DEI acceptatione. Imo DEUS de facto illa non acceptavit pro peccatis infinitis, quæ nec commissa, nec committenda sunt: ergo merita Christi non tantum sunt infinita secundum quid, aut extrinsece, alias simpliciter tantum essent finita, sicut peccatum simpliciter est finitum, licet respectu ad DEUM offensum sit infinitum secundum quid. Idem est de actu charitatis supernaturalis, qui etiam habet intrinsecum respectum ad DEUM infinitum, & est in superiore ordine ad omnes actus naturales.

369

Prob. 2. Meritum est aliquod concretum morale, in quo subjectum denominationis est actio moralis honesta, forma autem denominans illam meritoriam est dignitas personæ merentis: ergo merita Christi in ratione meriti, & satisfactionis sunt simpliciter, & intrinsece valoris infiniti. Ant. prob. Meritum in genere est actus dignus præmio, & retributione: ergo illud habet rationem formæ denominantis, quod actum determinat, ut sit dignus præmio; atqui hoc facit dignitas personæ merentis, ut colligitur ex propositionibus damnatis Baji. XIII. *Opera bona a filiis adoptionis facta non obtinent rationem meriti ex eo,*

quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum DEI, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi. XV. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum S. sed in eo solum, quod obedit Divinæ legi: ergo ratio, seu forma denominans meritum stat in gratia sanctificante, seu dignitate Filii DEI adoptivi: ergo a fortiore in dignitate Filii DEI naturalis. Hinc SS. Patres actiones Christi meritorias vocare solebant *Theandricas*, *DEI viriles*, *Deificatas*, *Deitate perfusas* &c. Concordat communis hominum persuasio, existimantium, merita suum valorem habere ex dignitate merentis; inde ortum est axioma: Actiones sunt suppositorum.

370 Prob. jam conf. primi enthymematis. Si forma dignificans, ac intrinsece constituens meritum, est infinite digna, totum concretum evadit infinite dignum: atqui forma constituens, ac dignificans merita Christi est infinite digna, nempe ipsum Verbum, ut probatum num. super. ergo. Maj. prob. Quævis denominatio in sua ratione est talis, qualis est forma illam in tali ratione constituens: ergo si forma constituens actum Christi in ratione meriti est infinita, tota denominatio est infinita. Sic infinita esset denominatio calidi, si constitueretur per calorem infinitum. 2. Complexum ex ente finito, & infinito est simpliciter infinitum; infinitas enim per additionem finiti non minuitur; atqui merita Christi sunt complexum ex actione finita, & dignitate infinita personæ: ergo non minus sunt infinita, quam ipse Christus. 3. Hinc in ratione meriti nihil majus potest excogitari, & quidquid perfectionis reperiri potest in quacunque bonitate actuum moralium, id eminenter continetur in infinita perfectione merentis, quæ proin omne finitum, quod est ex parte actuum secundum se, penitus absorbet, sicut fit in complexo ex DEO, & creaturis, quæ licet sint limitatæ,

&

& imperfectæ, ipsum tamen complexum est infinite perfectum.*

Ex dictis patet, Christum non fuisse meritum aut pro nobis satisfecisse ut purum hominem, neque ut purum DEUM, sed ut hominem DEUM; nam ut DEUS fuit principium quod dignificans meritum, ut homo autem fuit principium quo operationem meritoriam eliciens. Unde denominatio meritum Christi, est quidem extrinseca, si per denominationem extrinsecam intelligatur illa, cujus forma non est immediate unita subjecto; est nihilominus intrinseca in hoc sensu, quod persona infinite digna uniatur actioni meritoriæ mediate, in quantum hæc actio immediate unitur humanitati Christi. Imo, si loquamur de merito concretive sumpto, infinita dignitas Christi eidem se communicat immediate per seipsam, & intrinsece per identitatem inadæquatam; unio vero hypostatica, vi cujus Verbum actioni meritoriæ mediate unitur, est tantum aliquod requisitum ad hoc, ut actiones naturæ humanæ tribuantur personæ Divinæ tanquam supposito, & sic concretum morale ex actione meritoria, & infinita dignitate personæ resultet.

Objectiones.

Obj. 1. Actus meritorii Christi sunt tantum finiti; & persona merens est illorum subjectum; ergo dignitas personæ non est forma meritorum, nec illa reddit infinita. Confirm. Ex damnatione propositionum Baji tantum sequitur, quod gratia sanctificans, & dignitas personæ aliquid ad meritum conferat, non autem quod determinate sit forma meritum constituens; ergo. Resp. Transf. ant. neg. conf. Quamvis persona merens sit subjectum Logicum, aut quasi physicum meriti, potest nihilominus esse ejusdem forma moralis, quia hoc nihil aliud dicit, quam quod persona, quæ denominatur merens, reddat

 actum

actum præmio digniorem, quam alioquin esset, si a persona minus digna poneretur. Porro persona Verbi juxta nos solum meritum concretive sumptum reddit infinitum, non item actus secundum se, aut specificative acceptos. Ad confirm. neg. ant. Bajus non solum docuit, quod dignitas personæ nihil ad meritum conferat, sed quod non constituat rationem meriti, quæ vox proprie accepta ipsam formam constitutivam meriti denotat ita, ut Christi merita sint Deificata, Deitate perfusa &c. quemadmodum loquuntur SS. Patres.

373 Dices 1. DEUS non est acceptor personarum; ergo reddit unicuique secundum opera sua, & si agitur de compensandis injuriis, non attenditur dignitas, sed quantitas læsionis. Confirm. Valor meritorum Christi tantum debet desumi ex gratia infusa Christi; nam opera sine gratia facta DEO non sunt grata: atqui gratia infusa Christi tantum fuit finita; ergo. Resp. Conc. ant. dist. conf. Reddit unicuique secundum opera sua, prout sunt dignificata a persona merente, conc. conf. prout præcise sunt in se, neg. conf. DEUS in præmiandis operibus non quidem attendit ad dignitatem personæ mere temporalem, aut naturalem; attendit autem vel maxime ad dignitatem supernaturalem, videlicet filiationem DEI, seu naturalem, seu adoptivam, per quod neutiquam fit acceptor personarum vitiosus, ut contingere solet in humanis, dum ex affectu carnali ad officia promoventur indigni. Cæterum licet dignitas personæ non attendatur in compensatione injuriarum realium, aliud tamen est in compensatione injuriarum personalium, ut patet ex disp. præced. Ad conf. neg. maj. Rationem additam dist. Opera sine gratia facta non sunt grata DEO, nisi aliunde dignificentur, conc. si aliunde dignificantur, & quidem longe perfectius, ut fit in Christo, neg.

374 Dices 2. Dignitas naturæ humanæ non dignificat actionem humanam: ergo neque dignitas Christi illius

lius merita. Conf. Dignitas personæ præmiantis non auget præmium, alias maxima obsequia possent condigne præmiari minimo præmio: ergo a pari. Resp. Neg ant. Quamvis actiones humanæ præcise ut humanæ, seu ab hominibus elicitæ, inter se sint æquales, quia hæc ratio in omnibus habetur, dignificantur tamen magis, si considerentur, ut elicitæ ab hominibus insignitis certis dignitatibus e. g. a Rege. Item si comparentur cum actionibus brutorum; sic dignior est actio, si parentem debilem humeris ferat filius, quam si illum gestet equus. Quando igitur homines nonnunquam videntur magis æstimare actiones brutorum, id fit ob utilitatem, vel ob raritatem, & majorem admirabilitatem. Ad conf. imprimis potest iterum negari ant. præsertim si ipsa dignitas præmiantis præmium constituat, ut si ipse Rex ad suum subditum publice invisat. Dein disparitas est, quia in præmio potius attenditur utilitas merentis, quæ per se non habetur a dignitate præmiantis: in merito autem etiam attenditur dignitas merentis, ut probatum fuit.

375 Dices 3. Si actiones Christi acciperent dignitatem a persona Verbi, tunc 1. Productio vermis facta a DEO esset infinite digna ob dignitatem infinitam DEI producentis. 2. Etiam actus Christi involuntarii e. g. pulsus arteriæ, aut motus cordis essent infiniti valoris, imo etiam actus Leonis, si Verbum naturam Leonis assumeret. Resp. ad 1. Cum actio sive generativa, sive creativa vermis DEO sit extrinseca, nec amplexiva honestatis, sed a DEO solum procedat tanquam ab agente physico, ex illa non consurgit aliquod concretum morale, cujus forma dignificans est ipsa dignitas DEI. Aliud est, quod decretum producendi vermem sit infiniti valoris, & productionem vermis possit aliquo modo denominare infinite dignam extrinsece propter habitudinem, quam ad DEUM habet. Ad 2 iterum neg. sequel. Quia sola

actio

actio libera, & honesta amplectens honestatem est capax denominationis meriti. Videatur num. 362.

376 Obj. 2. Dignitas Christi meritis se tantum communicat modo finito, nempe per unionem hypostaticam, & quidem non nisi mediate; ergo illis non tribuit valorem simpliciter infinitum, sicut dignitas infinita DEI offensi non reddit peccatum mortale gravitatis simpliciter infinitæ, quia illi se tantum communicat modo finito. Conf. Infinita vilitas personæ peccantis peccatum non gravificat infinite; ergo infinita dignitas personæ non dignificat infinite merita. Resp. Dist. ant. Infinita dignitas meritis specificative sumptis se tantum communicat modo finito, conc. ant. meritis concretive sumptis, neg. ant. Quia meritis concretive sumptis immediate, & formaliter se communicat per se ipsam, per unionem autem solum inchoative, & radicaliter, ut explicatum num. 371. Cum peccato non est paritas, eoquod per dignitatem offensæ non constituatur intrinsece, sed eandem solum respiciat tanquam terminum extrinsecum. Ad conf. neg. suppositum, quod persona offendens sit infinite vilis; potest enim semper dari adhuc vilior. Hinc ad summum potest dici infinite vilis respective, & extrinsece, in quantum DEUS est infinite perfectus, creatura autem imperfecta. Vid. num. 290.

377 Dices 1. Si dignitas Verbi se actionibus meritoriis communicaret per unionem immediatam, illas magis dignificaret; ergo de facto eas non dignificat modo infinito. Confir. Licet infinita sapientia, potentia Verbi communicetur huminitati per unionem hypostaticam, illam non reddunt infinite sapientem, potentem &c. ergo a pari. Resp. Neg. ant. Quamvis ejusmodi unio immediata forte ipsam actionem liberam in se redderet digniorem, tamen respectu meriti concretive sumpti se haberet tantum materialiter; sive enim unio illa sit mediata, sive immediata, dignitas Verbi merito concretive sumpto per

se

se ipsam formaliter se communicat. Ad conf. conc. ant. neg. conf. & suppositum, quod dignitas Verbi meritis concretive sumptis se tantum communicet per unionem. Dein vel sermo est de toto complexo ex humanitate, & Verbo? & hoc erit infinite sapiens, potens, &c. vel sermo est de humanitate & actionibus meritoriis? & ulterior disparitas erit, quia infinita sapientia, potentia &c humanitatem ne quidem simpliciter possunt denominare sapientem, aut potentem, eo quod ad has denominationes requireretur identitas; econtra infinita dignitas Verbi juxta ipsos adversarios actiones Christi potest simpliciter denominare dignas, cum ad hanc denominationem sufficiat unio physica.

378 Dices 2. Etsi sanctitas Verbi humanitatem possit simpliciter denominare sanctam, non tamen illam infinite sanctificat; ergo idem dicendum de dignitate Verbi respectu meritorum. Conf. Merita Christi per Verbum non redduntur æterna, immensa, aut infinite intensa; ergo neque infinite digna. Resp. Conc. ant. dist. conf. Ergo idem dicendum respectu meritorum, si spectentur specificative, & secundum se, conc. conf. si accipiantur concretive, neg. conf. Adde, quod humanitas per sanctitatem Verbi tantum sanctificetur contingenter, ac mediante unione; unde infinite minus sancta est, quam DEUS, qui est sanctus per sanctitatem infinitam sibi essentialem, & identificatam. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Disparitas petitur ex diversitate denominationum, quarum aliquæ non tribuuntur toti, nisi conveniant singulis partibus, aliæ autem tribuuntur, etsi singulis partibus non conveniant: primi generis sunt, esse æternum, immensum, & infinite intensum. Nam intensio se tenet ex parte ipsius actus, & Christus non dicitur æternus, aut immensus, licet Verbum sit æternum, & immensum; ad denominationes posterioris generis pertinet meritum, ut evincunt probationes.

Obj.

379 Obj. 3. Licet merita Christi sint infinita, & æqualia secundum unam partem, nempe dignitatem Verbi, sunt tamen finita, & inæqualia secundum alteram partem, nempe actionem meritoriam; ergo non sunt infinita simpliciter. Conf. Meritum non tantum æstimatur ex dignitate personæ, sed etiam ex objecto, fine, & aliis circumstantiis; ergo unum meritum Christi potest esse majus altero. Resp. Trans. ant. neg. cons. Infinita dignitas personæ neutiquam limitatur per finititudinem actionum, sed hæc ab illa penitus absorbetur, ut advertimus num. 370. Sic etiam complexum ex Divinitate, & humanitate non est minoris perfectionis, quam complexum ex Divinitate, & natura Angelica. Hinc ad conf. dist. ant. Meritum etiam desumitur ab objecto, fine &c. si spectetur præcise materialiter secundum suam bonitatem moralem, conc. ant. si spectetur formaliter, subdist. nisi dignitas personæ sit infinita, conc. ant. secus, neg. ant. & cons. Merita Christi possunt quidem crescere in bonitate morali, intensione, numero &c. non item in dignitate, & valore, quia dignitas personæ tribuit valorem infinitum.

380 Dices 1. Valor meritorius, & satisfactorius fundatur in ipsa bonitate morali actionis: ergo sicut merita Christi possunt esse inæqualia in bonitate morali, sic etiam in valore. Conf. Quando ad eundem effectum concurrunt duo principia, unum finitum, alterum infinitum, tantum producunt effectum finitum; atqui ad meritum Christi præter infinitam dignitatem Verbi concurrit bonitas moralis finita: ergo. Resp. dist. ant. Valor meritorius fundatur, id est, supponit bonitatem moralem actionis, conc. ant. totus, & adæquate constituitur per illam, neg. ant. & cons. Nam valor, & æstimabilitas operis eo major est, quo major est dignitas operantis. Ad conf. dist. maj. Si talia principia concurrant in genere causæ physicæ ad effectum physicum adæquate a se distinctum, conc. maj. si concurrant per modum causæ for-

formalis cum effectu inadæquate identificatæ, neg. maj. præsertim si omnis perfectio principii finiti eminenter continetur in principio infinito. Ratio est, quia causa formalis immediate se communicat per se ipsam, & quidem necessario totam, quin suum concursum possit alteri causæ attemperare, sicut illum DEUS potest attemperare, quando cum causa creata concurrit ad effectum physicum, qui simpliciter esse infinitus nequit.

381 Dices 2. Corpus infinite longum, & finite latum, non est quantitatis simpliciter infinitæ, sicut pœna solum extensive infinita non est simpliciter infinita: ergo neque meritum Christi est simpliciter infinitum, licet sit infinitum ex parte personæ merentis; nam bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu; & effectus sequitur causam debiliorem. Confirm. Finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo actus finitus non habet proportionem ad constituendum meritum infinitum. Resp. Conc. ant. neg. conf. Quantitas tantum infinite longa non continet omnem dimensionem possibilem, nec pœna tantum extensive infinita omnem intensionem, & quantitatem pœnæ. Econtra infinita dignitas Verbi continet eminenter omnem perfectionem in quocunque actu reperibilem. Primum axioma additum loquitur de actu moraliter bono, qui ut talis debet esse bonus secundum omnes circumstantias. Alterum potissimum loquitur de conclusione, quæ sequitur partem debiliorem præmissarum secundum quantitatem, & qualitatem. Ad conf. transf. ant. dist. conf. Ergo actus finitus non habet proportionem ad constituendum meritum infinitum se solo, conc. conf. cum alio principio simpliciter infinito, quod se habet per modum causæ formalis, neg. conf.

382 Obj. 4. Dignitas filii adoptivi non dignificat merita juxta proportionem & mensuram gratiæ sanctificantis: ergo neque dignitas filii naturalis secundum totam suam infinitudinem. Ant. prob. Quia

alias

alias homo justus per quemlibet actum meritorium, utut remissum, mereretur tot gradus gratiæ, quot prius habebat, consequenter si habuisset 16 gradus, per actum minimum misericordiæ plus mereretur, quam alius habens duos tantum gradus gratiæ per intensissimum actum charitatis. Item si duo homines sanctissimi collegissent millionem gratiarum, & unus unico tantum instanti alteri superviveret, in eoque eliceret actum exiguum pietatis, hic duplo esset sanctior. Confirm. Si merita crescerent juxta mensuram gratiæ, animæ purgantes deberent subire pœnas inæquales, licet haberent culpas æquales: sequela est dura: ergo. Resp. Trans. ant. neg. cons. Cum gratia sanctificans sit tantum aliquid accidentale, & finitum, liberum fuit DEO illi tribuere hanc, vel illam vim dignificandi merita. At persona Verbi infinita continet omnes formalitates excellentiæ, & dignitatis, unde merita non potest aliter, quam infinite dignificare. Ad conf. Multi simpliciter negant, quod dignitas patientis augeat, aut dignificet satispassionem, quæ, ut aliunde constat, non debet in omnibus convenire cum satisfactione, si tamen adversarii admittant, etiam satispassionem a persona dignificari, sicut admittunt de meritis, etiam nos de utrisque eodem modo loqui possumus.

383 Cæterum an, & quomodo merita crescant juxta mensuram gratiæ sanctificantis, variæ sunt Auctorum opiniones. Multi cum Suario, & Lugone docent, quod cæteris paribus ille, qui habet majorem gratiam, mereatur plus, eo quod meritum non minus crescat ex dignitate personæ, quam ex honestate actus, neque DEUS remuneretur opera hominis nude sumpta, sed prout sunt obsequium personæ in gratia constitutæ, & DEO placentis. Quo non obstante potest homo habens minorem gratiam tantum, vel plus mereri, quam alius majori gratia præditus; potest enim excessus gratiæ compensari per actus intensiores, & perfectiores ex objecto, aliisque circumstantiis,

ſtantiis. Quod ſi ulterius quæras, an merita creſcant juxta menſuram gratiæ proportione arithmetica, vel tantum geometrica, ipſi inter ſe non conveniunt. Pro arithmetica videtur ſtare Suarez, ſaltem in hoc ſenſu, quod juſtus per quemlibet actum mereatur tot gradus gratiæ, quot antea habuit, licet non æquales, ſed ſolum proportionales. Alii cum Lugone admittunt ſolum proportionem geometricam, cujus tamen menſuram tam diverſimode explicant, ut potius augurari, quam docere videantur.

384 Hinc Vasquez, & Gormaz exiſtimant, meritum hominis juſti dignificari quidem a gratia ad hoc, ut non tantum præmium naturale mereatur, ſed ſupernaturale, ſcilicet augmentum gratiæ, & gloriæ, quod ſolum dignitati filii adoptivi proportionatum eſt; at vero idem meritum a gratia ſanctificante non dignificari ita, ut juxta illius menſuram creſcat, ſed tantum juxta dignitatem operis, quia ſic præmium jam eſt proportionatum dignitati filii adoptivi. Porro DEUS in meritis puri hominis attendit quidem ad filiationem adoptivam, cum autem hæc habeatur per unumquemque gradum gratiæ, nec ita augeri poſſit, ut quis fiat magis filius, hinc ajunt, exceſſum gratiæ reſpectu meriti quoad reliquos gradus ſe tantum habere materialiter, ſicut ſe habet mere materialiter reſpectu filiationis adoptivæ; Sic ſi ad Canonicatum requiritur nobilitas antiqua, æque illo dignus eſt Nobilis quam Comes, modo uterque æqualiter antiquitatem nobilitatis oſtendere valeat. Sic duo filii ejusdem Patris pro æquali obſequio merentur æquale præmium, licet unus ſit magis dilectus. At vero vis dignificativa meriti in Chriſto eſt ratio filiationis naturalis, quæ eſt ſimpliciter infinita, indiviſibilis, ac per ſe dignificativa meriti ad præmium perſonæ merenti proportionatum; ergo indiviſibiliter, ac infinite dignificat.

QUÆSTIO III.

Quale præmium Christus sit meritus in actu primo?

385 Quæstio hæc complementum est quæstionis præcedentis, ex qua per se fluit illius resolutio; si enim merita Christi sunt simpliciter infinita, nullo præmio finito possunt adæquari, sed quodlibet illorum de se dignum est præmio majore & majore in infinitum: ergo Christus in actu primo meritus est omne præmium possibile syncategorematice infinitum. Confirm. Nullum præmium, quod respectu personæ merentis, & præmiantis est aliquid minimum, potest ita adæquare meritum talis personæ, ut illa non possit jure exigere majus; atqui omne præmium possibile respectu personæ Christi merentis, & DEI præmiantis est aliquid minimum, & quasi nihil, nam quantumcunque præmium excogitetur, illud erit tantum aliquid creatum, & finitum, dignitas vero personæ in Christo est infinita; respectu cujus omne creatum est quid longe minus, quam si Rex maximus filio suo ob præstitum insigne quoddam obsequium obolum retribueret.

Objectiones.

386 Obj. 1. Si Christus meritus est omne præmium possibile, meritus est præmium infinitum; hoc implicat: ergo. Confirm. Est absurdum, quod Christus plus sit meritus, quam DEUS possit præmiare; atqui DEUS juxta nos nunquam satis posset præmiare merita Christi; quodcunque enim præmium eis retribuerit, semper adhuc mererentur majus. Resp. Dist. maj. Si Christus meritus est omne præmium possibile collective sumptum, conc. maj. distributive sumptum, subdist. meritus est præmium infinitum syncategorematice, conc. maj. infinitum categorematice, neg. maj. & sic dist. min. cons. Sicut ad infinitatem

Omni-

Omnipotentiæ Divinæ requiritur, & sufficit, quod possit producere omnes effectus distributive sumptos, & in omni genere, ac specie syncategorematice infinitos; ita ad infinitatem meritorum Christi requiritur, & sufficit, quod ipsis debeatur omne præmium possibile distributive sumptum, & in omni genere tam quoad intensionem, quam quoad durationem syncategorematice infinitum. Ad conf. conc. maj. neg. min. Quemadmodum Christus quovis præmio determinate sumpto meretur majus, ita DEUS illud posset dare, licet hic & nunc actu non dederit.

Dices 1. Nullum præmium possibile potest esse æquale meritis infinitis: ergo illa nunquam condigne à DEO possunt præmiari. Confirm. Sed necessario magnam partem manerent impræmiata. Resp. Dist. ant. Nullum præmium potest esse æquale meritis infinitis quoad ipsam dignitatem, & jus remotum, conc. ant. quoad jus proximum, neg. ant. & sub eadem distinct. cons. Duplex jus ad præmium considerari debet; unum est remotum, & consistit in intrinseco meritorum valore; alterum est jus proximum, quod compleri debuit per ipsam determinationem Christi, ac Divini Patris, qua ex omnibus bonis possibilibus elegerunt illa, quæ actu in præmium tribui vellent. Jam licet præmium debeat respondere juri proximo, quod tantum est finitum, pertinet tamen ad ipsam excellentiam meritorum Christi, quod nullum præmium possit respondere juri remoto, ejusque dignitati infinitæ; sicut ad prærogativam omnipotentiæ spectat, quod nequeat dari effectus tam perfectus, quo perfectiorem & perfectiorem nequeat producere: ut vero proxime aliquem producere valeat, debet determinari per voluntatem Divinam. Ad conf. dist. ant. Manerent impræmiata, id est, non haberent præmium respondens juri remoto, conc. ant. juri proximo, neg. ant. & cons.

387

Dices 2. Cuilibet merito infinito debetur omne præmium: ergo plura ejusmodi merita fuissent superflua,

388

perflua, & nullum præter primum præmiaretur. Conf. Juxta nos Christus non solum fuisset meritus ea bona, quæ defacto intuitu illius nobis conferuntur, sed innumera alia e. g. prædestinationem omnium hominum, libertatem omnium damnatorum &c. ergo merito potest conqueri, quod hæc bona ipsi negentur. Resp. Conc. ant. neg. conf. Christus totam collectionem suorum meritorum ad nostram redemptionem Patri obtulit, & Pater illam acceptavit. Itaque ex ordinatione Divina, & voluntate ipsius Christi omnia merita fuere necessaria ad redemptionem in actu secundo perficiendam, ac insuper utilissima ad demonstrandum magis gravitatem peccati, & charitatem DEI erga nos, ad ostendenda virtutum exempla &c. Ad confirm. conc. ant. de merito in acto primo, & remoto, neg. conf. Cum enim voluntas Christi semper fuerit conformis voluntati Patris Divini, ipsemet voluit sua merita solum istis bonis præmiari, quibus defacto præmiantur. Jam vero nemo juste conqueritur, si non mereatur in actu secundo præmium, quod ipsemet non vult, licet meritum de se illo dignum esset.

389 Obj. 2. Si merita Christi ex intrinseco suo valore essent infinita, tantum placerent DEO, quantum ipsi placet Verbum Divinum; hoc falsum, quia Verbum est infinitum per essentiam, meritum autem tantum contingenter. Conf. Valor monetæ dependet a voluntate Principis: ergo valor meritorum Christi a voluntate DEI. Resp. Dist. maj. Merita tantum placerent DEO si sumantur formaliter, & concretive ita, ut in recto importetur dignitas Verbi, conc. maj. si sumantur materialiter, & in recto importetur actio moralis creata, neg. maj. & sic dist. min. conf. Nec obstat ratio minori addita, quia, licet persona, & dignitas Verbi se aliquo modo habeat contingenter ad operationem Christi, nihilominus necessario & essentialiter constituit meritum Christi, sicut persona Verbi essentialiter constituit Christum, licet aliquo modo

do ſit contingens humanitati. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Homines, præſertim plebeji, ordinarie valorem intrinſecum monetæ non poſſunt perfecte, & certo cognoſcere; ergo determinatio debet fieri a Principe, qui ſi interdum majus pretium ultra valorem intrinſecum determinet, id contingit vel ob ignorantiam, vel ob neceſſitatem. Econtra DEUS valorem meritorum Chriſti in actu primo optime cognoſcit; unde ab illo non debet primo determinari.

390 Dices. Merita intrinſece infinita ſunt objectum infinite, & neceſſario amabile: ergo a DEO neceſſario debuiſſent intendi. Conf. Saltem, poſtquam hæc merita exſtiterunt, debuiſſent neceſſario acceptari ad præmium; ſed neque hoc poteſt admitti: ergo. Reſp. Diſt. ant. Sunt objectum infinite, & neceſſario amabile quoad unam partem, nempe ipſum Verbum, conc. ant. etiam quoad alteram partem, ſeu operationem creatam, neg. ant. & conſ. Quamvis Chriſtus ſit bonum infinitum ſecundum perſonam Verbi, quam DEUS neceſſario infinite amat, non ideo debuit neceſſario a DEO produci, quia potuit nolle humanitatem, & unionem hypoſtaticam. Eadem eſt ratio de meritis Chriſti: poſito tamen, quod exiſtant, conſtituunt aliquod concretum infinitum, cujus dignificationem DEUS non potuit nolle, aut tantum finite æſtimare. Ad confirm. diſt. maj. Neceſſario debuiſſent acceptari ex ſuppoſitione, quod Chriſtus illa abſolute, & efficaciter obtulerit ad certum præmium, tranſ. maj. aliter, neg. maj. DEUS vi ſupremæ poteſtatis in omnium corda facillime potuiſſet facere, ut Chriſtus merita ſua non obtuliſſet ad ullum præmium, quo poſito DEUS illa non debuiſſet acceptare.

391 Obj. 3. Merita Chriſti poſſunt adæquari: ergo non merentur omne præmium poſſibile. Ant. prob. Si in præmium daretur Incarnatio alterius perſonæ Divinæ cum alia natura humana, hoc præmium eſſet æquale merito: ergo. Conf. Ipſe DEUS, aut unum meri-

meritum Christi potuit esse præmium alterius æque magni; ergo. Resp. Dist. ant. Merita Christi possunt adæquari per præmium infinitum, transf. ant. per finitum, neg. ant. & conf. Ad prob. simpliciter neg. ant. Nam mereri Incarnationem alterius personæ revera nihil aliud est, quam mereri illius unionem hypostaticam cum natura humana, hæc autem unio non est præmium infinitum, sed tantum finita possessio boni infiniti. Ad conf. transf. ant. ex quo solum sequeretur, quod Christi merita possint adæquari per præmium infinitum; imo quia merita Christi constituuntur per ipsam personam Verbi, unum non potest esse præmium alterius. Sed neque ille, qui meretur aliquod præmium, hoc ipso meretur omnia ad illud requisita; sic quamvis ad vitam æternam necessario præsupponatur DEUS, & decretum Divinum, non ideo homo merendo vitam æternam meretur ipsum DEUM, aut decretum Divinum.

392 Dices. Merita Christi non merentur unionem hypostaticam Verbi cum hac ipsa humanitate, cui modo unitum est: ergo adhuc non meretur omne præmium possibile. Conf. Posito, quod duæ personæ Divinæ assumerent duas naturas distinctas, ambarum merita essent infinita, adeoque si aliquid a DEO peterent, mererentur exaudiri: hoc implicat, quia possent petere contraria e. g. una sanitatem Petri, altera negationem sanitatis. Resp. Dist. ant. Non merentur hanc ipsam unionem hypostaticam ex defectu valoris, & dignitatis, neg. ant. ex defectu capacitatis materiæ, transf. ant. & neg. conf. Si verum est antecedens, aliunde datur repugnantia, cur illa ipsa unio hypostatica, a qua dignificantur merita, non possit dari in præmium, ut dicetur suo loco. Hic tantum defendimus, quod Christus sit meritus omne præmium creatum aliunde non repugnans. Ad conf. conc. maj. neg. min. In tali casu ad DEI providentiam pertineret, facere, ne istæ duæ personæ contraria peterent, largiendo videlicet utrique naturæ talia

lia auxilia efficacia, vi quorum utriusque voluntas conspiraret.

393 Obj. 4. Juxta nos omnia merita Christi essent æqualia; nam unum infinitum non potest esse majus altero; sed hoc non potest dici, alias redemptio nostra non magis posset adscribi passioni, & morti Christi, quam alteri cuicunque merito; quod videtur repugnare Scripturæ, & SS. Patribus. Conf. Quia tali modo intensissimus actus charitatis a Christo elicitus non magis placuisset DEO, quam actus remissus alterius virtutis. Resp. Dist. maj. Omnia merita Christi essent æqualia in ea ratione, in qua sunt infinita, conc. maj. in omni ratione, neg. maj. Merita Christi solum sunt simpliciter infinita quoad valorem, & dignitatem, quæ respectu omnium non solum est æqualis, sed eadem. Econtra quoad bonitatem moralem, intensionem, numerum, & essentialem perfectionem actus, sunt tantum finita, & fuere inæqualia. Quod autem redemptio nostra in actu secundo potius adscribatur morti, & passioni Christi, quam aliis meritis, ratio est, quia tota collectio meritorum, quam Christus pro nobis obtulit, per passionem, & mortem fuit consummata. Ad conf. dist. ant. Actus charitatis non magis placuisset DEO quoad suam dignitatem, & ut dignificatus, conc. ant. quoad suam bonitatem moralem, & præcise secundum se consideratus, neg. ant.

394 Dices 1. Implicat, partem esse æqualem toti; atqui hoc juxta nos fieret, quia tota collectio meritorum non esset plus, quam unum meritum seorsim. Conf. Si æqualibus adduntur inæqualia, etiam tota fiunt inæqualia; ergo si bonitates morales inæquales adduntur infinitæ dignitati Verbi, merita fiunt inæqualia. Resp. Conc. maj. neg. min. Vel enim sermo est de actibus consideratis præcise quoad valorem, quem habent ratione bonitatis moralis? & sic valor totius collectionis est major, quam unicus actus: Vel sermo de actibus ut dignificatis? & sic unum meri-

meritum potest quidem esse pars totius collectionis quoad numerum, & tota collectio major extensive; at nullum meritum est pars totius collectionis secundum dignitatem, & valorem, quia forma infinite dignificans est unica, & indivisibilis in omnibus: ergo in ea ratione, in qua meritum est pars, nunquam est æqualis toti collectioni. Ad conf. dist. ant. Tota fiunt inæqualia in ea ratione, in qua inæqualia adduntur, nempe in ratione bonitatis moralis, conc. ant. in ratione totius meriti, & valoris, neg. ant. Quia inæqualitas bonitatis moralis eminenter, & infinite jam continetur, & penitus absorbetur a dignitate Verbi. Argumentum solvi debet in complexo ex DEO, & creaturis.

395 Dices 2. Saltem juxta nos darentur plura infinita sub eodem genere meriti; atqui etiam hoc implicat: ergo. Conf. Si omnia merita Christi fuissent æqualia, nec Christus inter illa potuisset eligere, nec nobis per unum magis, quam per alterum demonstrare suam charitatem. Resp. Dist. maj. Darentur plura infinita habentia eandem formam, vi cujus sunt infinita, & diversa tantum subjecta, eaque finita, conc. maj. habentia diversas formas, aut diversa subjecta infinita, neg. maj. & sic dist. min. conf. Sicut eadem albedo, si simul uniretur pluribus muris, omnes posset denominare albos, sic plura possunt dari infinita in genere meriti, etsi unica in omnibus detur infinitudo. Ad conf. dist. ant. Si omnia merita fuissent æqualia sub omni ratione, transf. ant. secus, neg. ant. Cum ipsi actus meritorii secundum suam bonitatem moralem, & difficultatem inter se fuerint inæquales, Christus utique potuit unum eligere præ altero, & ex hoc maxime elucet ejus charitas erga nos, quod potius elegerit difficiliores, licet etiam per faciliores nos redimere potuisset.

QUÆSTIO IV.

Quid Christus hominibus, & Angelis meritus sit in actu secundo?

396 Sicut Christus pro omnibus mortuus est, ita ex communi doctrina Patrum, & Conciliorum, præsertim Tridentini sess. 5 & 6 certum est, quod omnibus meruerit Remissionem peccati originalis, & actualis, modo merita Christi illis sufficienter applicentur; *In ipso enim habemus redemptionem in sanguine ejus, remissionem peccatorem secundum divitias gratiæ ejus,* ad Ephes. 1 v. 7. 2. Gratiam sanctificantem, & gloriam; nam in præsenti providentia nullum peccatum remittitur sine gratia habituali; hæc autem intrinsece ad beatitudinem ordinatur. Hinc Actor. 4 v. 12 dicitur *non esse aliud nomen, quam Christi sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 3. Omnes gratias actuales, sive quæ in statu naturæ lapsæ justificationem nostram præcedunt, sive quæ illam subsequuntur; quippe gratiæ supernaturales sunt media ad justificationem, & salutem necessaria, & in ordine ad illam consequendam nobis conceduntur. *Sicut palmes,* inquit Christus Joan. 15, *non potest ferre fructum ex semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere.* 4. Idem videtur dicendum de gratiis mere naturalibus, in quantum ad salutem negative conducunt.

397 His extra litem positis disputatur, utrum etiam gratiæ primis parentibus jam ante lapsum concessæ fuerint ex meritis Christi. Negant Vasquez, Lugo, aliique communius, maxime qui nobiscum tenent, quod Christus non venisset, si Adam non peccasset. Christus, inquiunt, ita decretus est in remedium peccati Originalis, ut ex alio fine non venisset; ergo ante permissum peccatum Originale nec prævideri, nec decerni potuit; ergo etiam gratiæ primis parentibus

concessæ ante permissionem peccati Originalis non potuerunt decerni, & conferri ex meritis Christi. Sane primi parentes in statu innocentiæ habuissent easdem gratias, etsi nunquam peccassent, & consequenter Christus nunquam exstitisset. Hinc S. Augustin. lib. de corrept. & grat. cap. 11 de Adamo inquit: *Ille in illis bonis morte Christi non eguit; istos* (Adami posteros) *& hæreditario, & proprio peccato sanguis Christi absolvit.*

398 Verum istæ difficultates nos movere non debent, postquam in Tract. de DEO probavimus, quod DEUS ad omnia sua decreta dirigatur a sola scientia simplicis intelligentiæ, & media directa: modo igitur prævíderit, peccatum Adami in certis circumstantiis conditionate futurum esse, statim in primo signo rationis potuit decernere Christum, ejusque merita, & propter hæc gratias Adamo tam in statu innocentiæ, quam post lapsum conferendas. Unde ex eo, quod Christus non venisset, si Adam non peccasset, solum sequitur, quod in primo signo non potuerit decerni sine aliquo respectu ad peccatum Adami, in signis posterioribus permittendum. Æque parum obstat, quod tunc gratiæ primis parentibus fuissent concessæ independenter a meritis Christi; potest enim Petro dari aliquid in præmium, posito, quod illud mereatur, licet id ipsum etiam dandum fuisset ex mera liberalitate, si Petrus præmium non fuisset meritus. Porro S. Augustin. loquitur de Christo, ut Redemptore, qui utique in statu innocentiæ non fuisset necessarius. Vide num. 350.

399 Hinc cum Suario, Valentia, Tannero, & omnibus illis, qui docent, Christum venturum fuisse, etsi Adam non peccasset, convenientius judico, si dicatur, quod etiam gratiæ primis parentibus ante lapsum concessæ fuerint ex meritis Christi. Nam ex una parte merita Christi habuerunt sufficientissimum valorem ad promerendas istas gratias, & DEUS absque ullo inconvenienti potuit illas propter merita Christi

Christi primis parentibus conferre; ex altera parte valde gloriosum est Christo, si primi parentes etiam has gratias, tanquam meritorum præmium, eidem in acceptis referre debent: ergo convenientius dicitur, quod Christus primis parentibus etiam gratias ante lapsum concessas sit meritus. Confirm. Quo major in uno corpore est connexio membrorum cum capite, eo perfectior est constitutio corporis; homines autem sunt membra unius corporis, sive Ecclesiæ ex creaturis rationalibus constitutæ: ergo perfectior erit constitutio hujus corporis, si omnia membra ab uno principio, & capite suas gratias participarunt.

400 Ob easdem rationes laudati Auctores asserunt, quod Christus etiam Angelis meritus sit omnem gratiam, & gloriam. Favet huic opinioni ipsa S. Scriptura, & SS. Patres. Sic Joan. 14 vers. 6 Christus de se ipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quæ propositio cum sit universalis, merito, & majore cum gloria Christi etiam de Angelis intelligitur. Quod apertius declarat Apostolus ad Ephes. 1 vers. 10: *Proposuit DEUS omnia instaurare in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.* Item ad Coloss. 1 vers. 20: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt:* atqui in cælis tantum fuere Angeli, quos DEUS per gratiam ad vitam supernaturalem instauravit, & per crucem Christi ab inimicitia cum DEO præservavit. Hinc idem Apostolus in citatis epistolis Christum etiam Angelorum caput esse affirmat. Et S. Thomas quæst. 59 art. 6 docet, quod Christus etiam ut homo sit Angelos judicaturus, idque probat ex illo 1 ad Corinth. 6: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus.*

401 Ex SS. Patribus Gregorius Papa lib. 1 expositionis in 1 Reg. & illa verba cap. 2: *Non est enim alius extra te*, scribit: *Extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono Unigeniti sanctificationis spiritum habere potuisset.*

potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? -- Si ergo Angeli sanctificati creduntur in filio, multo magis id de hominibus creditur -- quod sic refertur ad Divinitatem ejus (nempe Filii) *ut nequaquam intellectum humanitatis evacuet.* S. Bernard. serm. 22 in Cant. *Qui eruit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens, & hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.* S. Fulgent. lib. 2 ad Rasimund. Laurentius Justinian. serm. de ascens. Origenes tract. in Levit. simili modo loquuntur. Si itaque aut isti, aut alii Patres quandoque aliter sensisse videntur, intelligendi sunt vel de redemptione reparativa, vel de redemptione præservativa stricte dicta.

402 Nam redemptione præservativa stricte dicuntur redimi solum illi, qui vel fuerunt in pacto cum Adamo inito actu inclusi, vel saltem debitum remotum habuerunt peccatum incurrendi, & tamen ab illo fuerunt præservati, uti B. Virgo. Jam vero Angeli boni nullum tale debitum habuerunt, pro malis autem Christus sua merita non obtulit, ut a peccatis liberarentur; sed neque Christus stricte dici potest pro Angelis passus, & mortuus, quia gratiæ Angelis (uti etiam primis parentibus) ante lapsum conferendæ non fuere finis primarius, sed tantum secundarius, & accessorius passionis, ac mortis Christi, utpote quam ita sustinuit, ut ne quidem venisset, nisi homines lapsi fuissent. Igitur Christus solum simpliciter mortuus esse dicitur pro iis, non quibus morte sua aliquid meritus est, sed quibus mors illius erat necessaria, & quorum gratia fuit intenta, ac decreta; Sic licet Christus sibi ipsi per mortem, & passionem suam aliquid sit meritus, non ideo potest dici pro se mortuus, ut patet ex anathematismo 10 Concilii Ephesini apud Binium tom. 1 cap. 1.

Dices

Dices 1. Si Chriſtus & Angelis, & hominibus meritus fuiſſet omnes gratias, nulla daretur gratia gratis data. 2. Nullum haberemus meritum condignum gratiæ, & gloriæ 3. Adamus fuiſſet neceſſitatus ad comedendum fructum vetitum, quia gratiæ ipſi datæ Chriſtum, & peccatum originale jam ſuppoſuiſſent. Reſp. Neg. ſequelas Quamvis enim iſtæ gratiæ non dentur gratis reſpectu Chriſti, dantur tamen gratis reſpectu noſtri, quibus absque liberali DEI decreto nec Chriſtus, nec ejus merita, neque illorum applicatio debetur. 2. Chriſtus quidem meritus eſt omnem gratiam, & gloriam in radice, & tanquam cauſa univerſalis, quatenus propter illius merita habemus auxilia actualia ad merendum neceſſaria, & opera noſtra tanquam meritoria gratiæ. & gloriæ a DEO acceptantur: nihilominus nos hæc opera libere ponimus, eaque in actu ſecundo ſunt digna præmio. 3. Gratiæ Adamo conceſſæ non ſupponebant Chriſtum, & peccatum originale neceſſario, ſed potuiſſent illi etiam concedi independenter a meritis Chriſti, vel ſi DEUS id voluiſſet, potuiſſet Adamus impedire, ne phyſice, & abſolute exiſterent, ſi videlicet DEUS per ſcientiam mediam prævidiſſet, Adamum non eſſe peccaturum.

Dices 2. Saltem Angeli non acceperunt gratias ex meritis Chriſti; nam Matth. 18 v. 12 ipſemet ait: *Se reliquiſſe nonaginta novem oves, & veniſſe ad quærendam unam perditam*, ſcilicet ad redimendum genus humanum. Ad Hebr. 2 verſ. 11 legitur: *Qui enim ſanctificati, & qui ſanctificantur ex uno omnes; propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare;* atqui fratres Chriſti ſunt ſoli homines. Item verſ. 16: *Nusquam enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Reſp. Neg. ant. In primo textu per 99 oves intelliguntur juſti, per ovem perditam autem peccatores, ad quos redimendos Chriſtus primario venit. In ſecundo textu multi *το ex uno* non intelligunt de Adamo, ſed de uno DEO, vel ſermo eſt de

eadem-

redemptione reparativa. Tertius textus juxta communem expositionem significat, naturam humanam præ Angelica a Verbo assumptam fuisse; juxta aliquos vero apud Cornelium a Lapide sensus est: homines fuisse tanquam fugientes a DEO apprehensos; adeoque redemptos reparative: Angelos autem bonos, cum a DEO non fugerint, non debuisse ita quasi ex fuga retrahi, sed tantum præservative sanctificari.

QUÆSTIO V.

An merita Christi fuerint impetratoria; an compensativa?

405 Meritum impetratorium, quod etiam vocatur remunerandum, vel attractivum, est illud, quod respectu præmii se habet per modum causæ moralis, & ad id conferendum movet, quia est. Meritum compensativum, seu solutivum juxta suos Auctores dicitur, quod respectu præmii se habet per modum causæ finalis, & movet, ut sit, sive ut per illud præmium jam anticipato datum compensetur. In exemplo: Si Rex militi dat gladium post pugnam, quia fortiter se gessit, fortitudo se habet per modum meriti impetratorii; si vero gladium dat militi ante pugnam cum hac expressa intentione, ut fortiter agat in prælio, fortitudo se habet per modum meriti compensativi. Quod jam merita Christi fuerint impetratoria respectu illarum gratiarum, quæ nobis primum post illorum existentiam fuerunt concessæ, facile admittitur; an vero etiam sint talia respectu gratiarum, quæ hominibus jam datæ fuerunt, antequam merita Christi exstiterunt, acriter controvertitur.

406 Præcipua difficultas movetur circa gratias, quas Christus fuit meritus sanctissimæ Matri suæ, aliisque progenitoribus. Cum enim B. Virgo, aliique progenitores ex una parte fuerint physice natura priores ad existen-

existentiam Christi, ejusque meritorum, ex altera parte ipsam Incarnationem, saltem quoad circumstantias, sint meriti, necessario admitti debet mutua naturæ prioritas tam inter causam physicam, & moralem, quam inter duas morales, siquidem dicatur, quod merita Christi per modum causæ moralis moverint ad gratias progenitoribus dandas, imo etiam ipsam Maternitatem B. Virginis decernendam. Difficultas hæc miras in discordias traxit Auctores, quia tamen defacto mutua naturæ prioritas inter duas causas morales, & inter unam physicam & alteram moralem passim a Philosophis admittitur, non est, cur nos hic terreat. Licet enim in Philosophia præcipue tantum agatur de mutua naturæ prioritate respectu diversarum voluntatum, & pro diversis instantibus, non tamen potest ostendi specialis implicantia, cur in nostro casu non possit admitti pro eodem instanti, & respectu ejusdem voluntatis Divinæ.

Quod ut paucis declarem noto 1. Natura prius non solum est illud, quod movet ut aliunde existens realiter, sed etiam, ut aliunde existens intentionaliter, aut præcisive, quatenus nimirum vel non cognoscitur dependenter ab illo, ad quod movet, vel saltem non movet ut dependens, seu secundum suam dependentiam, quia non movet, ut sit dependenter ab illo, ad quod est natura prius. Quamvis igitur merita Christi physice exstiterint dependenter a B. Virgine, aliisque progenitoribus, & hanc dependentiam DEUS cognoverit, non tamen ad gratias progenitoribus dandas DEUM moverunt ut dependentia, sive ut sint a progenitoribus; sicut vicissim merita progenitorum non ideo DEUM ad circumstantias Incarnationis moverunt, ut a Christo sint; ergo inter merita Christi, & gratias, ac merita progenitorum dabatur mutua independentia præcisiva: consequenter inter illa potuit dari mutua naturæ prioritas.

407

Noto

408 Noto 2. Licet Christus, ut actu exstiturus debuerit habere determinatos progenitores, & Matrem; tamen hæ circumstantiæ non debuerunt attingi a DEO per scientiam mediam ex parte hypothesis, quia ex illius parte in recto præcise attinguntur ea, quæ constituunt libertatem, & in obliquo illa, quibuscum libertas essentialiter connectitur: atqui progenitores, & hæc Mater non constituebant libertatem Christi ad merendum, neque libertas essentialiter cum illis connectebatur; undecunque enim Christus exstitisset, libere mereri potuisset; ergo DEUS gratias progenitoribus dandas non debuit decernere propter merita Christi ut dependentia ab his progenitoribus, sed convenientissime ita potuit statuere: Volo Christo dare has libertates, & quia sub illis eliciet talia merita, volo propter hæc dare istis hominibus has gratias; quia autem etiam ipsi his gratiis cooperabuntur, volo propter ipsorum merita Christum mittere ex hac stirpe, & ex hac determinata Matre.

409 Noto 3. Quod DEUS quidem existentiam Christi cum omnibus circumstantiis, in quibus erat constitutus, decreverit unico indivisibili decreto, & unico indivisibili actu per scientiam visionis cognoverit, hoc tamen non obstante in primo signo rationis tantum decrevit Christum tanquam finem, & primum in subsequentibus signis Christi progenitores, eorumque merita tanquam medium, ut colligitur ex Num. 350. ergo Christus ejusque merita ratione nostra prius fuerunt prævisa, quam ejus Mater, aliæque Incarnationis circumstantiæ, quæ primum in posterioribus signis fuerunt determinatæ, non quasi Decretum Divinum fuerit indeterminatum in se, sed quatenus nos illud secundum diversas formalitates consideramus. Quia tamen, ut diximus, Decretum Divinum est indivisibile, DEUS neutiquam per progenitores Christi decrevit facere id, quod jam prius vidit

vidit existere, sed tantum a nobis concipitur prius velle finem, quam hæc determinata media.

410 His præmissis facile probatur, quod Christus etiam gratias B. Matri suæ, aliisque progenitoribus datas meritus sit impetratorie. Quippe ex una parte DEUS merita Christi potuit ordinare ad gratias progenitoribus obtinendas: ex altera parte solum meritum impetratorium est meritum proprie dictum: ergo. Ant. quoad 1 memb. videtur patere; cum enim DEUS merita Christi conditionate futura ab æterno præviderit, potuit per suum decretum velle purificare conditionem, simulque absolute decernere hæc merita, & propter illa gratias progenitoribus dandas tanquam præmium. Quoad 2 memb. idem ant. prob. auctoritate communissima Theologorum, præsertim antiquiorum, qui præter paucos mutuæ prioritatis hostes, aliud meritum non agnovere, quam impetratorium, eo quod meritum compensativum potius habeat rationem solutionis, aut gratiarum actionis, quam meriti, ut advertit S. Thom. quæst. 29 de verit. art. 6 in corp. Hinc etiam Scriptura, Patres, & Concilia, cum loquuntur de merito, semper illud proponunt tanquam aliquid remunerandum, præmium vero tanquam retributionem.

411 Dices 1. Juxta S. Augustinum de morib. Eccles. cap. 25 præmium non potest dari ante meritum; imo per se ineptum est, ponere medium ad finem jam obtentum; atqui præmium est finis, meritum impetratorium est medium: ergo. Conf. Quando homines dant mercedem anticipatam e. g. operario, intendunt ejus laborem & meritum tanquam finem; ergo id, quod futurum est, tantum habet rationem meriti compensativi respectu præmii tempore prioris. Resp. S. Augustinum loqui de toto præmio, seu beatitudine cælesti, quæ utique in hac providentia non potest ante meritum conferri, quia per illam status merendi tollitur. Ad rationem additam dist. maj. Nisi hoc medium saltem intentionaliter exstite-

rit ante finem, conc. maj. secus, neg. maj. & dist. min. Meritum impetratorium est medium physice influens in præmium, neg. min. solum moraliter influens, conc. min. & neg. cons. Merita Christi in Decreto Divino intentionaliter, & formaliter exstiterunt ante gratias progenitorum; ergo sine inconvenienti potuerunt esse medium morale ad illas obtinendas. Ad conf. trans. ant. dist. cons. Habent rationem meriti compensativi in creatis, ubi de futuro merito ordinarie non sumus certi, trans. cons. in Divinis, & quidem necessario, neg. cons. Etiam in creatis, si quis per revelationem esset certus de merito futuro, posset anticipare præmium propter merita tanquam causam moralem, ut constat ex Philosophia.

412 Dices 2. Præmium debet posse allicere ad meritum, & qui præmiatur, debet habere jus ad præmium, eoque esse dignus; atqui præmium anticipatum non potest allicere ad meritum, & in illo, qui præmiatur, non datur jus ad præmium; ergo. Conf. Anticipatio præmii habet rationem meræ gratiæ, & liberalitatis: ergo meritum subsequens saltem non potest mereri anticipationem præmii, præsertim si hoc meritum consistit in gratiarum actione. Resp. Dist. maj. præmium debet posse allicere ad meritum proxime, vel remote, conc. maj. necessario proxime, neg. maj. quoad hoc membr. & dist. etiam alterum. Qui præmiatur, debet habere jus ad præmium vel actu, vel saltem eo tempore, quo eliciet meritum, & in quod tendit præmians, adeoque debet esse dignus in intentione præmiantis, conc. maj. aliter, neg. maj. & sic dist. min. cons. Ad conf. dist. ant. Habet rationem meræ gratiæ, & liberalitatis respectu meriti finiti, trans. ant. respectu meriti infiniti, & omni possibili præmio digni, neg. ant. & eodem modo cons. Si circa gratiarum actionem est specialis difficultas, ea non obest nostræ doctrinæ: Interim cur DEUS non possit ita tendere: Quia video, quod Christus ob gratias progenitoribus intuitu suorum meri-

meritorum datas esset acturus grates, volo etiam hanc gratiarum actionem prædefinire, & simul propter illam progenitoribus gratias dare?

413 Dices 3. Christus scivit, gratias progenitoribus propter sua merita jam esse collatas; ergo illa non amplius potuit ordinare ad gratias progenitoribus impetrandas; neque pro illis DEUM orare, sicut nemo prudenter posset orare pro impetranda D. Petro beatitudine. Conf. Oratio Christi debuisset ita tendere: Rogo Pater, ut, sicut mea merita ab æterno prævidisti, ita te determinent, ut meis progenitoribus dederis has gratias: hoc absurdum: ergo. Ad istud argumentum respondent aliqui 1. Ad meritum impetratorium non esse necessariam orationem, seu petitionem formalem, nec applicationem meriti ad aliquid impetrandum; imo licet Christus voluisset per sua merita gratias progenitorum compensare, tamen merita potuisse esse impetratoria, eo quod nihilominus præmians gratias progenitorum potuerit dare in præmium, quia merita Christi erant futura. Quo casu præmians quasi diceret: Volo dare præmium, quia erit meritum: Et merens: Volo ponere meritum, ut præmium datum compensetur. Sic homo per actum charitatis meretur, licet abstrahat ab omni proprio bono, & sæpe Reges posteris concedunt varia beneficia ob præclara merita progenitorum, etsi forte ipsi posterorum non meminerint, neque merita sua pro illis applicaverint. Verum hæc responsio non videtur omnino satisfacere, tum quia Theologi communiter admittunt, Christum pro suis progenitoribus orasse, tum quia in actu secundo nihil videtur esse meritus, nisi quo ipsemet voluit sua merita præmiari.

414 Hinc P. Anton. Mayr respondet ado. Conc. ant. neg. conf. Nam licet in humanis non soleamus petere, quæ jam accepimus, quia homines primum in tempore incipiunt habere volitionem, & præsens petitio in illis excitat præsentem sui cognitionem, quæ

non poteſt conſtituere libertatem dandi præteritum; aliud videtur eſſe apud DEUM, qui omnia ab æterno prævidit, & voluit; ut adeo objecta difficultas videatur eſſe communis etiam noſtris orationibus; quandocunque enim aliquid futurum petimus a DEO, reipſa petimus, ut illud voluerit dare ab æterno, & ſæpe mater jam gravida orat, ut pariat maſculum, quin petat, ut fœtus fæmineus in maſculinum mutetur. Quin ipſe Chriſtus nonnunquam oravit pro futuris, etſi ſciverit, voluntatem DEI de iis conferendis jam ab æterno datam eſſe. Unde objectus modus in oratione tendendi non videtur reipſa abſurdus, prout prima fronte apparet. Quod autem imprudenter peteremus D. Petro impetrare beatitudinem, inde eſt, quia non ſolum ſcimus, illum jam eſſe beatum, ſed etiam preces noſtras pro impetranda eidem beatitudine nec a DEO ordinatas fuiſſe, nec acceptari. Sed his quoque in ſuo valore relictis

415 Reſponderi poteſt 3. Diſt. ant. Chriſtus ſcivit, gratias progenitoribus propter ſua merita jam eſſe collatas, & hæc ſcientia dirigebat Chriſtum ad ponenda merita, & orandum, neg. ant. illum non dirigebat, ſed tantum erat conſequens operationem, & orationem Chriſti, conc. ant. & neg. conſ. Scientia, qua Chriſtus cognovit, gratias ob ſua merita jam fuiſſe progenitoribus collatas, non conſtituebat ejus libertatem ad operandum, & orandum, ſed per omiſſionem operationis, & applicationis meritorum a Chriſto potuiſſet impediri; ſi enim Chriſtus non oraſſet, & ſua merita applicaſſet, DEUS nunquam habuiſſet voluntatem illa per has gratias remunerandi; ergo ſcientia Chriſti illius operationem, & orationem ſolum fuit conſecuta. Jam vero illa ſola ſcientia, quæ orationem antecedit, & cognoſcit aliquid jam eſſe independenter ab oratione, facere poteſt, ut oratio pro illo dono ſit imprudens, quemadmodum contingeret in exemplo addito de beatitudine D. Petri. Ad conſ. neg. ant. Cum Chriſtus independenter a ſua

sua oratione non sciverit, gratias propter sua merita fuisse progenitoribus collatas, prudenter potuit petere, ut DEUS etiam illas tanquam præmium suorum meritorum retribuat. Hinc Perez ait, quod oratio Christi potuerit esse conjuncta cum fiducia, eo quod non processerit ex notitia gratiarum progenitoribus jam collatarum.

DISPUTATIO III.

De Satisfactione Christi.

416 Sicut merita, ita satisfactio Christi potest considerari vel in actu primo, vel in actu secundo. In actu primo tunc dicitur condigna, & superabundans, si independenter a gratuita acceptatione Divina ex intrinseco suo valore, & dignitate perfecte adæquat, ac etiam superat gravitatem cujuscunque offensæ, per peccata nostra DEO illatæ. Ex quo nondum sequitur, quod etiam sine acceptatione DEI sit condigna in actu secundo. Nam licet quidam cum Mauro existiment, quod DEUS nihil potuerit negare Christo ex iis, quæ efficaciter petiit, quia infinite dignus fuit exaudiri, adeoque quod DEUS non potuisset non acceptare illius satisfactionem pro genere humano, si illam efficaciter postulasset; potuisset nihilominus DEUS facere, ne Christus peteret, ut obsequia sua in hunc finem acceptentur.

417 Imo Suarez, Lugo, aliique plures tenent, quod DEUS ut absolutus Dominus, qui in omnia habet essentiale jus proprietatis, potuisset absque ulla injuria Christi ipsius actiones meritorias requirere sine omni retributione. Quod si verum, multo minus satisfactio Christi debuit acceptari pro genere humano. Nam licet satisfactio condigna juxta communem ab offenso debeat acceptari, quando exhibetur immediate ab ipso offendente; aliud tamen est in nostro casu, tum quia Christus non fuit offendens,

& DEUS potuit velle, ut ipſe reus ſatisfaceret, tum quia nemo poteſt ſatisfacere nomine alterius, niſi eidem ſit ſubſtitutus, & illa ſatisfactio debitori aliquo modo voluntaria; atqui Chriſtus de ſe non fuit ſubſtitutus generi humano, neque homines in illius ſatisfactionem potuerunt conſentire, cum plurimi neſciverint illam ſuo nomine præſtari; ergo requiſitum fuit decretum DEI, quo Chriſtum conſtitueret noſtrum fidejuſſorem, vel ſaltem ejus obſequia ad noſtram redemptionem ordinaret.

QUÆSTIO I.

An ſatisfactio Chriſti pro peccatis noſtris fuerit condigna, & ſuperabundans in actu primo?

418 Satisfactionem Chriſti ex intrinſeco valore ſuo perfecte condignam, atque etiam ſuperabundantem fuiſſe, docet S. Thom. 3 part. quæſt. 3 art. 8 ad 2, & quæſt. 48 art. 2. Angelicum ſequuntur Thomiſtæ communiter, & noſtri fere omnes. Econtra eandem tantum fuiſſe condignam ab extrinſeco propter gratuitam DEI acceptationem, eſt communis Scotiſtarum, citantium pro ſe Magiſtrum ſuum Subtilem. Quodſi iſti Auctores velint, acceptationem DEI requiri ad ſupplendum defectum æqualitatis inter ſatisfactionem, & debitum, hoc utique obeſſet condignitati valoris in actu primo; ſi vero acceptationem DEI ſolum requirunt ex alio capite e. g. quia ſatisfactio non præſtatur ab ipſo offendente, hæc obeſſet ad ſummum condignitati valoris in actu ſecundo, ut patet ex dictis. Sic ſi Petro des 1000 florenos pro domo ſua, is autem nolit acceptare, inde non ſequitur, quod pretium 1000 florenorum non ſit in actu primo pro domo condignum, ſed ſolum quod venditoris acceptatione opus ſit, ut illo peculio domus actu ematur.

Scotus sic non docet

Dicendum. Satisfactio Christi in actu primo non solum pro peccatis nostris fuit ab intrinseco condigna, sed etiam superabundans. Prob. 1. Auctoritate Scripturæ, in qua Psalm. 129 v. 7 redemptio nostra dicitur *Copiosa*. 1 ad Corinth. 6 v. 20 pretium, quo empti sumus, *Magnum*: atqui si satisfactio Christi tantum fuisset condigna per acceptationem extrinsecam, neque redemptio nostra absolute copiosa, neque pretium absolute magnum dici posset. Sic, si subditus Regi pro offensa illata exhiberet obsequium reipsa non æquivalens offensæ, nemo diceret, quod sit magnum, & copiosum, licet Rex illo foret contentus. Idem esset, si venditor pro adamante pretiosissimo acceptaret florenum. Porro abundantia satisfactionis potissimum colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 5 vers. 15: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JEsu Christi in plures abundavit.* Consentiunt SS. Patres citati num. 368 aliique apud Petavium, & Tournelium. Hinc solum recito verba S Augustini ex serm. 114 de tempore: *Indubitanter credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeat.* 419

Prob. conclus. 2do. Ratione. Satisfactio Christi ex intrinseco suo valore non solum adæquat, sed etiam longe superat peccata omnia totius mundi: ergo ex se non solum fuit condigna, sed etiam superabundans. Consequentia, nisi stat quæstio de nomine, est manifesta. Ant. prob. Satisfactio Christi ab intrinseco, & independenter ab acceptatione Divina, non tantum fuit in supremo ordine obsequii, & satisfactionis, sed fuit valoris simpliciter infiniti, ut probavimus disput. præced. Ubi jam advertimus, quod eadem prorsus sit ratio de meritis, & satisfactione Christi. At vero peccata totius mundi tam quoad gravitatem, quam quoad numerum simpliciter tantum sunt finita, ut rursus 420

conſtat ex dictis: ergo ſatisfactio Chriſti ex intrinſeco ſuo valore non ſolum adæquat, ſed etiam ſuperat peccata totius mundi. Conf. Quia acceptatio Divina non poteſt dare condignitatem operibus, ſi illam ex ſe non habeant; quantumvis enim Rex promittat plebeio centum auri talenta, ſi feſtucam de terra tollat, nemo propterea admittet, quod elevatio feſtucæ ſit opus condignum tot talentis.

Objectiones.

421 Obj. 1. Offenſa DEI creſcit ex duobus capitibus, nempe ex dignitate perſonæ offenſæ, & vilitate offendentis; ſatisfactio Chriſti autem tantum creſcit ex uno capite; ergo non fuit æqualis offenſæ. Conf. Paſſio Chriſti non fuit tam intenſa, quam intenſæ ſunt pœnæ infernales: ergo. Reſp. Diſt. ant. Offenſa creſcit ex duobus capitibus, quæ tamen reipſa conſtituunt unum principium, conc. ant. aliter, neg. ant. & conſ. Dignitas, aut vilitas ſola ſecundum ſe non facit creſcere offenſam; ſi enim vilis offendit vilem, non creſcit offenſa ex vilitate; creſcit igitur ex dignitate, & vilitate comparative ſumptis, ita, ut unum conſtituant principium adæquatum. Porro licet dignitas DEI a vilitate creaturæ infinite diſtat, quia tamen dignitas DEI eſt tantum objectum, & terminus offenſæ, illam infinite non gravificat. Econtra dignitas Chriſti ſatisfacientis ipſam ſatisfactionem formaliter conſtituit, ac infinite dignificat, & ſic infinite compenſat diſtantiam dignitatis DEI offenſi a vilitate creaturæ. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Valor ſatisfactionis Chriſti non habetur ab intenſione actionis, aut paſſionis, ſed a dignitate Verbi.

422 Dices 1. Quamvis ſatisfactio Chriſti non decreſcat ex vilitate ſatisfacientis, decreſcit tamen ex dignitate DEI, cui offertur; ergo. Confirm. Ut ſatisfactio eſſet æqualis offenſæ, perſona ſatisfaciens dignitatem offenſi deberet tantum excedere, quantum hic major eſt offendente; alias non poteſt tolli inæqua-

æqualitas inter offensum, & offendentem. Hinc si æqualis offendat æqualem, persona satisfaciens debet esse æqualis; si vero vile mancipium offendat suum Dominum, satisfaciens tanto major esse debet, quanto vilius est mancipium, vel saltem hic defectus debet compensari per magnitudinem obsequii. Resp. Neg. ant. quod tunc solum est verum, si persona satisfaciens est finita, non vero, si est infinita, & hoc ipso æque digna, ac persona offensa. Ad conf. dist. ant. Nisi persona satisfaciens sit infinita, & inæqualitatem offendentis, & offensi abundantissime compenset, conc. ant. si hoc ita se habeat, neg. ant. Offensa non crescit juxta distantiam offendentis, & offensi arithmetice: ergo hæc distantia abundantissime compensatur per infinitatem satisfactionis.

423\. Dices 2. DEUS ut DEUS superat DEUM ut hominem; sed forma gravificans offensam DEI est DEUS ut DEUS, forma autem gravificans obsequia Christi est DEUS ut homo: ergo forma gravificans offensam DEI superat formam gravificantem obsequia Christi; ergo offensa DEI est gravior obsequiis Christi. Conf. Quo magis alicui obligatus est operans, eo minus ab illo meretur; sed Christus maxime fuit obligatus DEO: ergo. Resp. Dissimulata forma syllogismi neg. maj. & min. Majorem, quia idem est DEUS ut DEUS, & DEUS ut homo: Minorem, quia neque DEUS offensam sui tanquam forma infinite gravificat, neque forma dignificans merita Christi est DEUS ut homo, seu secundum humanitatem, sed ipsa infinita dignitas Verbi. Ad conf. dist. maj. Eo minus meretur, si meritum non sit valoris infiniti, & abunde compenset defectum, qui propter obligationem majorem forte in merito finito daretur, conc. maj. si sit valoris infiniti, neg. maj. Præsertim, si obligatio tantum sit orta ex gratitudine; sic etsi aulicus maxime sit obligatus Regi ob majora accepta beneficia, tamen illius obsequium est æstimabilius, quam obsequium rustici.

424 Obj. 2. Divinus Pater satisfactionem Christi pro peccatis nostris non tenebatur acceptare: ergo tantum fuit condigna extrinsece ex libera DEI acceptatione. Conf. Apost. ad Coloss. 1 v. 24 ait: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea:* ergo satisfactioni Christi ad condignitatem aliquid defuit. Resp. Conc. ant. dist. cons. Ergo tantum fuit condigna extrinsece in actu secundo, omit. cons. in actu primo, subd. si hæc acceptatio fuisset requisita ad supplendum defectum æqualitatis inter satisfactionem, & debitum, conc. cons. si acceptatio istam æqualitatem potius præsupposuit, neg. cons. Ad conf. conc. ant. dist. cons. Ergo satisfactioni Christi ad condignitatem in actu primo aliquid defuit, neg. cons. ad condignitatem in actu secundo, subdist. defuit aliquid ex parte nostra, & carnis nostræ, quæ est castiganda, ut merita Christi nobis applicentur, conc. cons. Ex parte satisfactionis Christi, neg. cons. Ipse Christus voluit, ut nobis sua merita per opera bona, & satisfactoria applicemus.

425 Dices. Satisfactio Christi jam supponebat partem debiti gratis remissam; ergo non potuit esse condigna pro toto debito. Ant. prob. Quia per peccatum contraximus debitum carendi Redemptore, & illius satisfactione: hoc autem debitum DEUS jam gratis remiserat; alias Christum non misisset. Conf. Peccatum mortale meretur de condigno carentiam unionis hypostaticæ, quam Christus de condigno non potuit mereri: ergo. Resp. Transf. ant. dist. cons. Ergo satisfactio Christi non potuit esse condigna in actu secundo, conc. cons. in actu primo, & ex defectu valoris, neg. cons. Unio hypostatica, & debitum illa carendi sunt tantum aliquid finitum; unde si Christus hoc debitum extinguere, & unionem hypostaticam mereri non potuit, id non proveniebat ex defectu valoris meritorum, utpote infiniti; sed quia merita existentiam Christi, & unionem hypostaticam jam aliunde supponebant. Dein etiam post adven-

adventum Christi adhuc manebat totum peccatum, & offensa DEI, nos vero æque rei: ergo manebat totum debitum remotum, & pro toto Christus satisfecit, licet DEUS mittendo Christum gratis remiserit debitum proximum carendi Redemptore, & unione hypostatica. Ex quibus etiam patet responsio ad Confirmationem.

426 Obj. 3. Christus oravit, ut nobis peccatorum veniam impetraret: *Pater dimitte illis*, Luc. 23 v. 34; ergo ejus satisfactio non fuit condigna & superabundans. Conf. Nemo potest juste exigere satisfactionem superabundantem: atqui Pater æternus juste exigebat satisfactionem Christi: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Christus oravit, tum quia illius satisfactio sine acceptatione Patris tantum fuit condigna in actu primo, tum ut orandi exemplum nobis præberet, & hac ipsa oratione mereretur, ac impetraret, quod postulabat; erat enim ipsa oratio Christi pars quædam ipsius satisfactionis. Ad conf. dist. maj. Nemo potest exigere satisfactionem abundantem per se, & si præcise condigna est possibilis, conc. maj. per accidens, neg. maj. præsertim, si ipse satisfaciens consentiat, & ad satisfaciendum ex justitia se offerat; tunc enim per impossibilitatem præcise æqualis satisfactionis non perit jus in læso ad exigendam superabundantem. Jam vero satisfactio præcise condigna pro peccatis non est possibilis. Vel enim præstatur a pura creatura? & hæc nequidem est condigna: Vel præstatur a DEO? & hæc est superabundans.

427 Dices. Saltem tali modo DEUS nullam amplius satisfactionem posset exigere ab hominibus, nec amplius essent necessaria Sacramenta, aliaque salutis media. Conf. Si Christus pro peccatis nostris condigne satisfecisset, nullum amplius daretur peccatum habituale, quia hoc involvit negationem condignæ satisfactionis: ergo. Resp. Neg. sequelam. Satisfactio pro peccatis a nobis non exigitur in supple-

men-

mentum pretii sanguinis Christi, sed ut hac ratione satisfactio Christi nobis applicetur. Pariter Sacramenta, aliaque salutis media sunt necessaria, quia ipse Christus voluit, ut per illorum usum meritorum suorum nos participes faciamus. Ad conf. neg. ant. Peccatum habituale consistit in negatione condignæ satisfactionis moraliter nobis propriæ, & proxime nobis applicatæ; negatio autem hujus satisfactionis nondum tollitur per solam satisfactionem Christi simpliciter, & præcise secundum se consideratam.

428 Obj. 4. Christus non potuit ad æqualitatem satisfacere pro debito proprio gratitudinis: ergo multo minus pro peccatis nostris. Ant. prob. Christus non potuit reddere æqualem gratiarum actionem pro beneficiis a DEO acceptis, præsertim pro beneficio Incarnationis. Nam ut Aristotel. 8 Ethicor. cap. 13 advertit: Diis, parentibus, & Magistris non possumus reddere æquale. Conf. Juxta S. Thom. 2 2 quæst. 106 art. 6 in corp. ad satisfactionem ex gratitudine requiritur aliquid superans quantitatem beneficii; sed Christus non potuit reddere aliquid majus, quam accepit: ergo. Resp. Neg. ant. & conf. Nam quodcunque beneficium Christo collatum, etiam beneficium Incarnationis, est aliquid simpliciter, & in ratione beneficii finitum, gratiarum actio autem, aliaque obsequia, quæ Christus DEO obtulit, fuere infinite digna. Dein si verum esset antecedens, tunc ideo, quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium, procedens ex gratia præveniente, ex cujus collatione oritur nova obligatio gratitudinis; at gratia, quæ datur ad satisfaciendum, & ipsa satisfactio non inducunt novam obligationem satisfaciendi. Denique licet filius nequeat parentibus pares gratias reddere pro beneficio generationis, potest nihilominus illis condigne satisfacere pro illata gravi injuria. Ad conf. transf. maj. neg. min. ob primum dicta. Imo Angelicus loc. obj. solum videtur voluisse, quod satis-

ſatisfactio ex gratitudine ſit magis liberalis, quam quæ fit ex juſtitia.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus proprie, & reipſa pro peccatis noſtris ſatisfecerit in actu ſecundo?

429 Sociniani, quamvis videantur profiteri, Chriſtum eſſe noſtrum Redemptorem, qui pro nobis mortuus fuerit, ac ſatisfecerit, id tamen ſolum intelligunt in ſenſu improprio, & metaphorico, quod videlicet Chriſtus pro noſtro quidem bono, & commodo mortem ſubierit, aliasque conditiones a DEO ſibi impoſitas adimpleverit, ſed ſolum, ut nobis exemplum daret humilitatis, & patientiæ, ſimulque gratuitam peccatorum relaxationem impetraret, & hominibus annunciaret, quin revera pro peccatis noſtris vice, ac loco noſtri condignum pretium perſolverit. Econtra omnes Orthodoxi affirmant, Chriſtum non tantum pro bono noſtro, ſed etiam loco noſtri fuiſſe mortuum, & Divinæ Juſtitiæ per ſolutionem pretii ſatisfeciſſe; hinc non tantum eſſe noſtrum Redemptorem conſilio, & exemplo, ſed etiam merito, opere, & efficacia, prout ipſa vox Redemptio in proprio ſenſu denotat, fatente ipſo Socino, dum lib. 2 de Servator. cap. 1 ait: *Redimere aliquem nihil proprie ſignificat, quam captivum manibus illius, qui ipſum detinet, dato pretio liberare.*

430 Dicendum. Chriſtus vere, ac proprie pro peccatis noſtris ſatisfecit in actu ſecundo. Prob. 1. Ille proprie non tantum conſilio, ſed etiam opere, & efficacia pro nobis ſatisfecit, qui verum, ac proprium pretium ſolvit, quo redempti, ac liberati ſumus: atqui hoc fecit Chriſtus: ergo. Maj. patet. min. prob. manifeſtis Scripturæ teſtimoniis: *Empti eſtis pretio magno*, 1 ad Cor. 6 verſ. 20. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana*

veſtra

vestra conversatione parternæ traditionis, sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi, 1 Petr. 1 vers. 18. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*; in græco, *Pretium pro multis*, Matth. 20 vers. 28. Conf. Si Christus pro nobis tantum satisfecisset, in quantum placationem DEI, & remissionem peccatorum nobis annunciavit, suoque exemplo nos animavit ad humilitatem, patientiam, ipsamque mortem spe melioris vitæ oppetendam, non plus fecisset, quam Prophetæ, & Sancti Martyres, quod dicere idem foret, ac pretium Sanguinis Domini in salutem nostram effusi penitus evacuare.

431 Prob. 2. Ille vere, ac proprie pro peccatis nostris satisfecit, qui pro nobis se sponsorem, ac vadem obtulit, & crimina portavit: atqui id fecit Christus: ergo. Maj. rursus patet. Min. quoad utrumque memb. prob. ex cap. 53 Isai. quod teste Haberto ipsi Sociniani de Christo interpretantur. Ibi vers. 5 & sequent. inter alia ita habetur: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ supra eum, & livore ejus sanati sumus. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur*; ex quibus verbis habetur 1. Quod Christus seipsum libere, & sponte pro nobis obtulerit. 2. Quod Pater hanc sponsionem acceptaverit. 3. Quod Christus eandem impleverit. 4. Quod illius effectus fuerit nostra redemptio, & satisfactio. In eundem sensum S. Petr. ep. 1 cap. 2 vers. 23 & 24 dicit: *Tradebat autem se judicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.* Hinc S. Paul. Christum diserte vocat nostrum sponsorem: *Melioris testamenti sponsor factus est.* ad Hebr. 7 vers. 22.

432 Prob. 3. Christus ab ipso DEO pro nobis fuit subrogatus, ut morte sua illum placaret: ergo vere

nos

nos redemit, & pro nobis satisfecit. Ant. prob. ad Rom. 8 vers. 32 de Patre Divino dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Galat. 3 vers. 13: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* 2 ad Cor. 5 vers. 21: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia DEI in ipso.* Hinc Christus a S. Paul. ad Hebr. 9 vocatur *Mediator novi Testamenti.* 1 ad Timot. 2: *Mediator DEI, & hominum.* Quia nempe DEUM offensum sua morte iterum nobis reconciliavit juxta illud ad Rom. 5 vers. 10: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus.* Taceo hic SS. Patrum, & Conciliorum testimonia, cum totius Ecclesiæ traditio si tanta, tamque constans, ut ipsi Sociniani illam fateantur, eo temeritatis progressi, ut asserere non horreant, Apostolorum discipulos mentem suorum Magistrorum non fuisse assecutos. Eandem nempe, si superis placet, cælum Socinianis detegendam reservavit.

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte Scriptura, quando de Christo loquitur, nunquam adhibet vocem satisfactio, substitutio, aut subrogatio: ex altera parte vox Redemptio in illa sæpe sumitur pro simplici, & gratuita liberatione, ut quando Exod. 15 dicitur, quod DEUS redemerit populum ex servitute Ægyptiorum: ergo ex Scriptura non probatur, quod Christus vere pro nobis satisfecerit. Conf. Licet Moyses in Scriptura dicatur Mediator, & Redemptor populi Israelitici, non tamen pro illo satisfecit: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Licet Scriptura dictis vocibus non utatur explicite, illas satis manifestat implicite, & quoad rem significatam. Neque ex eo, quod vocem Redemptio quandoque accipiat improprie, sequitur, quod hic quoque ita sumi possit, cum

Scri-

433

Scriptura soluti pretii mentionem faciat. Ad conf. neg. conf. Moyses tantum fuit Mediator, & Redemptor temporalis, qui præconio, voce, & prodigiis Israelitas liberavit, eisque voluntatem DEI annunciavit. At Christus fuit Redemptor æternus, qui proprio sanguine suo nos liberavit non solum a servitute Diaboli, sed etiam a macula, & reatu peccatorum, pro quibus DEUS satisfactionem exigebat.

434 Dices 1. Textus, in secunda probat. a nobis citati, valde sunt ambigui. Nam 1. Quod DEUS in Christo posuerit iniquitates nostras, solum significat, quod eorum causa Christum voluerit mori. 2. Portare peccata idem denotat, ac illa auferre, & tollere; sic etiam Christus dicitur tulisse nostros languores, quod S. Matth. cap. 8 de sanatione morborum explicat. 3 Sponsor vocatur solum in hoc sensu, quod cum Patre pro nobis inierit novum fœdus, ut hunc locum exponit ipse Angelicus in cap. 7 ad Hebr. sect. 4. Resp. Neg ant. Quippe 1. DEUS Christum pro peccatis nostris voluit mori non quomodocunque, sed ita, ut ipsemet se pro nobis victimam obtulerit, & nos per ejus passionem, & mortem sanati simus. 2. Christus peccata nostra ita sustulit, ut propter illa fuerit vulneratus, attritus, ad occisionem ductus, quæ neutiquam gratuitam tantum remissionem significant. Hinc quando S. Matth. Isaiam de sanatione corporum explicat, ideo facit, quia languores corporum sunt effectus peccati; interim ideo Christus pro nobis non ægrotavit. 3. Christus iniit quidem pro nobis fœdus, at per sanguinis sui effusionem & satisfactionem pro peccatis, ut ad Hebr. 9 v. 15 explicat ipse Apost. dicens: *Ideo novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum repromissionem accipiant - - - æternæ hæreditatis.*

435 Dices 2. Quando Christus dicitur pro nobis traditus, sensus non est, quod pro nobis sit quasi substitutus, & subrogatus, sed quod nostra redemptio fuerit

fuerit finis, cur Christus moreretur; sic etiam fideles 1 Joan. 3 jubentur animas suas pro fratribus ponere. Et S. Paul. ad Coloss. 1 v. 24 dicit: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi in carne mea.* Conf. Sicut Christus traditus est pro nobis, sic & pro peccatis nostris; atqui pro peccatis tantum ita est traditus, ut particula *pro* denotet causam finalem: ergo. Resp. Neg. ant. Licet particula *pro* quandoque in Scriptura significet tantum causam finalem; nihilominus ex ipsa subjecta materia, & modo loquendi apparet, quod de Christo plus, nempe veram substitutionem, significet, quia dicitur traditus, ut nos redimeret, ut ipsemet pro nobis sit factus maledictum &c. quod de nullo alio legitur. *Numquid,* ait Apostolus 1 ad Cor. 1 v. 13, *Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ad confirm. neg. maj. & min. Quia Christus traditus est pro peccatis nostris tanquam pro re, pro qua satisfaceret; pro nobis autem traditus est tanquam pro personis, quorum loco satisfaceret.

436 Obj. 2. Scriptura pro fine passionis, & mortis Christi tantum assignat exemplum patientiæ, quod nobis præbuit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus,* 1 Petr. 2 v. 21. *In hoc cognovimus charitatem DEI, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere,* 1 Joan. 3 v. 16. Conf. Ad Rom. 5 v. 10 Christus dicitur, *liberare nos ab ira per vitam:* ergo non per mortem, solvendo pro nobis pretium, sed in die judicii sua potentia vindicando ab æterna morte nos liberat. Resp. Neg. ant. cujus contrarium satis constat ex probationibus, ex quibus patet, quod in textibus hic objectis tantum assignetur finis partialis, & quidem solum secundarius, quia juxta alibi dicta Christus principaliter venit in remedium peccati. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Sensus Apostoli est, quod Christus nos liberet per

vitam gratiæ, quæ ex morte Christi omnem suam virtutem trahit, ita, ut mors Christi sit nostra liberatio de jure, gratia vero, quæ ex illa profluit, liberatio de facto.

437 Dices 1. Christus fuit verus homo factus sub lege; ergo pro seipso debuit eam obedientiam, quam juxta nos in satisfactionem pro nobis impendit; atqui cum quis pro se aliquid debet, per illud non potest simul solvere pro alio: ergo. Conf. Christus jam aliunde tenebatur pro hominibus mori, nempe tum ex charitate erga DEUM, ut ejus offensas deleret; tum ex charitate erga homines, qui aliter liberari non poterant. Sic Rex tenetur mori pro Regno, si aliter liberari nequit. Resp. Trans. ant. dist. cons. Debuit pro se illam obedientiam ratione legis, trans. cons. ratione satisfactionis, neg. cons. Cum Christus nullum commiserit peccatum, nullam pro se debuit præstare satisfactionem; unde illam pro nobis impendere potuit, & sicut in nostrum bonum Verbum caro factum est, sic in nostrum bonum legem implevit. Ad conf. neg. ant. Charitas non obligat ad satisfaciendum pro delictis alienis, præsertim, si hæc offenso non obsint, aut noceant, prout peccata nostra non nocent DEO, qui insuper illa vel alio modo remittere, vel punire potuisset. Multo minus charitas obligat, ut bonum majus impendatur pro minore; jam vero vita Christi erat bonum longe majus, quam bonum omnium hominum, & Christus ipse erat finis Regni; at Rex terrenus est propter Regnum, & totum Regnum est bonum longe majus, quam vita solius Regis.

438 Dices 2. Si Christus pro nobis legem implevisset, & satisfecisset, nos non amplius illa obligaremur, nec possemus puniri, sed omnes etiam impii salvarentur; hoc falsum: ergo. Conf. Est injustum innocentem plectere pro reo, eique illum substituere. Nam ut Ezech. 18 v. 4 dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et Deuter. 24 v. 16: *Non*

Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. Resp. Dist. maj. Si DEUS pro nobis legem implevisset ita, ut nos redderet immunes ab illius obligatione, conc. maj. Si ita, ut pro nobis satisfaceret, subd. nisi simul voluisset, ut hanc satisfactionem nobis ipsi applicaremus, conc. maj. si hoc voluit, sicut reipsa voluit, neg. maj. Ad conf. dist. ant. Est injustum innocentem plectere pro reo, nisi innocens seipsum pro reo vadem constituat, conc. ant. si hoc faciat, subd. est injustum respectu hominum, conc. ant. respectu DEI, qui tanquam supremus Dominus de vita cujuslibet hominis potest disponere, neg. ant. & conf. Exod. 4 DEUS quidem judicibus humanis legem imposuit, ne patres pro filiis, aut filios pro patribus occidant; interim ipsemet cap. 20 v. 5 dixerat, quod sit DEUS *Visitans iniquitatem patrum in filiis.* Textus Ezechielis solum ostendit, neminem innocentem mori vita æterna, vel Judæis non amplius imputanda esse peccata Manassis.

439 Obj. 3. Christus morte sua solum nobis obtinuit gratuitam remissionem peccatorum, ut sæpe docet Scriptura, nominatim ad Rom. 3 v. 24, ubi dicimur *Justificati gratis per gratiam ipsius:* ergo Christus pro peccatis nostris non satisfecit, alias illorum remissio esset debita ex justitia. Confirm. Ut remissio sit gratuita, debet fieri ex sola liberalitate remittentis: atqui hoc non fit, si debitor accipit tantum, vel plus, quam ipsi debeatur: ergo. Resp. Neg. ant. in sensu adversariorum acceptum. Remissio peccatorum est quidem mera gratia respectu nostri, respectu Christi autem est debitum, & opus Justitiæ, quia tanquam sponsor noster pro illa condignum pretium persolvit; neque enim repugnat, ut eadem res sit simul gratia, & debitum respectu diversarum personarum. Ad conf. dist. maj. Remissio debet fieri ex sola liberalitate respectu hominis debitoris, transf. maj. respectu Christi sponsoris, neg. maj. Quamvis debi-

tum reale non dicatur gratis remitti, si debitori a quocunque æquivalens præstetur, aliud tamen est de debito personali, quod ipsam personam debitoris afficit. Cum igitur ipse homo satisfacere non potuerit, sed DEUS gratuito Christum miserit, ejusque satisfactionem pro nobis acceptaverit, remissio peccati respectu nostri manet vera gratia, non obstante pretio, quod DEUS pro illa accepit a Christo.

440 Dices. Si debitori alius substituitur sponsor, qui loco illius satisfaciat, debitum potius commutatur, quam gratis remittitur, & sic ipse homo per Christum debitum solvisset: ergo. Conf. Si debitor creditori concedit munus ideo, ut sibi satisfaciat, non est proprie satisfactio, sed tacita remissio: ergo si DEUS dedisset Filium suum, pro nobis ut satisfaceret, hoc ipso non fuisset satisfactio proprie talis. Resp. Neg. ant. Quamdiu personale debitum non solvitur ab ipso debitore primario, respectu illius semper censetur gratis remissum, licet hoc illius debitum in alium transferatur, neque propterea dici potest, quod nos ipsi debitum solverimus, sed tantum, quod loco nostri solverit Christus. Ad conf. trans. ant. dist. cons. Non fuisset proprie satisfactio respectu nostri, quibus DEUS illud munus concessit, conc. cons. respectu Christi sponsoris, qui satisfactionem posuit, neg. cons. Responsiones istæ fundantur in Apostolo, qui postquam ad Rom. 3 v. 24 dixit, quod *simus justificati gratis*, statim addidit, *per redemptionem, quæ est in Christo JEsu, quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine suo ad ostensionem justitiæ suæ.*

441 Obj. 4. Si Christus nos redemisset, debuisset pretium solvere detinenti, & subire mortem æternam, imo mortes innumeras, quia singulis peccatoribus pro quovis peccato mortali mors æterna fuit debita; atqui Christus tantum unam mortem temporalem subiit, nec pretium solvit detinenti, puta diabolo, iniquitatibus &c. a quibus in Scriptura detenti dici-

dicimur. Conf. Chriſtus etiam redemit eos, qui erant in Veteri Teſtamento & tamen illi manſere in captivitate: ergo. Reſp. Diſt. maj. Debuiſſet ſolvere pretium detinenti primario, nempe DEO vindici, cujus juſtitiæ eramus obſtricti, conc. maj. Diabolo, iniquitatibus, &c. neg. maj. Utique reus ſatisfactionem non debet præſtare carceris cuſtodi, aut carnifici, non peccatis, ſed pro peccatis. Alterum memb. maj. ſimpliciter nego, quia unica mors Chriſti fuit pretium condignum pro omnibus peccatis. Ad conf. neg. ant. quoad 2 memb. Quamvis Judæi in antiquo Teſtamento adhuc fuerint ſub aliqua captivitate reſpectu Novi Teſtamenti, in quantum illi nondum acceperunt gratias tam uberes, & cælum nondum erat apertum, fuere tamen ſimpliciter a captivitate Dæmonis liberati, quia ex meritis Chriſti habuerunt ſufficientes gratias ad juſtificationem, & ſalutem conſequendam.

442 Dices. Quamvis Chriſtus pro nobis ſit ſubſtitutus, paſſus, & mortuus, nos tamen ſua paſſione non ita liberavit a peccatis, a poteſtate Dæmonis, & pœnis æternis, ut ipſo facto hæc mala evaſerimus, & absque prævia noſtra cooperatione Divino Patri ſimus reconciliati: ergo ſaltem pro nobis non ſatisfecit in actu ſecundo. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Satisfactio Chriſti in actu ſecundo non conſiſtit in actuali reconciliatione cum DEO, & actuali liberatione a dictis malis, ſed præcipue in eo, quod Chriſtus omnibus hominibus obtinuerit ſufficientia media ad ſalutem, & reconciliationem cum DEO obtinendam. Cum enim fides doceat, quod peccata non remittantur ſine pœnitentia, & cooperatione congrua, neque parvulis ſine remedio ipſis adhibito gratia juſtificationis conferatur, colligimus, quod Chriſtus non aliter ſua merita Patri Divino obtulerit, quam ut omnibus media ſufficientia obtineret. Accedit, quod ſatisfactio Chriſti in actu ſecundo nulla

alia ratione videatur posse explicari, commode autem explicetur modo primum a nobis assignato.

443 Nam 1. Qui alteri sufficientia media obtinet, & suppeditat, quibus se, modo velit, ab aliquo malo valeat liberare, jam potest dici eundem ab eo malo liberasse, & redemisse. Sic qui captivo in carcere dat sufficiens pretium, quo is debita expungere, & a vinculis se expedire valeat, vere dicitur eum liberasse, ac pro eo satisfecisse. 2. Cum potestas, & captivitas Dæmonis potissimum sita fuerit in hoc, quod per peccatum Originale, Dæmonis suggestione commissum, contraxerimus indignitatem ad gratiæ subsidia accipienda, eaque DEUS dare noluerit absque præstita condigna satisfactione ita, ut a peccato non amplius resurgere potuissemus, nisi Christus hæc auxilia nobis impetrasset, illa impetrando nos a captivitate Dæmonis liberavit. 3. Interim ista media propter Christi satisfactionem conferenda sunt talia, qualia Christus cum Patre Divino determinavit, scilicet multis efficacia, omnibus sufficientia, quin ideo satisfactio Christi excludat nostram cooperationem, ferme sicut Omnipotentia Divina non excludit concursum causæ secundæ.

QUÆSTIO III.

An Satisfactio Christi fuerit juxta rigorem justitiæ commutativæ?

444 Decisio hujus quæstionis multum dependet ab alia, quæ hic potius ex Tract. de Justit. supponenda, quam examinanda est, utrum videlicet creatura DEO, & DEUS creaturæ possit obligari ex justitia stricte dicta. Affirmativam contra Vasquez, Lugo, Gormaz &c. qui pro se citant etiam S. Thomam, de facto docent nostri communiter cum Suario, Tanner, Mauro, Gonet, aliisque Thomistis. De Christo specialiter id probant tum ex Scriptura, tum ex

SS. Patribus; nam in Scriptura Christus dicitur a Patre Divino pro nobis traditus, nos emisse pretio, & sanguine suo nos redemisse; atqui pretium, emptio, redemptio justitiam rigorosam denotant. Hinc Apostol. ad Rom. 3 v. 25 ait: *Quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine suo ad ostensionem justitiæ suæ.* In eundem sensum S. Augustin. lib. 13 de Trinit. cap. 13 inquit: *Placuit DEO, ut propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus, sed justitia vinceretur.* S. Leo serm. 12 de passione Domini: *Ad dominationem Diaboli destruendam magis usus est justitia rationis, quam potestate virtutis.* Similia habent Gregor. M. Theoret. aliique apud Suarium disput. 4 sect. 6.

445 Auctoritati accedit ratio. Quippe ex una parte Christus seipsum per fidejussionem, & pactum onerosum ad satisfaciendum pro peccatis hominum debitorem constituit: ex altera parte DEUS hanc fidejussionem acceptavit, & Christum pro nobis subrogavit, ut patet ex quæst. præced. ergo Christus fuit ex justitia obligatus ad DEO satisfaciendum, & vicissim DEUS fuit obligatus Christo ad illam satisfactionem acceptandam; ergo satisfactio Christi fuit actus justitiæ commutativæ. Confirm. Quo plures virtutes Christus in præstanda satisfactione pro peccatis hominum exercuit, tanto illa Christo fuit gloriosior; ergo si in præstanda satisfactione potuit exercere actum justitiæ rigorosæ, dicendum est, quod eum exercuerit, præsertim cum satisfactio Christi habuerit omnes conditiones, quæ communiter ad rigorem justitiæ requiri solent, quod solum hic breviter explicandum incumbit.

446 Conditio I. Satisfactio ex rigore justitiæ debet esse condigna, id est, æqualis debito saltem negative, in quantum non debet esse minor quam offensa; qui enim debet centum, satisfacit juxta rigorem justitiæ, licet admisceat liberalitatem quoad modum, & offerat mille. Imo posito pacto oneroso in-

ter DEUM, & Christum, quod peccata hominum non sint remittenda, nisi præstita determinata ista satisfactione, licet superabundanti, Christus tanquam fidejussor obligabatur ad istam determinatam satisfactionem præstandam: ergo satisfactio Christi, utut respectu peccatorum abundans, fuit positive æqualis respectu obligationis, quam vi pacti onerosi Christus in se suscepit. Equidem ex Christi satisfactione DEO nulla accessit utilitas intrinseca, cum nullius talis utilitatis capax sit, nihilominus per illam fuit reparatus honor Divinus, & Divina gloria plurimum aucta, quod ad æqualitatem justitiæ commutativæ, præsertim in offensis personalibus, sufficit.

447 Conditio II. Satisfactio ex rigore Justitiæ debet esse ad alterum. Quia nemo sibi ipse est debitor, aut sibi ipsi proprie satisfacit. Jam vero, licet Christus simul fuerit DEUS & homo, adeoque in illo fuerit eadem persona, quæ satisfaciebat, & cui satisfiebat nempe persona Verbi, dabatur nihilominus in Christo dualitas naturarum, & voluntatem; unde ut habens naturam humanam per operationes ab humanitate elicitas potuit satisfacere non solum Patri, & Spiritui S. sed etiam sibi ipsi ut DEO, seu ut habenti naturam, & voluntatem divinam. Quando igitur Aristoteles, & S. Thom. quæst. 58 art. 2 in corp. ad justitiam requirunt dualitatem suppositorum, intellige de justitia inter puras creaturas; quippe dualitas naturarum in Christo potest sufficienter fundare distinctionem jurium. Cum enim jus rigorosum aliud non sit, quam potestas ex suo beneplacito alterum ad aliquid obligandi, potuit Verbum ut subsistens in natura Divina naturam humanam ad satisfactionem obligare. Sane juxta omnes Christus potuit mereri, elicere actum obedientiæ, Religionis, gratitudinis &c. erga DEUM, quamquam istæ virtutes non minus sint ad alterum, quam justitia.

448 Conditio III. Satisfactio ex rigore Justitiæ non debet esse ex bonis creditoris, sed propriis; alias

creditor post exhibitam satisfactionem non haberet plus quam antea, adeoque non obtineretur æqualitas ad justitiam requisita. Hanc conditionem aliqui negant, quia etiam qui restituit depositum, aut rem ablatam domino, satisfacit debito ex rigore justitiæ. Interim licet natura humana, & omnes actiones satisfactoriæ Christi fuerint sub actuali dominio DEI, & bona DEO propria ex hypothesi, quod existerent, nihilominus antecedenter erat in libera potestate Christi has actiones ponere, vel non ponere, & sic facere, ut sint DEO propria, quod est actuale earum dominium quasi in DEUM transferre. Neque obstat, quod valor istarum actionum provenerit ex dignitate ipsius personæ offensæ, quia ista dignitas non ita fuit propria creditori DEO, ut non etiam quoad exercitium dignificandi suo modo fuerit propria, & communis humanitati, in quantum humanitati debebatur, quod opera satisfactoria fuerint elicita, & consequenter, quod Verbum illa dignificaverit.

449 Conditio IV. Satisfactio ex rigore Justitiæ non debet esse ex bonis creditori aliunde debitis. Secus posset quis eodem pretio solvere plura debita e. g. qui deberet centum ex injusta acceptione, & totidem ex contractu, fidejussione &c. satifaceret pro omnibus titulis semel reddendo centum. Conditio hæc tunc quidem necessaria est, si plures tituli tendant ad diversas summas, materias, actiones &c. ut fit in exemplo allato; non item, si plures tituli tendant ad eandem rem, actionem, aut materiam &c. sic licet Paulo debeas 100 florenos ex justitia, & insuper votum feceris, & juraveris, quod illos velis solvere, pro omnibus titulis satisfacis solvendo 100 florenos: ergo multo magis satisfactio Christi infinita potuit sufficere ad exsolvenda plura debita etiam in aliis titulis fundata, præsertim, quia DEUS actiones satisfactorias Christi proxime, & in actu secundo non ita exigebat, ut illas non etiam reliquerit liberæ potestati Christi, inito quoque pacto de remit-

tendis offensis sub conditione onerosa, si Christus sua merita esset positurus.

450 Conditio V. Satisfactio ex rigore Justitiæ non debet fundari in gratia debitoris, intellige in gratia consequente, & supplente defectum condignæ satisfactionis, ut si creditor, cui debentur 100 floreni, vellet esse contentus 50. Jam vero quamvis satisfactio Christi aliquo modo fuerit fundata in gratia antecedente e. g. in unione hypostatica, auxiliis supernaturalibus &c. nihilominus Christus DEO tantum, imo plus reddidit, quam pro peccatis illi debebatur; atqui sola illa gratia obest rigori justitiæ, quæ ipsam condignitatem satisfactionis debet supplere. Hinc subditus, cui Princeps liberaliter concessit potestatem cudendi monetam, eadem moneta potest Principi solvere debita. Si dicas, satisfactionem Christi jam supposuisse partem ipsius debiti remissam, nempe debitum carendi Redemptore; jam num. 425 respondimus, consequenter ad hanc gratiam mansisse totum peccatum, & debitum remotum, & remissionem debiti hujus proximi potius factam esse nobis, quam Christo nostro fidejussori.

451 Conditio VI. Satisfactio ex rigore justitiæ debet esse ab ipso offendente ita, ut ab offenso non possit repudiari. Hæc conditio tunc solum requiritur, quando nullus alius pro debitore, aut offendente factus est fidejussor, & ab offenso ut talis acceptatus; hoc enim posito satisfactio saltem moraliter fit ab offendente, & idem moraliter honor reparatur; offensus autem, postquam ejusmodi fidejussorem acceptavit, non amplius potest ejus satisfactionem repudiare. Cum igitur Christus seipsum pro humano genere fidejussorem obtulerit, & DEUS illum ut talem acceptaverit, Christus loco nostri ex justitia tenebatur satisfacere, & quamvis DEUS antecedenter hanc fidejussionem repudiare potuisset, non tamen post initum pactum onerosum potuit amplius repudiare satisfactionem Christi. Sic licet Bellidux pro captivo ante-

antecedenter ad pactum potuisset non acceptare lytrum, posito tamen pacto, quod litrum velit acceptare, ad illud acceptandum tenetur, & redemptio captivi sit ex rigore Justitiæ.

Dices 1. Satisfactio Christi non fuit ad alterum; ergo non fuit rigorosa. Ant. prob. 1. Christus non tantum satisfecit ut homo, sed etiam ut DEUS; atqui ut DEUS fuerat ipse offensus. 2. Christus etiam satisfecit pro illis offensis, quæ sibi ut homini fuerunt illatæ; ergo satisfecit per eandem naturam, quæ fuit offensa. 3. Juxta S. Thomam, & Aristotelem inter patrem, & filium non datur sufficiens alteritas ad actum justitiæ: atqui Verbum se habet ad DEUM, ut filius ad patrem: ergo. Resp. Neg. ant. Ad 1. prob. dist. maj. Christus etiam satisfecit ut DEUS per operationes ab ipsa Deitate elicitas, neg. maj. per operationes elicitas ab humanitate, & a Deitate solum dignificatas, conc. maj. Ad 2 prob. dist. ant. Satisfecit pro illis offensis, prout simul erant offensæ DEI, conc. ant. prout erant offensæ hominis, neg. ant. Non dicimus, quod Christus ex rigore justitiæ satisfecerit sibi ipsi tanquam homini, sed tanquam DEO. Ad 3 prob. S. Thom. & Aristot. tantum volunt, quod non possit dari justitia commutativa inter patrem, & filium præcise ex titulo filiationis, & paternitatis, & quando nulla inter illos datur diversitas jurium; si enim filius patri e. g. detraxit, utique ex justitia commutativa debet resarcire famam patris. 452

Dices 2. Christus non satisfecit ex bonis propriis. Nam 1. Christus satisfecit ut homo; ut homo autem accepit omnia a DEO creditore. 2. Bona Christi & ipsa persona dignificans saltem fuerunt communes Divinitati, & humanitati; atqui solutio non potest fieri ex bonis communibus; alias qui fratri suo deberet 1000 florenos, posset illos solvere ex communi hæreditate. 3. Etsi servus possit libere facere, ut aliquod lucrum existat, vel non existat sub actuali dominio Domini, non tamen exercet actum justitiæ rigo- 453

rigorosæ, si tale lucrum ponat sub actuali dominio Domini: ergo a pari. Resp. ad 1 dist. ant. Ut homo accepit omnia a Deo adæquate, neg. ant. inadæquate, & ita, ut illa bona (operationes nempe meritorias) etiam habuerit propria ex titulo libertatis, conc. ant. Ad 2 conc. maj. dist. min. Solutio non potest fieri ex bonis communibus, quando ideo deficit æquitas inter debitum, & datum, conc. maj. si hæc æqualitas nihilominus obtinetur, neg. maj. In casu de hæreditate addito deficeret æqualitas inter debitum, & datum, Christus autem tantum dat DEO, quantum ipsi pro offensa debetur. Ad 3. Dist. ant. Si dominus hoc lucrum exigat vi dominii herilis, conc. ant. si servo relinquat aliquas actiones liberas, neg. ant. Tunc enim servus qui talis pro illis ex justitia potest exigere stipendium, præsertim si dominus cum servo inierit pactum solvendi pro illis actionibus stipendium.

454 Dices 3. Si satisfactio Christi esset moraliter nostra, per illam æque formaliter redderemur justi, quam per peccatum Adami fuimus redditi injusti: hoc est hæreticum: ergo. Conf. Christus satisfactionem condignam neque debuit pro se, cum nullam habuerit culpam, neque pro nobis; cum enim talis satisfactio nobis sit impossibilis, ipsimet non habuimus obligationem illam præstandi; atqui actus justitiæ rigorosæ supponit debitum: ergo. Resp. Neg. maj. Satisfactio Christi non est eodem modo moraliter nostra, quo peccatum Adami; nam voluntati Adami nostra voluntas ita erat alligata, ut ipsius peccatum statim in actu secundo nos inficiat, & immediate nobis imputetur. At satisfactio Christi tantum est moraliter nostra quoad actum primum, & sub conditione debitæ applicationis. Ad conf. neg. ant. quoad secund. memb. supposito, quod Christus peccata nostra in se susceperit. Rationem additam dist. Ipsimet non habuimus obligationem præstandi condignam satisfactionem propriam, conc. alienam, si offerre-

ferretur a Redemptore, ſubd. non habuimus obligationem ſatisfactionem condignam præſtandi abſolute, & determinate, tranſ. disjunctive, & conditionate, niſi velimus tolerare infernum, neg.

QUÆSTIO IV.

An noſtra merita, ſatisfactiones, & invocatio ſanctorum aliquid derogent officio Mediatoris, & dignitati ſatisfactionis Chriſti?

455 Cum juxta doctrinam Catholicam homo juſtus non ſolum valeat DEO pro temporali peccatorum ſuorum pœna ſatisfacere, ſed etiam æternam beatitudinem mereri, ac inſuper per interceſſionem Sanctorum varias gratias, & beneficia a DEO obtinere poſſimus, hæretici inde anſam arripiunt criminandi, quaſi hæc doctrina ſit injurioſa Chriſto, & dignitati ejus ſatisfactionis, ac officio Mediatoris præjudicet. Suſtinuit autem Chriſtus partes Mediatoris inter DEUM, & hominem variis modis. 1. Ut internuncius, & interpres, qui voluntatem Divini Patris, ejusque leges nobis annunciavit; in quo ſenſu ad Hebr. 8 v. 6 *Melioris Teſtamenti Mediator* vocatur. 2. Ut Interceſſor, & Advocatus, qui, ut ad Rom. 8 v. 34 dicitur: *Interpellat pro nobis.* 3. Ut Arbiter, & Sponſor, qui quaſi litem inter DEUM, & homines compoſiturus, loco noſtri Divinæ Juſtitiæ ſatisfecit, & debita noſtra exſolvit.

456 Dicendum. Noſtra merita, ſatisfactiones, invocatio Sanctorum &c. neutiquam derogant dignitati ſatisfactionis Chriſti, aut officio Mediatoris. Prob. 1. Ipſa Scriptura ejusmodi opera nobis commendat, & ſuadet; ergo Chriſto, ejusque ſatisfactioni nihil præjudicant. Conſ. patet. Ant. prob. Petr. 1 v. 10 dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram voca-*

cationem, & electionem faciatis; Nam *unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem* &c. 1 ad Cor. 3 vers. 8. Daniel. 4 vers. 24 legitur: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Luc 3 v. 8: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, compensando videlicet injurias DEO illatas, & non tantum, ut Calvinus vult, a peccatis abstinendo. Job. 42 vers. 8 ipse DEUS ad illius amicos dixit: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis.* Et Apost. ad Rom. 15 v. 30: *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad DEUM*; si autem sine injuria Christi licet invocare homines adhuc in terra degentes, ut DEUM pro nobis interpellent, utique etiam licebit invocare Sanctos in cælo regnantes. Omitto hic testimonia Patrum, & perpetuam traditionem, ex quibus vis meritoria, & satisfactoria bonorum operum, item utilitas invocandi Sanctos alibi ex instituto probari solet.

457 Declaratur, & prob. conclus. 2. Ecclesia Catholica non docet, quod homo justus pro pœna temporali suorum peccatorum possit satisfacere, aut mereri vitam æternam independenter a meritis Christi; sed quod omnia opera nostra suum valorem, & vim principaliter habeant ex ipsis meritis Christi, in quantum merita Christi per opera bona nobis applicantur, & propter illa omnes gratias tam actuales, quam sanctificantem ad satisfaciendum, & merendum necessarias accipimus; ergo opera nostra meritoria, & satisfactoria potius cedunt in gloriam Christi, & superabundantem ejus satisfactionem extollunt; sicut enim Omnipotentiæ Divinæ non derogat, sed illam magis commendat, qui dicit, DEUM non solum posse operari, aut miracula facere per se, sed etiam per suos servos; sic major est gloria Christi, si dicatur, quod non solum ipse pro peccatis nostris satisfecerit, verum nobis quoque virtutem impetraverit per gratiam suam aliqua ex parte satisfaciendi. Conf. Juxta adversarios non derogatur gloriæ Christi per hoc, quod

quod ejus merita debeant nobis applicari per fidem specialem: ergo neque illi derogatur per hoc, quod debeant nobis applicari per bona opera.

458 Quod Sanctos attinet, illos non invocamus tanquam Auctores gratiæ, & gloriæ, quasi ex propria sua virtute nobis auxilia supernaturalia, aut cælestem vitam conferre valeant; neque dicimus, quod illa beneficia, quæ nobis impetrant, ipsimet proprie mereantur, sed omnia adscribimus Christo, Sanctos autem solum invocamus tanquam Intercessores, Patronos, & Advocatos secundarios, quorum intercessionem credimus tanto esse potentiorem, quanto major est illorum gloria, & amicitia cum DEO. Atque in hoc sensu Mediatores inter DEUM, & homines vocantur a S. Gregorio Nazianz. in orat. ad Gregorium Nyssen. Martyres a S. Cyrillo lib. 12 Thesauri cap. 10 Prophetæ, & Apostoli, & Moyses ipse Deuter. 15 de se dicit: *Ego sequester, & medius fui inter DEUM, & vos illo tempore.* S. Thomas 3 part. q. 26 art. 2 nomen Mediatoris etiam tribuit Sacerdotibus tam veteris, quam novi Testamenti, in quantum videlicet illi Christum principalem Mediatorem prænunciabant, & præfigurabant: hi autem illius sunt Ministri salutaria Sacramenta vice Christi hominibus ministrantes.

Objectiones.

459 Obj. 1. Christus solus est Salvator, & Mediator noster, cujus merita, & satisfactiones sunt infinitæ: ergo derogatur ejus dignitati, & officio per merita, & satisfactiones hominum. Ant. prob. Actor. 4 v. 12 dicitur: *Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo nos oporteat salvos fieri.* 1 ad Timoth. 2 v. 5: *Unus est Mediator DEI, & hominum homo JEsus Christus*: ergo. Resp. Dist. ant. Christus solus est Salvator, & Mediator noster principalis, & primarius, conc. ant. ita, ut excludat omnes mediatores secun-

ſecundarios, & miniſteriales, neg. ant. & conſ. Chriſtus ſolus eſt Salvator, & Mediator noſter principalis, quia ipſe ſolus pro nobis ſatisfecit, & pretium exſolvit, ut declarat ipſe Apoſtol. 1 ad Timoth. 2, ubi ad verba objecta ſtatim addit: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Quo tamen non obſtante idem Apoſt. 1 ad Corinth. 9 v. 22 de ſe ſcripſit: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos,* nempe ſecundario, & inſtrumentaliter per prædicationem Evangelii. Adde, quod Chriſtus ſolus ſit Mediator noſter ratione naturæ, qua inter DEUM, & hominem eſt medius, utpote ſimul DEUS, & homo, quod ad hominem DEO reconciliandum erat neceſſarium, quemadmodum textum Pauli explicant Patres ferme omnes apud Bellarm. lib. 1 de Sanctor. beatitud. cap. 20.

460 Dices. S. Auguſtin. lib. 2 contr. Parmenianum cap. 8 acriter in illum invehitur, quod Epiſcopum quemdam Mediatorem inter DEUM, & populum poſuerit; dein addidit: *Si eſſet Mediator Paulus, eſſent utique & cæteri Apoſtoli ejus, & ſic multi Mediatores eſſent, nec ipſius Pauli conſtaret ratio, qua dixerat: Unus DEUS, unus Mediator DEI, & hominum.* Conſ. Juxta S. Auguſt. loc. cit. *Pro quo nullus interpellat,* ſed *ipſe pro omnibus,* hic *unus verusque Mediator eſt:* atqui juxta nos Sancti pro nobis orant, & nemo pro Sanctis: ergo. Reſp. S. Auguſtinum loqui de Mediatore principali in ſenſu ſupra explicato, vel potius per Mediatorem Principalem intelligit illum, qui nullo alio Mediatore indiget, qualis utique eſt ſolus Chriſtus. Nam Sancti, etſi DEUM ſuis precibus nobis propitium reddant, indiguerunt tamen & ipſi reconciliari DEO per Mediatorem Chriſtum, & nunc etiam quidquid nobis impetrant, per Chriſtum impetrant. Hinc ad conſ. conc. maj. neg. min. in ſenſu S. Auguſtini acceptam; quippe ideo juxta ipſum Chriſtus eſt unus, verusque Mediator, quia pro ipſo nullus interpellat, id eſt, quia nullo alio Mediatore indiget

indiget, sed ipso omnes, ut colligitur ex verbis immediate præcedentibus: *Homines omnes Christiani se invicem commendant orationibus; pro quo autem nullus interpellat* &c.

461 Obj. 2. Scriptura remissionem peccatorum nostrorum ipsi Christo tribuit: *Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi*, Joan. 1 v. 29. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, 1 Joan. 2 v. 1: ergo derogamus satisfactioni Christi, dum ulterius nostram satisfactionem requirimus. Conf. Christus *ipse peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, 1 Petr. 2 v. 24. *Et de peccato damnavit peccatum in carne*, ad Rom. 8 v. 3: ergo remissio peccatorum est gratuita. Resp. Conc. ant. dist. conc. Si nostram satisfactionem requirimus in supplementum satisfactionis Christi, conc. ant. si illam præcise requirimus tanquam applicationem meritorum Christi, neg. conf. Ecclesia Catholica satisfactionem Christi tamquam sufficientissimam, & superabundantem agnoscit, & prædicat, docet tamen, illam per bona opera debere nobis applicari, sicut juxta Novatores applicari debet per fidem specialem. Ad confirm. iterum dist. conf. Ergo remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam est gratuita, conc. conf. quoad pœnam temporalem subd. id est, facultas illam delendi prorsus gratuito a Christo nobis est impetrata, conc. conf. quasi vero DEUS prorsus nullam satisfactionem a nobis exigat, neg. conf.

462 Dices. Si Christus perfecte pro nobis satisfecit, exsolvit omne pretium pro peccatis nostris: ergo nostræ satisfactiones nullæ sunt & superfluæ. Conf. Adstruendo nostra opera satisfactoria satisfactionem inter Christum, & nos quasi partimur: ergo Christo injuriam facimus. Resp. Dist. ant. Si Christus pro nobis perfecte satisfecit, exsolvit omne pretium pro peccatis nostris in actu primo, conc. ant. exsolvit

omne pretium in actu secundo, neg.ant. & conf. Pretium, quod Christus pro nobis obtulit, spectando valorem intrinsecum fuit omnino condignum, & superabundans, hinc sicut in actu secundo delet culpam, & pœnam æternam, modo nobis per pœnitentiam applicetur, sic etiam potuisset delere omnem pœnam temporalem, nisi ipse Christus voluisset, ut etiam homo aliquam satisfactionem præstet, & sic magis a peccatis absterreatur, atque ad bona opera alliciatur. Ad conf. neg. ant. Quia etiam illa pars satisfactionis, quam nos præstamus, totum suum valorem habet ex meritis Christi, ut adeo ultimato tota satisfactio ad Christum referatur.

463 Obj. 3. Apostolus Colossenses cap. 2 v. 18 sollicite monet, ne se per cultum Angelorum seduci patiantur: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans*: ergo judicat invocationem Sanctorum derogare Christo. Conf. DEUS & Christus volunt, ut in ipsis omnem fiduciam ponamus, non in hominibus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, ad Hebr. 4 v. 16. *Maledictus, qui confidit in homine*, Jerem. 17 v. 5. Resp. Conc. ant. neg. conf. Apostolus ibi damnat hæresim Simonis Magi, qui docuit, quosdam Angelos adorandos esse tamquam DEOS minores, qui mundum fabricarint, & per Prophetas locuti sint, nec posse placari verum DEUM, qui invisibilis est, nisi per hos Angelos. Nihil tale in cultu Sanctorum admittunt Catholici. Ad conf. dist. ant. Volunt, ut omnem fiduciam ponamus in DEO tanquam gratiarum Auctore, & auxiliatore summo, & in Christo tamquam Mediatore principali, conc. ant. aliter, neg. ant. Ecclesia Catholica in sanctis tantum ponit fiduciam secundario tamquam in Intercessoribus DEO gratis; hinc nihil ad illam pertinet Jeremiæ maledictio, quæ solum tangit illos, qui relicto DEO in homine confidunt ultimato, quasi homo satis potens ex se esset adjuvandum, ut colligitur ex contextu.

Dices

464 Dices 1. DEUS, & Christus ipsi jam sciunt necessitates nostras, & amant nos magis, quam Sancti: ergo ipsis facimus injuriam, si ad Sanctos quasi illorum monitores confugimus. Conf. Christus in Cana Galilææ reprehendit Matrem suam, quod pro hospitibus intercesserit, ipsumque importune monuerit, quasi nesciret defectum vini: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Non adhibemus Sanctos, ut DEUM, vel Christum moneant, sed tanquam Patronos, qui magis digni sint exaudiri a DEO, quam nos, eo fere modo, quo aulicos Principi magis acceptos tanquam intercessores apud ipsum adhibere solemus, quod adeo dignitati Principis nil præjudicat, ut potius ad gloriam ipsius cedat, quod illum in suis quoque Ministris honoremus. Sic etiam Moyses Exod. 32 v. 13 DEO in oratione proposuit dilectos amicos: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum &c.* Ad conf. neg. suppos. quod B. Virgo Christum importune, & quasi ignorantem admonuerit; neque Christus illam reprehendit, sed per verba: *Mulier, quid mihi, & tibi est?* solum indicare voluit, ratione Maternitatis eidem non competere jus petendi miracula, cum non sint actiones humanitatis, quam solum a Matre habuit, sed Divinitatis; interim Matris intercessionem revera placuisse Christo, ipse eventus demonstrat, quia mox fecit, quod illa modeste petiit.

465 Dices 2. S. Ambros. in cap. 1 ad Rom. scribit: *Misera excusatione uti, qui dicunt, per sanctos posse ire ad DEUM, sicut per comites pervenitur ad Regem.* Dein disparitatem addit his verbis: *Ad DEUM autem, quem utique nihil latet; omnia enim merita novit, promerendum suffragatore non opus est sed mente devota.* Conf. Ecclesia sæpe rogat DEUM per merita Sanctorum: ergo in illis ultimato ponit suam fiduciam. Resp. S. Ambros. loc. obj. agit contra ethnicos, qui astrorum cursus, & creaturas non secus, ac DEUM colebant. Dum, autem addit, ad

DEUM promerendum non esse opus suffragatoribus, intelligit ex parte DEI, utpote qui ipsemet omnia per se videat. Quod autem ex parte nostri utilissimum sit suffragatores adhibere, clarissime docet in lib. de viduis. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Ecclesia per hunc modum precandi nil aliud intendit, quam DEO quasi proponere merita illa, per quæ Sancti facti sunt amici DEO valde dilecti, quod clarius exprimit, dum in suis orationibus ait: *Concede DEUS intercessione hujus sancti* &c. *Per Christum Christum Dominum nostrum.*

466 Quæres. An Christus sit Mediator noster ut DEUS, vel ut homo? Resp. Utramque naturam ad rationem Mediatoris esse requisitam; si enim præcise fuisset DEUS, non potuisset elicere opera meritoria: si autem tantum fuisset homo, operibus non potuisset dare illam condignitatem, & valorem, qui ad reconciliationem cum DEO nobis impetrandum suffecisset. Hinc S. Augustin. lib. 10 Confess. cap. 42 ait: *Mediator inter DEUM, & homines oportebat, ut haberet aliquid simile DEO, & aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a DEO; aut in utroque DEO similis longe esset ab hominibus, atque ita Mediator non esset.* Neque tamen ex hoc sequitur, quod Christus, quando sua merita Divino Patri obtulit pro nobis, eidem obtulerit ipsam Divinitatem, aut personam Divinam, quia non obtulit merita concretive, aut reduplicative sumpta, prout in recto involvunt personam Divinam, neque merita solum specificative sumpta, prout a dignitate Verbi omnino præscindunt, sed merita denominative sumpta, seu merita a persona Verbi dignificata, ita, ut persona Verbi importaretur in obliquo.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De causa morali Incarnationis.

467 Per causam moralem Incarnationis intelligitur tale meritum, a quo DEUS suo modo potuit moveri, vel potius determinari ad producendam aliquo modo Incarnationem. Hæc autem dupliciter spectari potest, vel quoad substantiam, vel quoad circumstantias. Substantia Incarnationis consistit in ipsa unione hypostatica, qua Verbum Divinum humanitati Christi unitum fuit. Circumstantiæ potissimæ sunt tempus, & locus, quo Christus mundum erat ingressurus; item Maternitas B. Virginis, stirps, vel familia, ex qua nasciturus erat. De his quamquam ex professo non disputetur, quia tamen scitu utilia sunt, & ab Auctoribus passim tractantur, hic quoque breviter agendum erit.

QUÆSTIO I.

An pura creatura mereri potuerit Incarnationem quoad substantiam?

468 Quid sit meritum condignum, explicavi num. 354. Meritum congruum ab Auctoribus diversimode accipitur; aliqui per illud nihil aliud intelligunt, quam præparationem, ac dispositionem quamdam liberam, ac supernaturalem, vi cujus deceat liberalissimum DEUM amicos suos specialiter dilectos gratia Incarnationis donare; alii vero in sensu stricto, & magis proprio sub nomine meriti congrui denotant tale liberum obsequium, quod habet quamdam positivam, & imperfectam exigentiam, ob quam DEUS quidem non teneatur dare tantum præmium, quantum est Incarnatio, interim tamen ab illa prudenter possit moveri ad ejusmodi præmium largiendum.

469 Quod nulla creatura, nec ipsa B. Virgo Incarnationem potuerit mereri de condigno, est communis, ac certa Theologorum sententia. Quippe meritum condignum debet secundum rectam æstimationem habere æqualitatem cum præmio: atqui nullum opus supernaturale puræ creaturæ habet talem æqualitatem cum substantia Incarnationis; cum enim Incarnatio quoad substantiam dicat unionem cum Verbo Divino entitative infinito, nihil amplius foret, quod non possemus de condigno mereri, si meritum finitum puræ creaturæ cum tali præmio posset habere æqualitatem. Sane omnia merita puræ creaturæ condigne compensantur per augmentum gratiæ, & gloriæ solum finitum; unio autem hypostatica utpote summa communicatio DEI ad extra, est bonum altioris ordinis, & quodlibet augmentum gratiæ, & gloriæ incomparabiliter excedit.

470 Hinc Vasquez, Lugo, Haunold. Esparza docent, quod pura cratura Incarnationem quoad substantiam nequidem mereri possit merito congruo stricte, ac proprie tali; contra quam doctrinam citantur quidem plurimi, ac gravissimi Auctores cum S. Thoma 3 p. q. 2 a. 1, ubi ait: *Ex congruo tamen meruerunt SS. Patres Incarnationem desiderando, & petendo; congruum enim erat, ut DEUS exaudiret eos, qui ei obediebant.* Verum isti Auctores plerumque solum loquuntur de merito congruo latius tali, aut de Incarnatione quoad circumstantias. Nam passim asserunt, progenitores Christi Incarnationem reipsa de congruo meritos fuisse, cum tamen S. Scriptura illam neutiquam meritis hominum, sed soli misericordiæ, & bonitati DEI adscribat. Sic Luc. 1 vers. 78 dicitur: *Per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos.* Ad Ephes. 2 vers. 24: *DEUS autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*

S. Tho-

471 S. Thomam quod attinet in 3 dist. 4 art. 1, ubi meritum stricte tale explicat, ita loquitur: *Sed quod tota plenitudo Divinitatis habitet in homine, hoc excedit & conditionem, & meritum humanum; unde nullo modo potest cadere sub meritum, nisi late meritum dicamus omnem præparationem ad aliquid habendum.* Ratio est, quia, ut supra diximus, unio hypostatica est præmium incomparabiliter majus quolibet possibili gradu gratiæ, & gloriæ; atqui nulla pura creatura potest de congruo stricte accepto mereri quemlibet gradum possibilem gratiæ, & gloriæ, eo quod omne opus bonum puræ creaturæ de condigno tantum mereatur gradum gratiæ, & gloriæ determinatæ. Sic quia actus aliquis naturalis in commercio humano de condigno tantum meretur determinatam quandam summam pecuniarum, de congruo non potest mereri quamcunque summam possibilem; alias subditus, qui per exiguum obsequium e. g. curam equi, de condigno mereretur unum, aut alterum denarium, de congruo posset exigere plures aureorum milliones.

472 Dices 1. Pertinet ad Omnipotentiam DEI, posse puram creaturam tot gratiis prævenire, ut ejus merita habeant sufficientem proportionem ad promerendam unionem hypostaticam, præsertim, quia meritum per gratiam dignificatum est in eodem ordine supernaturali cum unione hypostatica. Conf. Juxta S. Thom. ad meritum congruum plus non requiritur, quam ut præmium correspondeat liberalitati donantis; atqui talia essent merita puræ creaturæ maximis gratiæ donis instructæ respectu unionis hypostaticæ: ergo. Resp. Neg. ant. Omnipotentia Divina magis commendatur, si possit producere opus tam præstans, ad quod nulla merita puræ creaturæ possint habere sufficientem proportionem. Porro unio hypostatica non est tantum in ordine supernaturali qualicunque, sed supremo, utpote tendens ad personalem dignitatem Divinam, & filiationem DEI naturalem. Ad conf. dist. maj. Ita tamen, ut ipsum opus

opus meritorium possit præmiantem prudenter movere ad dandum tale præmium, conc. maj. aliter, neg. maj. de merito stricte accepto; & negata simpliciter minore cons.

473 Dices 2. Peccator per unicum actum contritionis potest de congruo mereri remissionem peccati, amicitiam DEI, visionem beatificam, & ipsum DEUM: ergo homo in gratia constitutus unionem hypostaticam. Conf. Visio beatifica est beatitudo, & ultimus finis hominis: ergo est majus bonum hominis, quam unio hypostatica. Resp. Trans. ant. neg. cons. Peccator stricte loquendo non meretur DEUM, sed tantum illius possessionem intentionalem per visionem beatificam, per unionem vero hypostaticam DEUS possidetur substantialiter; hinc incomparabiliter magis excedit merita puræ creaturæ, quam amicitia DEI, & remissio peccati. Neque homo in illo instanti, quo elicit contritionem perfectam, formaliter adhuc est peccator, & inimicus DEI, sed pro posteriore signo naturæ jam donatus gratia sanctificante. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Licet unio hypostatica non sit finis ultimus, & beatitudo hominis formaliter, est tamen radicaliter, quia homini tribuit jus ad visionem beatificam, & quidem perfectiorem, quam ulla pura creatura per quoscunque actus valeat mereri.

474 Dices 3. Antiqui Patres, & progenitores Christi ardentissime petierunt Incarnationem; ergo illam potuerunt mereri. Certe de B. Virgine canit Ecclesia, quod merita sit portare Regem cælorum. Conf. Qui meretur aliquid, quod sine altero obtineri nequit, hoc ipso meretur etiam illud alterum; atqui Patres antiqui meruerunt vitam æternam, ad quam sine Incarnatione non poterant pervenire: ergo. Resp. Trans. ant. Cum enim antiqui Patres indubitanter crediderint, futuram esse Incarnationem, potius petierunt illius accelerationem, quam substantiam, dist. cons. Ergo illam potuerunt mereri meri-

to congruo ſtricte tali, neg. conſ. late tali, tranſ. conſ. Eccleſia ſuo cantu plus non vult, quam quod B. Virgo merita ſit Maternitatem Chriſti, ut exponit S. Thom. 3 part. q. 2 art. 11 ad 3. Ad conf. neg. maj. alias, qui meretur vitam æternam, mereretur ipſam exiſtentiam DEI, ſine qua vita æterna haberi nequit. Adde, quod abſolute vita æterna potuiſſet obtineri absque incarnatione, licet in hac providentia nemo ad illam perveniat niſi per gratiam, & merita Chriſti.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus ſibi ipſi meritus ſit, aut ſaltem mereri potuerit unionem hypoſtaticam?

475 Chriſtus hic conſiderari poteſt vel in complexo tanquam ſuppoſitum Theandricum ex Verbo, & humanitate inter ſe unitis conſtitutum, vel præciſe ſecundum humanitatem in abſtracto acceptam, & ab unione cum Verbo præciſam. Quid de humanitate in abſtracto ſentiendum, patet ex quæſt. præced. quia ſic conſideratur ut pura creatura. Dein humanitas Chriſti præciſe ſecundum ſe unionem hypoſtaticam nec mereri potuit per merita præcedentia tempore hanc unionem, cum ſit de fide, quod nullo tempore ante unionem hypoſtaticam exſtiterit; neque illam ſaltem connaturaliter mereri potuit per merita natura tantum præcedentia, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & juxta ordinem naturæ prius eſt ſubſiſtere, quam operari, ut patet in anima rationali, quæ ideo in priore ſigno ad unionem ſui cum corpore nil poteſt operari, quia per ſubſiſtentiam necdum eſt ultimato completa, & in certo exiſtendi modo conſtituta.

476 Ideo tamen non nego, quod DEUS abſolute loquendo humanitati Chriſti potuerit dare actum primum proximum liberum, vi cujus pro priore ſigno

naturæ ad unionem hypoſtaticam quasdam operationes eliceret, quæ dein in eodem inſtanti pro poſteriore ſigno naturæ ab unione hypoſtatica, vel potius perſona Verbi infinite dignificarentur. Verum tales actiones non amplius eſſent a natura humana præciſe in abſtracto conſiderata, ſed jam acciperentur ut Theandricæ. Utrum autem actus Theandrici poſſint eſſe meritorii unionis hypoſtaticæ, ex dicendis patebit. Interim, quod Chriſtus in complexo unionem hypoſtaticam ſaltem de facto non ſit meritus, docent fere omnes Theologi, & clare tradidit S. Auguſtinus pluribus in locis, nominatim tract. 82 in Joan. Ubi in fine ait: *Neque illam ſuſceptionem hominis ulla merita præceſſerunt, ſed ab illa ſuſceptione merita ejus cuncta cœperunt.*

477 Ratio communiſſimæ hujus doctrinæ eſt, quia juxta receptum axioma, Principium intrinſece conſtitutivum meriti, aut eſſentialiter, & determinate ad meritum requiſitum non poteſt cadere ſub idem meritum; atqui unio hypoſtatica eſt principium ut quo eſſentialiter, & determinate requiſitum ad meritum Theandricum, ſeu a Verbo dignificatum: ergo unio hypoſtatica non potuit cadere ſub meritum Theandricum. Sane juxta communem perſuaſionem præmium ex eſſentia ſua eſt lucrum merito impetratorio ſuperadditum, & ab illo diſtinctum, cum de ratione meriti ſit, ut habeat virtutem attractivam præmii; jam vero, ſi unio hypoſtatica Chriſto daretur in præmium actionis Theandricæ, Chriſtus nihil lucraretur, ſed in præmium actionis Theandricæ ſolum acciperet id, quod pro priori ad illam eſſentialiter, & neceſſario jam habuiſſet.

478 Ex quibus colliges 1, abſolute fieri non potuiſſe, ut Chriſtus ſibi mereretur primam unionem hypoſtaticam, qua Verbum initio fuit unitum humanitati. Equidem non deſunt, qui cum Suario, & Marino exiſtimant, primam unionem hypoſtaticam Chriſto abſolute potuiſſe dari in præmium ſaltem inadæqua-

tum, in quantum in hoc ipso videtur esse magnum lucrum, & gloria, quod unionem haberet ex merito. Verum aliis hoc lucrum videtur exiguum, vel omnino chimæricum, quia habere unionem ex merito in tali casu revera nil aliud esset, quam libere elicuisse tale meritum, ad quod unio jam aliunde præsupponitur essentialiter; atqui hanc gloriam Christus jam habuit independenter a voluntate præmiandi, per quam proin DEUS nihil novi vellet conferre. Accedit, quod tali modo absolute aliquis posset mereri primam gratiam: hoc autem non satis videtur consonare cum mente SS. Patrum, & Conciliorum, qui contra Pelagium passim docent, primam gratiam non posse cadere sub meritum, eo quod essentialiter omne meritum præcedat.

479 Colliges 2. Quamquam Christus absolute loquendo fors sibi mereri potuerit conservationem unionis hypostaticæ, ejus augmentum, quod ratione nutritionis illi accedebat, item habitus supernaturales, gratiam sanctificantem, lumen gloriæ, ac visionem beatificam; nihilominus de facto ista probabilius non est meritus, quia jam independenter a suis meritis naturaliter ipsi debebantur. Nam 1 habitus supernaturales, uti etiam gratia sanctificans, quæ est radix, & quasi natura habituum, ad actus meritorios connaturaliter præsupponebantur. 2. Lumen gloriæ est quasi prima proprietas gratiæ consummatæ, quam Christus a primo conceptionis instanti habebat. 3. Ex lumine gloriæ connaturaliter orta est visio beatifica. 4. Unio hypostatica vel ex natura sua est perpetua, vel saltem ejus perpetuitas statim ab initio a DEO gratis decreta. 5. Unio cum particulis per nutritionem adgeneratis Christo debebatur vi primæ unionis. An vero etiam resurrectio illi tanquam Filio naturali pari modo debita fuerit, dubium est inter Auctores.

480 Colliges 3. Christum mereri potuisse, & de facto sibi meritum esse gloriam corporis, exaltationem sui nomi-

nominis, Gentium cultum, & adorationem, Ecclesiæ suæ splendorem, diffusionem & firmitatem. Nam licet Christo jam aliunde aliqua veneratio & gloria corporis e. g. impassibilitas, claritas &c. fuerit debita, attamen ipsi independenter a meritis non fuit debita specialis illa pulchritudo, quæ relucet ex Sanctissimorum vulnerum cicatricibus, ascensio in cælum cum tanto plausu, gloria Redemptoris, & laus inde resultans. Hinc S. Scriptura specialem gloriam Christi ejus meritis adscribit; sic Luc. 24 vers. 26 dicitur: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Philip. 2 v. 9: *Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Apocal. 5 vers. 12: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, id est,* ut interpretes communiter explicant, manifestationem Divinitatis.

481 Dices 1. Psalm 44 v. 8 legitur: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te DEUS:* ergo Christus sibi meritus est unionem hypostaticam. Conf. Christus sibi meritus est circumstantias Incarnationis, nempe Maternitatem B. Virginis, aliasque gratias progenitoribus, licet ista fuerint prærequisita ad merita Christi: ergo etiam meritus est unionem hypostaticam, etsi ad merita fuerit requisita. Resp. Conc. ant. neg. conf. Textus objectus juxta S. Augustinum aliosque interpretes habet hunc sensum: Non est mirum, quod humanitas Christi dilexerit justitiam, & oderit iniquitatem, quia in hunc finem uncta est a DEO sanctitate increata Verbi. Unde dilectio justitiæ, & odium iniquitatis respectu unionis hypostaticæ non habuit rationem meriti, sed finis. Ad conf. conc. ant. Rationem additam dist. Licet ista fuerint prærequisita ad merita Christi essentialiter, & determinate, neg. ex libero decreto DEI, & indeterminate, conc. Christi merita potuissent existere, etsi Christus ab aliis progenitoribus fuisset ortus, aut a DEO sine Matre productus.

Dices

482 Dices 2. Potuisset DEUS unionem hypostaticam decernere ob duo diversa motiva, nimirum primo per decretum intentivum ob solam excellentiam Mysterii; dein per decretum exsecutivum propter merita Christi in priori decreto jam prævisa; ergo unio hypostatica ut substans decreto intentivo potuit esse principium meriti; ut substans vero decreto exsecutivo, præmium. Conf. Finis potest causare seipsum ita, ut sit causa, & effectus sui ipsius; ergo etiam unio hypostatica potuit esse causa moralis, & meritoria sui ipsius. Resp. Neg. ant. Implicantia consistit in hoc, quod posterius decretum esset remunerativum, ut supponit objectio, & simul non esset remunerativum, quia ultra meritum nihil lucri conferret. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Nihil est contra rationem finis, quod per suam existentiam intentionalem, & objectivam det sibi ipsi existentiam realem, & physicam, est autem contra rationem præmii, non esse lucrum merito superadditum. Aliud forte est, quod Christus unionem hypostaticam sibi absolute mereri potuisset merito compensativo; siquidem unio ipsum meritum non constituit. Verum nos loquimur de merito proprie dicto.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo progenitores Christi meriti sint circumstantias Incarnationis?

483 Mereri circumstantias Incarnationis dicitur ille, qui ex supposito, quod DEUS aliunde jam decreverit simpliciter ponere Incarnationem, meretur, ut ea potius ponatur in his, quam in aliis circumstantiis e. g. potius ex hac stirpe, hoc loco, hoc tempore. Circa has circumstantias communis docet, quod progenitores easdem sint meriti de congruo. Quamquam enim illorum merita per se non videantur fuisse improportionata, quo minus has circumstantias

abso-

absolute loquendo potuissent mereri de condigno; quia tamen de lege ordinaria totus valor meritorum puræ creaturæ impenditur in augmentum gratiæ, & gloriæ ita, ut per hoc condigne a DEO præmientur, non potuerunt insuper has circumstantias de condigno mereri; quippe hoc ipso, quod præmium aliquod sit condignum, illud est adæquatum adæquatione condignitatis, & solum admittit aliud præmium correspondens merito de congruo.

484 Porro quod progenitores Christi meriti sint de congruo, ut ex sua stirpe nasceretur Christus, sat clare docet Scriptura Genes. 22 vers. 18, ubi Abrahamo propter meritum obedientiæ, qua parabat immolare Isaac, dictum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Quæ verba exponens Apostol. ad Galat. 3 v. 16 addit: *Et semini tuo, qui est Christus.* Davidi quoque propter religiosam voluntatem ædificandi templum, promissum est ex stirpe sua Christum nasciturum. Neque obstat, quod tali modo inter merita Christi, & progenitorum data fuerit mutua naturæ prioritas; hanc enim possibilem esse, jam diximus disp. 2 quæst. 4. Adde, quod merita Christi, & progenitorum non fuerint mutuo priora, & posteriora quoad essentiam & substantiam, eoquod progenitores solum meriti sint circumstantias Incarnationis.

485 De circumstantia temporis rursus ex Scriptura habemus, progenitores Christi accelerationem Incarnationis ardentissime desiderasse: *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ*, exclamant Psal. 78 vers. 8 & Isai. 45 vers. 8: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum.* Præterea DEUS accelerationem hanc ipsis promisit: *Consolabitur ergo Dominus Sion*, Isai. 51 vers. 3. *Veniens veniet, & non tardabit*, Habac. 2 v. 3. Ex quibus ulterius deducitur, quod progenitores Christi etiam meriti sint circumstantias loci; si enim meriti sunt, ut Christus nasceretur hoc tempore, ex hac stirpe, hoc ipso sunt meriti, ut nasceretur in eo lo-

co,

co, & regione, quam inhabitabant, & ita æstimabant, atque amabant, ut merito præsumatur, quod istud quoque a DEO petierint, idque ipsis promissum esse, aliqui colligunt ex illo Micheæ 5 vers. 2: *Et tu Bethlehem Ephrata, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.*

486 Dices 1. Circumstantiæ temporis, loci, stirpis, essentialiter exigunt existentiam Christi, quia nil aliud sunt, quam certæ durationes, ubicationes, & actio productiva Christi, quæ sine suo subjecto dari non possunt: ergo si progenitores de congruo meriti sunt istas circumstantias, omnino sunt meriti substantiam Incarnationis, vel saltem Christo magnum præstiterunt obsequium. Conf. Ordo hypostaticus non minus excedit ordinem gratiæ, quam ordo gratiæ ordinem naturæ: atqui nemo per actus mere naturales potest mereri circumstantias e. g. intensionis, vel accelerationis auxilii supernaturalis: ergo a pari. Resp. Conc. ant. dist. cons. Si progenitores Christi istas circumstantias sunt meriti absolute, conc. cons. si tantum conditionate, & ex supposito Incarnationis aliunde ponendæ, neg. cons. Quodsi tamen progenitores per hoc Christo præstiterunt obsequium, illud non fuit beneficium, sed debitum propter gratias per Christum acceptas. Ad conf. dist. maj. Ordo hypostaticus non minus excedit ordinem gratiæ in ratione perfectionis entitativæ, trans. maj. in ratione mutuæ habitudinis, & convenienter ad præmium, neg. maj. Ens supernaturale ex conceptu suo est supra omnem exigentiam positivam naturæ: ens vero supernaturale saltem aliquo modo continetur in eodem ordine supernaturali cum unione hypostatica.

487 Dices 2. Christus venit tempore opportunissimo, quod DEUS jam ab æterno prædefinierat: ergo ob merita progenitorum Christi adventus non est acceleratus, sed ut S. August. lib. de quæstion. Novi, & Vet. Testam. q. 93 ait: *Ideo tunc venit, quando debuit venire voluntatis suæ rationem secutus, non meritorum.*

Conf.

Conf. Progenitores jam antecedenter ad ſua merita inſtructi ſunt ſpecialibus gratiæ auxiliis, quia electi fuerunt, ut Chriſtus ex ipſis naſceretur; ergo ad hanc dignitatem non fuere electi ex ſuo merito. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Ipſa deſideria, & preces progenitorum partialiter effecerunt, ut tempus illud, quo Incarnatio facta eſt, eſſet opportuniſſimum, quod tempus DEUS ab æterno quidem prædefinivit, ſed propter prævíſa progenitorum merita S. Auguſtinus intelligi poſſet de merito condigno; ſed juxtaBellarminum hic liber non eſt S.Auguſtini, ſed alicujus hæretici. Ad conf. neg. ant. Quia conformius Scripturæ eſt,quod fuerint ſpecialibus gratiis inſtructi, ut dependenter ab illis mererentur in Chriſti progenitores eligi. Imo licet non fuiſſent meriti electionem ad hanc dignitatem, nihilominus potuiſſent hanc circumſtantiam mereri quoad exſecutionem, ut ex dicendis patebit.

QUÆSTIO IV.

An, & quomodo B. Virgo merita ſit Maternitatem Chriſti?

488 Quoniam Maternitas Chriſti phyſice, & ſecundum ſe ſpectata eſt tantum quædam communicatio virtutis influendi in actionem generativam Chriſti, aut etiam unionem hypoſtaticam, quæ virtus neutiquam videtur eſſe majoris valoris, quam gratia habitualis intenſiſſima, quam B. Virgo de condigno ſibi meruit, communior cum Suario contra Vaſquez, Rhodes &c. docet, quod abſolute de condigno ſibi etiam mereri potuiſſet Maternitatem Chriſti. Eſt quidem Maternitas hæc ſumma dignitas tribuens Matri jus jurisdictionis in Chriſtum. Attamen hoc jus erat ſubjectum dominio ipſius filii, quin ſe extenderet ad aliquid præcipiendum in ordine ad felicitatem æternam. Imo maternitas Chriſti per ſe, & immediate ne quidem fundabat amicitiam DEI, nec viſionem

beatificam augebat, ſicut hæc præſtat gratia ſanctificans. Hinc S. Auguſtin. lib. de S. Virginit. cap. 3 ait: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti.* Eodem modo loquuntur alii Patres apud Maldonatum in cap. 11 Luc. verſ. 28.

489 At vero ex eo, quod merita B. Virginis de ſe fuiſſent condigna, non ſequitur, quod Maternitatem Chriſti actu de condigno merita ſit, aut connaturaliter mereri potuerit, quia, ut quæſt. præced. jam advertimus, omnia ejus merita, utut præſtantiſſima, condigne compenſata ſunt augmento gratiæ, & gloriæ. Neque audiri debent, qui ex verbis Angeli Luc. 1 v. 30: *Ne timeas Maria: Ecce concipies* &c. volunt exſculpere pactum quoddam oneroſum, vi cujus B. Virgini Maternitas Chriſti promiſſa fuerit ſub conditione oneroſa, ſi Angelo nuncianti firmam fidem, & aſſenſum præberet; talis enim promiſſio oneroſa nec a Theologis, nec a Patribus agnoſcitur, cum nemo illorum facile dixerit, Maternitatem B. Virgini ex juſtitia debitam fuiſſe. Imo licet progenitoribus Chriſti promiſſa fuerit circumſtantia ſtirpis, & temporis, ideo illam de condigno non ſunt meriti. Quod ſi Patres dicant, B. Virginem fuiſſe dignam, ut conciperet Filium DEI, ideo non aſſerunt, quod hoc de condigno ſit merita; poteſt enim aliquis eſſe dignus favore, aut nobili officio, quin illud jam per aliquod obſequium ſit meritus.

490 Imo Lugo, Eſparza, aliique reſpectu Maternitatis Chriſti vel omnino nullum, vel tantum diſpoſitivum meritum admittunt. Verum melius cum S. Thoma, & communi Theologorum dicitur, quod B. Virgo Maternitatem Chriſti meruerit de congruo ſtricte tali. Prob. auctoritate Scripturæ, & SS. Patrum. Luc 1 v. 45 verbis illis: *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino,* S. Eliſabeth merito fidei adſcribit, quod in B. Virgine tantum myſterium fuerit perfectum. Concinit

Ecclesia in Antiphona Paschali: *Quia quem meruisti portare* &c. S. Hieronym. Epist. 22 ait: *Propone tibi Mariam quæ tantæ fuit puritatis, ut Mater DEI effici mereretur.* S. Ambros. Epist. 83: *Quæ meruit a DEO eligi, ut esset etiam corporale DEI templum.* S. Augustin. serm. 14 de tempor. *Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, ut DEI Filium in se susciperet.* Similia habent alii Patres apud Marin. Accedit, quod adstruere meritum proprie tale sit gloriosum DEIparæ, nihilque obstare videatur, quo minus admitti valeat.

491 Dices 1. Angelus Luc. 1 v. 30 ad Mariam dixit: *Invenisti gratiam apud DEUM:* ergo Maternitatem non est merita. Conf. B. Virgo, utpote humillima, nunquam petiit, ut in Matrem DEI assumeretur, sed hanc dignitatem, aliaque sua specialia privilegia adscribit potentiæ, & misericordiæ DEI, ut patet ex Cantico Magnificat: *Quia fecit mihi magna qui potens est* &c. *Et misericordia* &c. Hinc S. Bern. serm. de nativit. Mariæ ait: *Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studebimus.* Resp. Conc. ant. neg. conf. Gratiam invenire juxta phrasin Scripturæ significat idem, ac placere DEO, quod etiam ex merito fieri potest. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Ad rationem meriti non requiritur, ut ab ipso merente ordinetur ad determinatum præmium. Cum autem merita B. Virginis fuerint ex specialibus gratiis, merito dignitatem Matris potius potentiæ, & misericordiæ DEI, quam sibi adscribit, præsertim quia præmium respondens merito solum congruo magis datur ex liberalitate præmiantis, quam propter æstimabilitatem obsequii. S. Bernard. exponi debet de merito condigno, aut mere naturali, ut sic concilietur cum Patribus supra a nobis allegatis.

492 Dices 2. Maternitas DEI habet dignitatem quamdam infinitam ita, ut in hoc genere nihil majus dari possit; ergo sub nullum meritum puræ creaturæ potest cadere. Conf. Quod est causa actionis productivæ,

ctivæ, est etiam causa effectus per illam producti: ergo si B. Virgo de congruo merita esset maternitatem, etiam fuisset merita ipsam Incarnationem quoad substantiam. Resp. Dist. ant. Maternitas DEI habet quamdam dignitatem infinitam simpliciter, neg. ant. secundum, quid conc. ant. neg. cons. Maternitas DEI est tantum infinita terminative, per quod jam ita in superiore ordine constituitur, ut in suo genere superet omnem Maternitatem cujuscunque puræ creaturæ. Ad conf. iterum dist.ant. Quod est causa physica efficiens actionis productivæ, est etiama causa physica effectus,conc.ant. Quod est causa tantum moralis,seu meritoria actionis productivæ, est etiam causa moralis effectus, subdist. Si est causa actionis productivæ simpliciter, trans. ant. secus, neg. ant. & cons. Si B. Virgo physice influxit in unionem hypostaticam, utique physice causavit Incarnationem quoad substantiam, sed tantum ut causa instrumentalis. Vide num. 261.

493 Dices 3. Maternitas DEI fuit radix omnis gratiæ, & prærogativæ, quæ B. Virgini fuit concessa; ergo independenter a proprio merito fuit electa in Matrem: ergo Maternitatem non est merita. Confirm. Maternitati DEI debentur gratiæ majores, quam cuilibet creaturæ: ergo infinitæ. Resp. 1. Transm. enthym. dist. ultim. cons. Ergo non est merita Maternitatem quoad electionem, trans. cons. quoad exsecutionem, neg. cons. Potuit DEUS maternitatem B Virgini ita decernere: Cum videam, quod Maria esset cooperatura his gratiis, volo illam in Matrem DEI eligere, & has gratias illi conferre, ut dependenter ab illis hanc dignitatem mereatur. 2. Et quia his gratiis cooperabitur, volo hanc dignitatem illi conferre in præmium. Ubi vides, quod prima formalitas, qua B. Virgo in Matrem electa est, sit gratuita, meritorum finis, & radix omnium gratiarum, quas non habuisset, si non fuisset electa in Matrem DEI. Hoc tamen non obstante altera forma-

litas exſecutiva merita B. Virginis habuit pro cauſa morali Maternitatis tanquam præmium. Ad conſ. tranſ. ant. neg. conſ. Tum quia hoc debitum non fuit ſtricte tale, tum quia creaturæ actu exiſtentes, & quælibet poſſibilis determinate ſumpta ſemper tantum habere poſſunt gratias finitas, quæ proin ab aliis gratiis tantum finitis ſuperari poſſunt.

494 Reſp. 2. Neg. ant. DEUS inſtructus ſcientia media de eo, quid B. Virgo in quibuslibet circumſtantiis eſſet actura, potuit facere hoc decretum: Quia video, quod Maria his gratiis eſſet cooperatura, easdem illi propter Merita Chriſti volo conferre, eamque ob ſua merita in Matrem Chriſti eligere. In quo decreto ipſa electio in Matrem fit propter merita B. Virginis, ut adeo non tam Maternitas DEI fuerit radix gratiarum, ſed potius gratiæ radix Maternitatis, quod videtur B. Virgini glorioſius, & magis conforme dictis SS. Patrum. Porro ſicut ex prædeſtinatione non ſequitur, quod prædeſtinatus easdem gratias haberet, etſi illis non conſentiret, ita ex iſto ſyſtemate non ſequitur, quod Maria easdem prærogativas, & gratias obtinuiſſet, etſi non fuiſſet electa in Matrem DEI, quia hæ gratiæ illi collatæ ſunt dependenter a ſcientia media de conſenſu, & ex hoc fine, ut electionem in Matrem DEI mereretur. Id tamen videtur admittendum, quod B. Virgo jam fuerit excepta a peccato, & pacto Originali ante electionem in Matrem DEI, alias cum merita ipſius fuerint dignificata per gratiam ſanctificantem, prius fuiſſet ſanctificata, quam illibata. Ad conſ. diſt. ant. Maternitati debentur gratiæ majores, id eſt, decens, ac conveniens erat, ut gratiæ majores in hunc finem ipſi darentur, conc. ant. in alio ſenſu, neg. ant. & conſ.

PARS

PARS III.

De præcipuis Christi proprietatibus, & perfectionibus.

Quemadmodum in Christo dantur duæ naturæ, 495 ita quædam proprietates, & perfectiones illi conveniunt ratione naturæ Divinæ, quædam ratione naturæ humanæ. De prioribus egimus in Tract. de DEO: ex posterioribus potissimum examinari merentur, scientia, sanctitas, impeccabilitas, & libertas, quibus dein aliqua addentur de adoratione Christi crucis &c.

DISPUTATIO I.

De Scientia Christi.

Quod Christus ut homo habuerit scientiam 496 creatam, manifestum est ex iis, quæ part. 1 disp. 3 contra Eutychianos, & Monothelitas dicta sunt. Eandem cap. 11 vers. 2 prænunciaverat Isaias, cum de Christo homine prophetavit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Scientiæ, & pietatis.* Quæritur jam ulterius, qualis hæc scientia fuerit? Nam eandem variis modis impugnaverunt hæretici, præsertim Ariani, & Nestoriani, qui Christum habuerunt pro mero homine, & ideo in primo conceptionis instanti omnem ipsi scientiam denegarunt, Gnostici quoque, & Valentiniani teste S. Irenæo lib. 1 cap. 17 blasphemarunt, Christum sub ferula præceptoris alphabeto operam dedisse. Grotius vero in cap. 13 S. Marci docuit, Christum perfectam scientiam non acquisivisse, nisi post resurrectionem.

Theologi Orthodoxi quadruplicem hic distinguunt 497 scientiam. Prima est visio beatifica, qua beati DEUM

vident intuitive, prout eſt in ſe, & probabiliter in DEO etiam aliquas creaturas. Dicitur beatifica, quia in illa, prout DEUM repræſentat, ſaltem partialiter conſiſtit beatitudo formalis creaturæ rationalis. Secunda eſt, ſcientia infuſa, qua videntur res creatæ directe in ſe, DEUS vero indirecte, & quaſi ænigmatice. Si hæc ſcientia ab homine non poteſt acquiri per actus proprios, ſed ſine illorum præcedentia infundi debet, dicitur infuſa per ſe. Si vero per actus proprios quidem acquiri potuiſſet, attamen hic & nunc ſine illis a DEO infunditur, dicitur infuſa per accidens; tales fuere multæ ſcientiæ a DEO conceſſæ Adamo.

498 Tertia eſt ſcientia acquiſita, quæ acquiritur, dum intellectus a phantaſmatis abſtrahit ſpecies, & illis juvatur ad eliciendas cognitiones abſtractivas, ſeu ænigmaticas, cognoſcendo univerſalia, rerum eſſentias, & res ſpirituales ad modum corporearum. Quarta eſt ſcientia experimentalis, quæ acquiritur dependenter ab actibus experimentalibus ſenſuum, & pro ſuo objecto formali habet ipſam experientiam, præſentem, vel præteritam, ſenſibus externis hauſtam. Confundunt aliqui has duas ſcientias; verum ſi ſtricte accipiantur, utique differunt. Nam licet etiam ſcientia experimentalis aliquo modo dici poſſit acquiſita, verſatur tamen ſolum circa eas res, quæ ſub experientiam ſenſuum cadunt, quales non ſunt univerſalia, rerum eſſentiæ, & res ſpirituales.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus habuerit viſionem beatificam?

499 Dicendum 1. Humanitas Chriſti jam in hac mortali vita habuit viſionem beatificam. Concluſio eſt omnium Theologorum, & prob. 1. S. Joan. cap. 1 v. 18 inquit: *DEUM nemo vidit unquam; Unigenitus*

tus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. In quo textu, cum Chriſtus opponatur aliis, qui non viderunt DEUM, clare ſupponitur, quod ipſe DEUM viderit, & quidem qua homo, & in hac vita, ſicut qua homo, & in hac vita enarravit; quemadmodum exponunt S. Auguſt. tract. 3 in Joan. item S. Cyrill. & Chryſoſt. apud Suarium. Joan. 3 verſ. 11 ipſe Chriſtus de ſanctiſſima Trinitate, aliisque altiſſimis myſteriis diſſerens ait: *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur*, atqui myſterium Trinitatis non poteſt videri, niſi viſione beatifica: ergo. Denique Joan. 12 v. 16 dicebat: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*; quibus verbis aliud non promiſit, niſi beatitudinem, qua ipſe fruebatur.

500 Prob. 2 variis congruentiis. 1. DEUS humanitati Chriſti ſe totum communicavit per intimam unionem: ergo non eſt credibile, quod ipſi negaverit ſuum intuitivum conſpectum. 2. Chriſtus etiam ut homo erat Filius DEI naturalis: ergo ſumme conveniens fuit, ut Patrem ſuum videret facie ad faciem. 3 Chriſto ut Filio naturali debebatur hæreditas propria filiorum DEI, nec ulla erat ratio illam differendi, cum Pater Divinus nunquam moriatur, Chriſtus autem jam tunc fuerit ejusdem capax; atqui hæc hæreditas conſiſtit in viſione intuitiva DEI: ergo. 4. Chriſtus jam in hac vita fuit caput hominum, & Angelorum: ergo non decuit, ut ab Angelis jam beatis ſapientia, & gloria ſuperaretur. Ex quibus vides, multo magis certum eſſe, quod Chriſtus viſionem beatificam habuerit a tempore reſurrectionis, eamque de facto habeat.

501 Dicendum 2. Humanitas Chriſti ſemper habuit viſionem beatificam a primo conceptionis inſtanti. Hæc concluſio non fundatur quidem in tam claris ſcripturæ teſtimoniis, uti prior, & teſte Tournelio etiam quosdam Orthodoxos habet adverſarios, nihilominus traditur a S. Auguſt. lib. 1 de peccat. me-

 rit.

rit. cap. 31, a S. Leone epist. 25 alias 11 ad Julian. a S. Bernard. Homil. 2 in illa verba: *Missus est.* Pro eadem pugnant omnes rationes supra allatæ; nam Christus semper a primo conceptionis instanti fuit intime cum DEO conjunctus, filius naturalis, & hæres DEI, caput hominum, & Angelorum, cumque visio beatifica nullo modo dependeat ab organis corporalibus, nulla fuit ratio illam differendi, aut aliquando interrumpendi. Confirm. Adamus tanquam auctor naturalis hominum statim fuit perfectus in donis naturalibus: ergo Christus ut auctor supernaturalis gratiæ, & gloriæ statim fuit perfectus in donis supernaturalibus, inter quæ vel maxime est visio beatifica.

Objectiones.

502 Obj. 1. Juxta S. Scripturam Luc. 24 v. 26: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Item Joan. 7 v. 39: *Nondum erat spiritus datus, quia JEsus nondum erat glorificatus:* ergo Christus in hac vita mortali nondum habuit visionem beatificam. Conf. Exod. 33 v. 20 DEUS ad Moysem dixit: *Non videbit me homo, & vivet:* ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Textus objecti juxta communem Patrum apud Suarez non loquuntur de gloria essentiali animæ, sed gloria accidentali corporis, puta, de gloriosa resurrectione, ascensione, & manifestatione nominis Christi, quam petiit ante suam passionem Joan. 17 v. 1 dicens: *Pater! venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Ad conf. dist. ant. Non me videbit homo purus, qualis erat Moyses, conc. ant. Homo DEUS, neg. ant. Quod nullus purus homo DEUM in hac vita cognoverit visione saltem permanente, & beatifica, docet communis ex illo Joan. 1 v. 18: *DEUM nemo vidit unquam.*

503 Obj. 2. Christus in hac vita erat homo viator; sed homini viatori visio beatifica nondum debetur: ergo.

ergo. Conf. Unio hypoſtatica non eſt eſſentialiter, & metaphyſice connexa cum viſione beatifica: ergo. Reſp. Diſt. maj. Chriſtus in hac vita fuit homo viator tantum, neg. maj. ſimul comprehenſor, conc. maj. Viatores a Theologis dicuntur, qui bonorum operum officiis, ac meritis ad beatitudinem contendunt, juxta illud 1 ad Corinth. 19 v. 24: *Sic currite, ut comprehendatis.* Comprehenſores vocantur, qui beatitudinem jam ſunt adepti. Utrumque ſimul Chriſto conveniebat, ut dictum eſt num. 358. Ad conf. tranſ. ant. quod aliqui negant, quia unio hypoſtatica eſt donum omnium maximum, & Chriſtus vi illius felix præ cunctis Angelis, & hominibus. Neg. conſ. Modo unio hypoſtatica phyſice, ac naturaliter ſit cum viſione beatifica connexa, jam non eſt ratio, illam Chriſto denegandi.

504 Dices. Gloriam animæ connaturaliter ſequitur gloria corporis, & tamen hanc Chriſtus in vita mortali non habuit: ergo neque illam. Conf. Hominibus juſtis, etſi ſint filii adoptivi DEI, differtur hæreditas, & viſio beatifica usque poſt mortem: ergo etiam Chriſto ita dilata fuit. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Ut gloria eſſentialis animæ Chriſto ſubducere tur, nec erat neceſſarium, nec conveniens. At ſubtractio gloriæ accidentalis non ſolum fuit conveniens, ſed etiam neceſſaria ad opus noſtræ redemptionis, ad ſuſtinendos dolores, ærumnas, mortem, ad dandum nobis patientiæ exemplum &c. ob quos fines Chriſtus ultro hac gloria carere voluit. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Cum Chriſtus ſit Filius DEI naturalis, hæreditas, & gloria eſſentialis illi debetur abſolute, & proxime; e contra filiis adoptivis DEUS illam tantum promiſit conditionate, ſi usque ad mortem perſeverent, quam conditionem utique DEUS apponere potuit, dum illos adoptavit: unde filii adoptivi in hac vita ad gloriam tantum habent jus remotum, & conditionatum.

505 Obj. 3. Si Christus semper habuisset visionem beatificam, cum illa non potuisset stare summa tristitia, quam passus est in agonia, sicut summus calor non potest stare cum summo frigore. Conf. Beatitudo perfecta includit carentiam anxietatis, & doloris; hinc ad illam requiritur certitudo perpetuitatis: ergo. Resp. Neg. ant. ob ea, quæ diximus, num. 136. Porro qui calorem, & frigus constituunt in qualitatibus, admittunt, quod supernaturaliter summus calor possit stare cum summo frigore: qui vero frigus constituunt in negatione caloris, vel saltem negationem caloris ad frigus necessario requirunt, negant paritatem, quia sic summus calor, & frigus sibi opponuntur contradictorie. Ad conf. dist. ant. Includit carentiam anxietatis de ipsa beatitudine amittenda, transf. ant. circa quodcunque aliud objectum, subdist beatitudo completa, & consummata, conc. ant. nondum consummata, neg. ant. & conf. Sicut stante beatitudine essentiali miraculose potest impediri gloria corporis, sic cum visione beatifica supernaturaliter potest conjungi tristia de aliis objectis, præsertim si tristitia tantum sit brevis.

506 Dices. Saltem Christus in primo instanti conceptionis nondum potuit mereri visionem beatificam: ergo illi tunc nondum fuit debita. Conf. Visio beatifica repugnat libertati Christi: ergo. Resp. Transf. ant. neg. conf. Quia Christus fuit Filius naturalis DEI, visio beatifica illi jam aliunde fuit debita tanquam hæreditas, adeoque non fuit opus, ut illam mereretur; quamquam absolute loquendo etiam hoc fieri potuisset, ut colligitur ex num. 476. Ad conf. neg. ant. Nam visio beatifica non constituit actum primum proximum liberum ad merita Christi, ut suo loco ex instituto declarabitur. Illud hic ad- Licet scientia beatifica Christi ut hominis in suo sensu sit ejusdem speciei cum visione beatifica aliorum Sanctorum, fuit tamen longe perfectior, sicut Christus longe magis fuit sanctificatus. Hinc Apostol. ad Ephes 1

ait,

ait, quod Christus sit constitutus ad dexteram DEI, super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

QUÆSTIO II.

An Christus præter visionem beatificam etiam habuerit scientiam infusam?

507 Dicendum. Christus præter visionem beatificam etiam habuit scientiam infusam per se tum habitualem, tum actualem. Ita communior contra S. Bonaventuram, Richardum, & Nominales. S. Thomas 3 part. quæst. 11 art. 1 in corpor. id colligit ex verbis Isai. cap 11 vers. 2: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ* &c. Quæ verba congruentius, & ad mentem interpretum conformius intelliguntur de scientia infusa, de qua etiam locuti sunt Judæi Joan. 7 v. 15 dicentes: *Unde hic litteras scit, cum non didicerit?* Prob. conclus. Juxta commune Theologorum principium naturæ humanæ Christi nulla perfectio est deneganda, quæ non repugnat statui merendi, & fini incarnationis, & cujus Christus est capax; sed talis perfectio est scientia per se infusa: ergo. Confirm. Angeli præter cognitionem rerum in Verbo, quam ex S. Augustino matutinam appellamus, habent cognitionem earumdem rerum in se ipsis, quam Vespertinam dicimus, ortam ex scientia infusa; ergo hanc cognitionem Vespertinam a fortiori etiam habuit Christus.

508 Dixi: Scientiam infusam per se. Nam licet aliqui existiment, quod scientia illarum rerum, quarum cognitio naturaliter debetur homini, aut animæ separatæ, in Christo solum fuerit naturalis, adeoque infusa per accidens, communior tamen apud Lugonem docet, hanc quoque scientiam in Christo fuisse supernaturalem quoad substantiam, non minus, quam scientia rerum supernaturalium; tum quia etiam cognitio

gnitio supernaturalis potest versari circa naturalia, ut quando Christus cognovit secreta cordium; tum quia scientia Christi ad longe plura objecta se extendit, eaque longe perfectius, & distinctius repræsentavit, quam per cognitionem naturalem fieri potuisset. Præterea scientia infusa Christi non dependebat a phantasmate, & organis corporeis; unde omnes patroni nostræ sententiæ inferunt, quod Christus scientiam infusam habuerit a primo conceptionis instanti, cum nulla fuerit ratio illam ulterius differendi. Vide num. 356.

509 Dices 1. Quidquid Christus per scientiam infusam potuisset cognoscere, longe perfectius cognovit per scientiam beatificam: ergo scientia infusa in Christo fuit superflua. Conf. Vires animæ Christi sunt limitatæ; ergo si simul fuisset operata per scientiam visionis, & infusam, utraque fuisset imperfecta juxta illud: *Pluribus intentus* &c. Resp. Conc. ant. neg. conf. Humanitas Christi per visionem beatificam objecta a DEO distincta solum potuit cognoscere indirecte, & in alio; per scientiam vero infusam illa etiam potuit cognoscere in se, adeoque alio adhuc modo, qui licet seorsim spectatus sit imperfectior, quam modus cognoscendi per visionem beatificam, tamen complexum ex utraque est aliquid perfectius, ut dicimus de complexo ex gemina cognitione Angelorum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Etsi vires animæ Christi fuerint limitatæ, tamen stante scientia beata erant adhuc sufficientes ad perfectissime operandum per scientiam infusam, ut rursus de Angelis dici solet.

510 Dices 2. Juxta Apostolum 1 ad Corinth. 13 v. 10: *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,* seu, quod imperfectum est. Conf. Fides, & spes ideo non stant cum visione, & amore beatifico, quia fides, & spes sunt imperfectiores: ergo a pari. Resp. Dist. ant. Evacuabitur, quod imperfectum est imperfectione dedecente statum beati, conc. ant.

ant. imperfectione, quæ tantum dicit minorem perfectionem, quam visio beatifica, neg. ant. & conf. Ad conf. neg. ant. ob particulam causalem *quia*. Sed ratio, cur fides, & spes Theologica in Beatis non maneant, est, quia spes versatur circa res futuras nondum possessas, & fides circa veritates revelatas obscuras. Jam vera Beati DEUM jam actu præsentem possident, & DEUS illis nil amplius obscure loquitur; quod si tamen faceret, ut absolute facere potest, non apparet, quare tunc fides non posset stare cum visione beatifica.

511 Dices 3. Anima quamdiu est in corpore, dependet in operando ab organis corporeis, & nihil potest intelligere, nisi se convertat ad phantasmata, ut docet Aristotel. lib. 3 de anima: atqui scientia infusa ab organis corporeis, & phantasmate est independens: ergo. Confirm. Usus scientiæ infusæ dependet a simplici apprehensione, & speciebus intellectualibus: ergo etiam a phantasmate. Resp. Dist. maj. Anima puri viatoris dependet ab organis corporeis, & phantasmate, conc. maj. anima comprehensoris, subdist. si operatur naturaliter, & dependenter a sensibus, conc. maj. secus, neg. maj. Quamvis Christus in via necdum habuerit corpus gloriosum, eidem tamen ita dominabatur, ut per scientiam infusam independenter a phantasmate potuerit elicere cognitiones, sensationes autem, quas Christus eliciebat, ad hanc cognitionem se tantum habuerunt concomitanter. Ad conf. antecedens quoad 1 memb. negat Lugo, quia species infusæ erant valde claræ, & propriæ. Ad secundum, communis Philosophorum docet, ipsum habitum infusum in speciebus consistere.

512 Quæres. An scientia infusa in Christo fuerit discursiva, & semper tota in usu? Resp. ad 1 cum Suario, Vasqu. &c. negative. Nam proprius, & connaturalis modus per scientiam infusam cognoscendi est per simplicem intuitum; ita enim dicuntur Angeli

geli cognoscere. Unde quando Christus per scientiam infusam DEUM cognovit in effectibus, id factum est sine discursu, uno indivisibili actu directe tendente in effectus: indirecte vero in DEUM. Neque obstat, quod Christus in Evangelio interdum legatur discurrisse; nam ex hoc solum sequitur, quod per discursum externum ea hominibus explicaverit, quæ ipse sine discursu conceperat. Ad 2. Respondet P. Simonet affirmative, eo quod usus hujus scientiæ, utpote independens a phantasmate, nullam requisiverit dispositionem, nec a sensibus, somno, aut alia occupatione externa potuerit impediri. Econtra Perez existimat, Christum hac scientia pro libitu potuisse uti potius ad hoc, quam aliud objectum cognoscendum, ita, ut DEUS de hoc objecto species excitasset, si nulla causa secunda id potuisset.

QUÆSTIO III.

An Christus etiam habuerit scientiam acquisitam, & experimentalem?

513 Dicendum. Humanitas Christi etiam habuit scientiam acquisitam, & experimentalem. Ita contra Durandum, & Scotum communis cum S. Thoma 3 part. quæst. 12 art. 2 in corp. ubi contrariam sententiam, quam alibi tenuit, retractavit. Prob. 1. Luc. 2 v. 52 Christus dicitur: *Profecisse sapientia, ætate, & gratia apud DEUM & homines*: atqui non profecit in scientia beatifica, & infusa; has enim a primo conceptionis instanti jam perfectas habuit; ergo profecit in scientia experimentali, & acquisita, quæ sola proprie est sapientia, & ad causas altissimas, sub experientiam non cadentes, se extendit. Neque hic profectus tantum erat apparens quoad effectus, sed proprius, & quoad scientiam secundum se, tum quia tali modo pressius accipiuntur verba Scripturæ; nec quidquam obstat, quo minus ita explicentur; tum quia

quia in hoc ſenſu exponuntur a SS. Patribus Athanaſio, Epiphanio, Cyrillo, Fulgent. Beda apud Maldonatum in cap. 2 Lucæ verſ. 40, & in actis Concilii Epheſini apud Binium in appendice tertia ad tom. 4tum.

514 Prob. 2. Ex una parte utraque hæc ſcientia nec dignitate Chriſti, neque aliis ejus ſcientiis repugnat: ex altera parte hic modus cognoſcendi eſt connaturalis animæ adhuc corpori unitæ, & naturæ humanæ valde proprius: ergo ſicut Chriſtus juxta Concilia, & Patres aſſumpſit naturam humanam cum omnibus ſuis proprietatibus, ita ut humano modo creverit, ſenſerit, locutus, fatigatus, & natus fuerit; ſic etiam uſus eſt modo intelligendi humano per experientiam ſenſuum, & ſpecies a phantaſmatis abſtractas. Conf. Cognoſcere per ſpecies, virtute intellectus a phantasmatis abſtractas, univerſalia, eſſentias, & ſubſtantias rerum eſt proprium homini, præſertim adhuc mortali: ergo etiam hanc proprietatem habuit Chriſtus, cujus humanitati nil defuit, quod DEUS in noſtra natura plantavit: ex quo ſequitur, inquit S. Thomas loc. cit. *Quod in anima Chriſti aliquis habitus ſcientiæ fuerit, qui per hujusmodi abſtractionem ſpecierum potuerit augumentari.*

515 Colliges, quod ſcientia acquiſita, & experimentalis ſaltem integra non ſtatim ab initio vitæ Chriſto fuerit infuſa per accidens, ſed ſucceſſive ab illo per actus proprios comparata. Nam quando res ſingulares Chriſtus vidit, audivit &c. naturaliter illas etiam cognovit per intellectum: ergo ſicut ſenſationes ſucceſſive ſpecies ſui in ſenſu interno, ſeu phantaſia, reliquerunt, ſic ſucceſſive intellectiones ſuas ſpecies reliquerunt in intellectu, ex quibus dein orta eſt memoria intellectiva, quæ eſt ipſa ſcientia experimentalis. Simili modo Chriſtus reflexe potuit cognoſcere ſenſationes, & phantaſmata, quæ ſucceſſive habuit, & eorum objecta, adeoque ſucceſſive ab illis ſibi comparare ſpecies abſtractivas, quæ ſcientiam acquiſitam con-

conſtituunt. Neque enim ulla eſt ratio confugiendi ad miraculum, quo hæc ſcientia divinitus infuſa fuerit; hinc quando Apoſtol. ad Hebr. 5 verſ. 8 de Chriſto ait: *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*, ſenſus juxta Lyranum eſt: Experimentaliter didicit, novoque, & exactiore modo expertus eſt laborem, & arduitatem obedientiæ.

Objectiones.

516 Obj. 1. Chriſtus juxta citat. textum S. Lucæ non aliter profecit ſapientia, quam gratia; atqui gratia tantum profecit apparenter: ergo. Conf. Patres, qui nobis favere videntur, poſſunt exponi de ſcientia tantum experimentali; alii vero nobis refragantur, nominatim S. Damaſcen. lib. 3 orthod. Fidei cap. 22 dicens: *Qui autem eum progreſſus in ſapientia, & gratia perinde feciſſe ajunt, ac ſi eorum incrementa acciperet, non a primo illo carnis ortu factam eſſe unionem aſſerunt, nec perſonalem unionem tuentur.* Reſp. neg. maj. intellectam de ſcientia experimentali, & acquiſita. Nam in Scripturis verba non ſemper ſumuntur in eodem ſenſu, etiam quando immediate conjunguntur. Sic Joan. 20 v. 17 Chriſtus dicit: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Et ipſe S. Lucas in eodem textu ait: *Chriſtum profeciſſe ætate*, non utique tantum apparenter, ſed phyſice. Ad conf. Patres, qui nobis favent, ſine dubio ſunt plures, & gratis fingitur, quod tantum loquantur de ſcientia experimentali. S. Damaſcenus a Doctore Angelico citat. q. 17 art. 2 ad 3 explicatur de iis, qui dicunt, Chriſtum etiam profeciſſe in ſcientia beatifica & per ſe infuſa, quæ in unione cum Verbo fundantur.

517 Cæterum textus S. Lucæ variis modis explicatur. Gormaz de Incarnat. num. 960 vult, per gratiam in illo intelligi pulchritudinem corporis juxta illud Proverb. 31 v. 30: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo;* in pulchritudine corporis autem potuit Chriſtus

ſtus reipſa proficere. Alii per gratiam ibi intelligunt benevolentiam apud DEUM, & homines, quam Chriſtus operibus ſuis adeptus eſt; quæ etiam potuit aliquo modo accidentaliter creſcere. Alii denique contendunt, ſermonem eſſe de gratia ſupernaturali habituali, & in hac Chriſtus ſolum crevit apparenter, quatenus eam ſucceſſive hominibus magis oſtendit, & coram DEO ejusdem ſemper dedit majora ſpecimina; proprie autem in gratia habituali non crevit, cum ſtatim initio vitæ fuerit beatus, gratia vero habuitualis ſit menſura viſionis beatificæ & principium ſaltem mediatum operationum ſupernaturalium. At ſcientia acquiſita, & experimentalis non fuerunt Chriſto initio vitæ connaturales, nec ad operandum neceſſariæ.

518 Obj. 2. Chriſtus ſtatim ab initio vitæ potuit uti ratione, & quoad omnes proprietates naturæ humanæ fuit perfectiſſimus; ergo ſtatim omnibus ſcientiis fuit inſtructus. Conf. Chriſto ſtatim ab initio fuerunt infuſi habitus naturales virtutum moralium; ergo etiam virtutes intellectuales, præſertim quia habitus prudentiæ, quæ cæterarum virtutum eſt regula, ſupponit notitiam principiorum ſpeculativorum. Reſp. Conc. ant. quoad 1 membr. diſt. quoad 2dum. Chriſtus quoad proprietates humanas ſtatim fuit perfectiſſimus eo modo, quo ipſi connaturaliter debebantur pro illo ſtatu, conc. ant. quo debebantur naturæ pro ſtatu virili, neg. ant. & conſ. Chriſtus ſtatim initio vitæ potuit uti ratione per ſcientiam beatificam, & infuſam per ſe; ſcientia autem acquiſita, & experimentalis tunc Chriſto infanti ſecundum ordinem naturalis providentiæ nondum conveniebat. Ad conf. tranſ. ant. quod negant illi, qui dicunt, ejusmodi habitus identificari cum ſpeciebus experimentalibus, aut Chriſtum nunquam elicuiſſe actus virtutum naturales. Neg. conſ. Si enim verum eſt antecedens tunc ideo, quia iſti habitus Chriſto erant neceſſarii ad prompte, & faciliter operandum; econ-

tra ad cognoſcendum ſufficere poterant ſcientia beata, & infuſa cum prudentia ſupernaturali.

519 Dices. Chriſtus ſtatim initio habuit, quidquid beati habebunt poſt reſurrectionem excepta impaſſibilitate; ſed beati præter viſionem beatificam, & ſcientias ſupernaturales habebunt naturalem, ſaltem per accidens infuſam, ſi illam in vita non acquiſiverunt; aut ſi illam jam habuerunt, eadem utentur independenter a phantaſia, ſicut anima in ſtatu ſeparationis: ergo. Conf. Ipſe Adamus, & Salomon habuerunt ſcientiam naturalem per accidens infuſam: ergo. Reſp. Neg. maj. ita univerſaliter ſumptam. Si beati in vita ſcientias naturales non acquiſiverunt, illas non amplius poſſent acquirere, niſi DEUS easdem infunderet; quod autem non amplius dependeant a phantasmate, provenit ex ipſo dono impaſſibilitatis; ſicut igitur Chriſtus non ſtatim voluit aſſumere corpus glorioſum, ſic ſcientiam naturalem non voluit habere ante tempus, quo illam per proprios actus ſibi poſſet comparare, ut ſe magis accommodaret humano agendi modo. Ad conf. Adam fuit creatus in ſtatu virili, & ſtatim debuit præeſſe toti mundo; Salomon quoque mox debuit gubernare Regnum, & quidem cum ſpeciali laude ſapientiæ: neuter autem habuit aliam ſcientiam, qua id præſtaret. At Chriſtus jam habuit alias ſcientias, & ante uſum neceſſarium potuit ſcientiam naturalem ſibi acquirere.

520 Obj. 3. Si Chriſtus ſcientiam naturalem accepiſſet, ſucceſſive in ſapientia profeciſſet; atqui hoc eſt imperfectum, ſicut imperfectio eſſet proficere in ſcientia beata, & infuſa. Conf. Chriſtus per ſcientiam acquiſitam nihil potuit cognoſcere, quod non jam cognovit per alias ſcientias: ergo. Reſp. Conc. maj. diſt. min. Proficere in ſcientia, ita, ut proficiens non habeat pro omni tempore ſcientiam ſibi competentem, conc. min. proficere quomodocunque, ſubdiſt. eſt imperfectum negative, conc. min. poſitive, neg. min.

&

& conf. Christus scientiam beatam, & infusam non acquisivit humano modo, sed supernaturaliter a DEO tanquam effectum agentis infinitæ virtutis, & ideo simul accepit totam. Econtra scientiam naturalem sibi comparavit humano modo, eamque semper possedit in ea perfectione, quæ suæ ætati erat proportionata. Hinc, ut S. Thomas q. 12 citat. ad 2 ait, etiam hæc scientia in Christo semper fuit perfecta secundum tempus, licet non fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam; ex quo tantum infertur imperfectio quædam negativa, quæ certe in Christo locum habuit, alias non potuisset esse homo, crescere quoad corpus &c. Ad confirm. dist. ant. Per scientiam acquisitam nihil aliud potuit cognoscere, attamen alio modo, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. Vide num. 509.

521 Dices. Christus ætatem non protraxit ultra annos viriles, nec adeo magnam habuit rerum experientiam: ergo illius scientia acquisita fuisset minor, quam e.g. scientia Adami, & Salomonis, qui habuere infusam, & longe plura experti sunt. Conf. Saltem Christo debuerunt infundi species illorum objectorum, quæ nunquam ipsi sub sensus cadebant, alias respective paucarum rerum scientiam naturalem habuisset. Resp. Conc. ant. neg. conf. Equidem quod spectat ad scientiam experimentalem rerum singularium, omnes fateri debent, illam in Christo fuisse extensive minorem, quam in aliis quibusdam hominibus; hoc tamen non obstante potuit sibi comparare longe majorem scientiam acquisitam, quam alii, quia ad considerandas res, quæ sub sensus cadebant, longe melius applicabat animum, & præditus erat ingenio multo perspicaciore, vi cujus ex effectibus, experimentaliter sibi notis, non solum in causas illorum, sed etiam aliorum effectuum facilius potuit penetrare, & ex uno phantasmate species multarum aliarum rerum abstrahere. Sic inter homines quidam pauca sensibus percipiunt, & tamen assidua re-

rum consideratione longe perfectiores scientias acquirunt, quam alii, qui sensibus per omnia vagantur. Ad confirm. Antecedens concedit Lugo, sed ob primum dicta merito negant alii. Accedit, quod Christus rerum omnium species sibi etiam comparare potuerit ex scientia beatifica, & infusa.

522 Obj. 4. Juxta nos Christus initio suæ vitæ multa ignorasset, quæ primum debuisset discere ab hominibus, & aliis creaturis: hoc absurdum; cum Christus sit omnium Magister. Confirm. Christus saltem per scientiam humanam non statim initio omnia scivit: ergo saltem habuit ignorantiam humanam. Resp. Neg. ant. Cum Christus per scientiam beatam, & infusam clarissime cognoverit omnia, quæ ad ejus dignitatem, & officium Redemptoris pertinebant, proprie nullius rei habuit ignorantiam, nec aliquid primum discere debuit; discere enim, rigorose loquendo, est acquirere scientiam, vel notitiam de re, quam quis prius omnimode ignoravit; quod si tamen in sensu latiore dicere velis, Christum aliqua didicisse, loqueris cum Apostolo ad Hebr. 5 v. 8: *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Ad conf. Conc. ant. neg. cons. in sensu proprio acceptam, quia nihilominus Christus pro singulis ætatis suæ temporibus etiam humano modo scivit omnia ea, quæ naturaliter pro illo tempore scire poterat, & debebat; ignorantia autem proprie talis, prout a mera nescientia distinguitur, est carentia notitiæ eorum, quæ quis scire posset, ac deberet.

523 Dices. Species a phantasmatis abstractæ sæpe tantum sunt obscuræ, probabiles, aut omnino erroneæ; sed assensus obscurus, probabilis, aut omnino erroneus positive Christum dedecet: ergo. Confirm. Scientia naturalis Christi esset discursiva; sed etiam hoc videtur dedecens: ergo. Resp. Dist. maj. in aliis hominibus, conc. maj. in Christo, neg. maj. Quia Christus jam fuit illustratus scientia beata, & infusa, a phantasmatis nunquam abstraxit species erroneas.

roneas. Quod si quasdam obscuras, & tantum probabiles abstraxisset, dependenter ab illis non elicuisset assensum absolutum, sed tantum modalem, affirmando e. g. hoc, vel illud propter talem apparentiam hominibus esse probabile, quod judicium cum non sit de veritate, sed tantum de probabilitate opinionis, evidens est. Ad conf. majorem videtur admittere S. Thomas cit. num. 20. At Lugo ait, nullam apparere rationem, quod Christus faceret discursum circa objecta, quæ per alias scientias perfecte intuebatur; hinc Christum quidem ratiocinatum esse in hoc sensu, quod affirmarit, unum esse propter alterum, non vero unum affirmasse propter alterum.

QUÆSTIO IV.

Quænam objecta Christus cognoverit?

524 Quod scientia creata Christi fuerit perfectissima, & nulli errori, aut ignorantiæ positivæ obnoxia, de facto tenent omnes Catholici contra Agnoitas, Calvin. Luther. Zwingl. &c. Patet tum ex S. Scriptura, in qua de Christo homine Joan. 1 vers. 15 dicitur, quod *fuerit plenus gratia, & veritate.* Ad Coloss. 2 v. 3, quod *in ipso sint absconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ.* Hinc S. Petrus Joan. 21 vers. 17 ad Christum dixit: *Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* In eandem veritatem conspirant Patres tam Græci, quam Latini, qui omnem ignorantiam, & positivam Imperfectionem a Christi humanitate longe removent. Si itaque quidam ex antiquis videntur aliter sensisse, vel solum voluerunt, quod ignorantia in Christo non fuerit exclusa ex ipsa carnis nostræ conditione, vel contra Arianos usi sunt figura concessionis, videlicet, dato etiam, quod Christus aliqua ignorasset, ea tamen non ignorasse ut DEUM, sed tantum ut hominem.

525 Declarandum jam ulterius, quæ fuerint objecta istarum scientiarum, præsertim scientiæ beatæ, & infu-

infusæ. Quamquam enim dubium non sit, quod per scientiam experimentalem cognoverit omnia ea, quæ per sensus externos expertus est, ac postea per varias intellectus operationes omnium illarum rerum species sibi comparaverit, quarum notitia ad suum statum pertinebat, & inde haberi poterat, nemo tamen facile determinaverit, ad quot, & quales res ista scientia se extenderit. Id facile quilibet admittet, scientiam acquisitam, infusam, & beatificam in Christo fuisse longe perfectiorem, quam in aliis hominibus; ita namque exigebat summa ejus dignitas, secundum quam fuit constitutus omnium reliquorum caput, de cujus plenitudine omnes accepimus. Interim nulla scientia creata, nequidem visio beatifica Christi, fuit infinita, aut comprehensiva DEI, eo quod intellectus creatus, & finitus nunquam sua cognitione possit adæquare cognoscibilitatem Divinam infinitam.

526 Nihilominus per scientiam visionis beatificæ Christus clarissime cognovit 1. Essentiam Divinam in se, & quidditative quoad omnia prædicata primaria, quæ formaliter exprimunt specialem DEI perfectionem, uti Aseitas, omniscientia, omnipotentia &c. nam hoc secum fert omnis visio beatifica. 2. Omnes res præteritas, præsentes, & futuras, saltem quæ non dicunt infinitatem successionis. Ratio est, quia per visionem beatificam hæc omnia in Verbo potuerunt cognosci, & ut actu cognoscerentur, ad statum Christi pertinebat, eo quod omnia ad ipsius gloriam sint producta: ipse vero constitutus omnium Judex, Legislator, Doctor &c. 3. Plurima possibilia; talia enim sæpius prædixit, ut Matth. 26, possibile esse, ut pater mittat duodecim legiones Angelorum. Ex quibus colligitur, quod Christus per scientiam beatam etiam cognoverit conditionate futura; non enim est ratio, cur ipsi scientia etiam istorum objectorum denegetur.

Hæc

527 Hæc ipsa objecta Humanitas Christi cognovit per scientiam infusam, hoc tamen discrimine, quod Essentiam Divinam, & Mysterium Trinitatis solum cognoverit per species alienas, puta, in revelatione aut lumine gloriæ: res autem creatas tam supernaturales, quam naturales intuitive, & immediate in se ipsis. Ratio primæ partis est, quia repræsentare DEUM unum & trinum intuitive, est proprium soli visioni beatificæ. Ratio secundæ partis, quia hæc omnia per scientiam infusam fuere cognoscibilia; supposita autem hac possibilitate convenientius est, quod Christus actu illa per species proprias cognoverit. Dixi tamen supra, Humanitatem Christi cognovisse omnia creata, quæ non dicunt infinitatem; quamquam enim non desint, qui existimant, illam cognovisse omnia possibilia, & omnes res futuras e. g. cognitiones beatorum syncategorematice infinitas, non solum sub ratione quadam communi, sed clare, & distincte, id tamen probabilius negatur.

528 Nam cognitio clare, & distincte repræsentans infinita objecta in repræsentando æquivaleret infinitis cognitionibus realiter distinctis, quorum singulæ clare, & distincte repræsentarent unum objectum; ergo in repræsentando, & extensive esset infinita, & in hac ratione adæquaret ipsam cognitionem Divinam, ferme sicut aliqua duratio indivisibilis, per quam ens creatum durasset ab æterno, vel in æternum duraret, esset extensive infinita, eo quod æquivaleret infinitis durationibus successivis, æquivalentibus uni certæ. Neque obstat, quod Scriptura dicat, in Christo esse omnes thesauros sapientiæ DEI absconditos, & quod res infinitæ videantur spectare ad statum Christi; hæc enim intelligi debent de illis scientiæ thesauris, qui secundum potentiam & mensuram a DEO ordinatam possunt intellectui creato a DEO communicari. Quippe Christus spectantia ad suum statum non potest aliter cognoscere, nisi

nisi in quantum potentia finita animæ ipsius est capax.

529 Dices adhuc 1. Christus ipse Marc. 13 v. 32 fatetur, se ignorare diem ultimum judicii: *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater:* ergo humanitas Christi non fuit immunis ab omni ignorantia positiva. Conf. Ad Hebr. 4 v. 15 Christus dicitur: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato:* ergo tentatus fuit ignorantia. Resp. Dist. ant. Fatetur, se ignorare ultimum diem judicii simpliciter, & respectu suæ humanitatis, neg. ant. respectu nostri, in quantum hanc diem nobis nec voluit, nec debuit revelare, conc. ant. & neg. conf. Ad hanc Agnoitarum, & modernorum hæreticorum blasphemiam jam respondimus num. 124, eamque dudum refutavit S. Basilius epist. 141, S. Chrysost. Homil. 78 in Matth. aliique Patres. Ad conf. dist. ant. Dicitur tentatus per omnia absque peccato, & iis animæ defectibus, quæ ex peccato sunt, ut ignorantia, & concupiscentia, conc. ant. aliter, neg. ant. & conf. Aliæ infirmitates in Christo erant utiles ad redemptionem generis humani, ignorantia vero potius obfuisset.

530 Dices 2. Christus de nonnullis rebus fuit anceps, & dubius: ergo illas non scivit; sic Joan. 11 anxius inquirit de loco, ubi sepultus fuisset Lazarus, & cap. 21 v. 15 quasi dubitans ter interrogavit Petrum: *Simon Joannis amas me.* Conf. Luc. 2 v. 46 Christus legitur fuisse *In medio Doctorum audiens illos & interrogans:* ergo. Resp. Neg. ant. Christus, dum de sepulcro Lazari, & amore Petri interrogavit, id non fecit ex defectu scientiæ, sed se accommodavit modo humano, ut rei præstantiam magis significaret; sic ipse DEUS Genes. 3 v. 9 interrogans dixit: *Adam ubi es?* non quod ignoraret, sed ut increparet; non enim dubitantis erat illa vox, sed increpantis. Ad conf. eadem est responsio. Quippe Christus Doctores non interrogavit, ut ab ipsis disceret,

ret, ſed ut illos examinaret, & doceret; ſic etiam Joan. 6 v. 5 interrogavit diſcipulos: *Unde ememus panes?* Et Marci 6 v. 38: *Quot panes habetis?*

531 Dices 3. Luc. 22 v. 43 narratur, quod Chriſto apparuerit *Angelus confortans eum;* atqui ſi Chriſtus omnia noviſſet, non habuiſſet opus Angelo confortante, qui nova ipſi conſolationis, & patientiæ motiva ſuggereret. Conf. In Chriſto data fuit admiratio; ſic Matth. 8 v. 10 dicitur: *Admiratus fidem centurionis;* atqui admiratio ſupponit ignorantiam: quæ enim nobis non amplius ſunt inſolita, & nova, non ſolemus mirari. Reſp. Conc. maj. neg. min. & ſuppoſitum, quod Angelus Chriſto debuerit nova patientiæ, & conſolationis motiva ſuggerere, ſed τo confortans juxta Epiphan. hæreſ. 69 num. 60 idem ſonat, ac *laudans fortitudinem ejus*, quia ſe morti lubens obtulerat, dicendo: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Alii dicunt, ſolatium Chriſto ab Angelo fuiſſe adhibitum per hoc, quod illi gratias egerit, & compaſſionem oſtenderit: vel quod ipſi etiam propoſuerit motiva jam alias cognita, ut Chriſtus ſe in hoc quoque humano agendi modo accommodaret. Ad conf. Fidem centurionis Chriſtus fuit admiratus, ut illam laudaret, aut quia eandem de novo cognovit per ſcientiam experimentalem.

DISPUTATIO II.

De Sanctitate Chriſti.

532 Per ſanctitatem internam intelligitur forma denominans creaturam rationalem gratam DEO, eique tribuens jus formale, & actuale ad beatitudinem æternam, & habitus ſupernaturales, quibus bene, ac ſupernaturaliter in omni materia operari poſſit. Duplex ejuſmodi forma in Chriſto conſideranda eſt, una increata, conſiſtens in eſſentiali ſanctitate Verbi: altera creata, conſiſtens in dono quodam ſupernaturali,

rali, quod gratiam ſanctificantem vocare ſolemus. Per utramque humanitatem Chriſti aliquo modo ſanctificari, conveniunt omnes Catholici; complures tamen Scotiſtæ cum Maſtrio exiſtimant, per ſanctitatem increatam Verbi humanitatem ſolum ſanctificari radicaliter, cauſaliter, & in actu primo, in quantum eſt radix, & cauſa phyſica, vel moralis, exigens ſanctitatem creatam; quamquam abſolute loquendo DEUS illam humanitati Chriſti negare potuiſſet, eamque relinquere in puris naturalibus, quo caſu ad beatitudinem tantum haberet jus quoddam radicale, & remotum, quamvis ſecundum perſonalitatem Verbi neceſſario a DEO amaretur.

533 Graviter circa hanc materiam errarunt Felix Toletanus, & Elipandus Urgelitanus, docentes, Chriſtum eſſe Filium adoptivum DEI; quo autem ſenſu hoc intellexerint, non ſatis conſtat. Triplici enim modo hic error defendi poteſt. 1. Si cum Arianis dicatur, Chriſtum ideo tantum eſſe Filium adoptivum, quia Verbum non eſt æquale Patri. 2. Si cum Neſtorio admittantur in Chriſto duæ perſonæ diſtinctæ, una Divina, & altera humana. 3. Si aſſeratur, unam eandemque in Chriſto perſonam eſſe Filium DEI adoptivum ratione humanitatis. In quem ſcopulum etiam impegiſſe videtur Durandus, qui in 3 diſp. 4 q. 1 docuit, Chriſtum quidem ſimpliciter, & ſine addito non poſſe Filium DEI adoptivum, poſſe tamen, ſi addatur ſecundum humanitatem, ſeu ut homo; a quo Gabriel Almaynus, & Major recedunt in hoc, quod filiationem adoptivam negent Chriſti perſonæ, eamque tribuant ſoli humanitati, quæ proin juxta ipſos dici poteſt adoptiva.

QUÆ-

QUÆSTIO L.

An, & quomodo Christus fuerit sanctus sanctitate increata?

534 Dicendum. Humanitas Christi formaliter fuit sanctificata per sanctitatem increatam Verbi. Ita cum Thomistis nostri communissime. Prob. 1. Christus in S. Scriptura sæpe dicitur unctus: *Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, Psalm. 44 v. 88. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*, Isai. 61 v. 1. *Unxit eum Dominus Spiritu Sancto, & virtute*, Actor. 10 v. 38. Atqui isti textus juxta mentem sanctorum Patrum indicant, quod humanitas Christi immediate, & formaliter sit sanctificata per sanctitatem increatam Verbi. Sic S. Damascenus lib. 3 orthod. fid. cap. 3 ait: *Ipse enim se ipsum unxit, ungens quidem ut DEUS sua Deitate, unctus autem ut homo.* Et lib. 4 cap. 15: *Divinitas, quæ unguentum appellatur, humanitatem ungit immediate, ideoque immediate sanctificat.* S. Gregor. Naz. lib. 4 de Theologia: *Christus vere appellatur propter Divinitatem: ea enim humanitatis unctio est non operatione, ut in aliis justis, & sanctis, qui Christi appellantur, sed totius unctionis præsentia.* Similia habent alii Patres SS. Cyrill. Augustin. Fulgent. &c. apud Lugonem, & Suarium, qui passim dicunt, humanitatem Verbi esse Divinitate unctam delibutam &c. id est, sanctificatam.

535 Prob. 2. Per illud formaliter & immediate humanitas Christi fuit sanctificata, per quod fuit reddita immunis ab omni peccato, saltem gravi, amabilis amore amicitiæ, & habens jus ad beatitudinem supernaturalem, atque media ad illam consequendam necessaria: atqui humanitas Christi talis fuit reddita per sanctitatem increatam Verbi; si enim gratia sanctificans creata, quæ est mera participatio, & velut umbra sanctitatis increatæ, naturæ rationali, cui unitur,

unitur, poteſt tribuere has denominationes, & effectus formales, a fortiori easdem tribuere poterit ſanctitas increata tanquam infinities melior, purior & amabilior. Confirm. Forma phyſica unita ſubjecto capaci illi immediate, & formaliter tribuit effectum formalem, cujus ſubjectum eſt capax: ſed ſanctitas increata Verbi phyſice eſt unita humanitati, & humanitas eſt capax hujus effectus formalis, ſeu denominationis ſancta: ergo.

Objectiones.

536 Obj. 1. Concilium Trident. ſeſſ. 6 cap. 7 & 11 docet: *Unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam DEI, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit:* ergo ſicut reliqui homines tantum ſanctificantur gratia juſtificante, ita etiam Chriſtus, qui ad Rom. 8 v. 29 vocatur *Omnium juſtificatorum caput, & primogenitus in multis fratribus.* Conf. Effectus formalis unius formæ non poteſt tribui ab alia forma: ergo cum effectus formalis gratiæ ſanctificantis ſit ſanctificare, hic effectus non poteſt tribui a ſanctitate increata Verbi. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Concil. Tridentinum locis objectis expreſſe agit de ſanctificatione impii, & juſtitia formali puræ creaturæ, quæ ideo tantum ſanctificatur per gratiam accidentalem, quia ſanctitatem increatam non habet ſibi ſubſtantialiter unitam. Porro eo ipſo, quod Chriſtus ſit caput omnium Sanctorum, & primogenitus, decet illum habere ſanctitatem excellentiorem. Ad conf. diſt. ant. Effectus individualis, aut ſpecificus unius formæ non poteſt tribui ab alia, conc. ant. effectus quaſi genericus, qualis reſpectu ſanctitatis creatæ, & increatæ eſt ſimpliciter eſſe ſanctum, neg. ant. & conſ.

537 Obj. 2. Effectus primarius unionis hypoſtaticæ eſt reddere humanitatem excellentem, & ſubſiſtentem ſubſiſtentia Verbi: ergo, quando Patres dicunt, huma-

humanitatem Christi esse Divinitate unctam, delibutam &c. solum volunt, quod sit uncta, & delibuta in ordine ad cultum latriæ. Conf. Etsi sanctitas increata uniretur naturæ irrationali e. g. leoni, illam non faceret sanctam, & DEO amabilem amore amicitiæ, sed solum subsistentem, & excellentem: ergo a pari. Resp. Transf. ant. neg. conf. Patres a nobis citati clare asserunt, quod humanitas Christi ungatur per Divinitatem ita, sicut alii unguntur operatione, seu gratia sanctificante; item quod a Divinitate sanctificetur immediate. Certe Divinitas Verbi non est magis potens reddere humanitatem sanctam, quam excellentem: si autem eadem forma potest tribuere subjecto capaci plures effectus, necessario tribuit omnes; hinc nostra parum interest, sive hic, sive ille sit primarius. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Creatura irrationalis non est capax denominationis sancta, ut ipsi adversarii dicere debent in casu, quo illi physice uniretur gratia sanctificans.

538 Dices. Quando Patres dicebant, humanitatem Christi esse unctam Deitate, egerunt contra Apollinaristas, qui negabant, animam rationalem esse a Verbo assumptam, quia alioquin Verbum (ut Apollinaris delirabat) peccare potuisset: ergo plus non sequitur, quam quod humanitas a Deitate sit sanctificata radicaliter; nam sic ab humanitate Christi jam excluditur omne periculum peccandi. Conf. Patres nunquam addunt, quod sanctitas increata humanitem sanctificet formaliter: ergo eodem modo possunt intelligi, quo alii justi in Scriptura dicuntur ungi Spiritu Sancto. Resp. Transf. ant. neg. conf. Error Apollinaris æque, imo efficacius excluditur in nostra sententia, & ex ipso modo loquendi Patrum colligitur, quod plus voluerint indicare, quam tantum sanctificationem radicalem. Sane de sanctificatione non alio modo loquuntur, quam de unctione: hæc autem formaliter fit per Deitatem Verbi & in pluribus Scripturæ locis unctio sanctitatem significat.

cat. Ad conf. iterum neg. conf. Transmiſſo, quod Patres explicite, & in terminis non dicant, humanitatem a ſanctitate Verbi ſanctificari formaliter, tamen multo minus dicunt, illam tantum ſanctificari radicaliter. De reliquis Juſtis conſtat ex dictis, & Concilio Tridentino, quod Spiritu Sancto tantum ungantur mediante gratia.

539 Obj. 3. Sanctitas increata Verbi non eſt forma humanitati intrinſeca: ergo non poteſt illi formaliter tribuere denominationem ſanctæ. Conf. Deitas Verbi non poteſt humanitatem formaliter denominare intelligentem, volentem, beatam, ſapientem, miſericordem, juſtam, æternam, immenſam, omnipotentem &c. ergo neque ſanctam. Reſp. Diſt. ant. Sanctitas increata non eſt forma phyſica humanitati intrinſeca, conc. ant. non eſt forma, vel quaſi forma humanitati phyſice unita per modum termini intrinſeci, neg. ant. Alias humanitatem nequidem poſſet reddere ſubſiſtentem. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Ut aliæ perfectiones Divinæ tribuant ſuos effectus formales, debent eſſe identificatæ cum ſuo quaſi ſubjecto. Nam 1 intellectio, volitio, & beatitudo conſiſtunt in actibus vitalibus, qui eſſentialiter debent procedere ab ipſo ſubjecto, quod denominant. 2. Sapientia, juſtitia, miſericordia, licet concipiantur per modum potentiæ metaphyſicæ, dicunt tamen eſſentialem ordinem ad actus vitales proprios ſubjecto, cui inſunt. 3. Æternitas denominat objectum ſuum exiſtere ſemper: Immenſitas ubique: omnipotentia omnia poſſe, quarum denominationum humanitas eſt incapax, alias ſe ipſam deberet poſſe primo producere.

540 Dices. Si ſanctitas Verbi humanitatem formaliter denominaret ſanctam, deberet illam reddere potentem amare DEUM; quippe eſſe formaliter ſanctum eſt eſſe dignum amicitia DEI, & viciſſim poſſe DEUM amare amore amicitiæ; atqui ſanctitas Verbi humanitatem tam parum poteſt reddere potentem ama-

amare DEUM, quam volentem, aut intelligentem: ergo. Conf. Deitas per unionem non magis poteſt communicare ſuas perfectiones humanitati, quam humanitas Deitati ſuas imperfectiones; ſed has Deitati communicare nequit: ergo. Reſp. Diſt. maj. Deberet illam reddere potentem amare formaliter, & proxime, neg. maj. radicaliter, & remote, tranſ. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. ſanctitas formalis non conſiſtit in potentia formali, & proxima amandi DEUM, ſed tantum in remota, & radicali, quæ eſt jus ad potentiam formalem, & proximam, ut fateri debent omnes illi Auctores, qui defendunt, gratiam ſanctificantem realiter diſtingui ab habitu charitatis; per hunc enim voluntas proxime completur in ratione principii immediati amoris ſupernaturalis. Ad conf. neg. maj. Quia Divinitas non eſt capax illarum imperfectionum, ut jam dictum de poſſibilitate Incarnationis.

541 Obj. 4. Vel humanitas Chriſti redderetur formaliter ſancta per ipſam perſonalitatem Verbi, vel per ſanctitatem DEI abſolutam? non primum, quia Verbum non habet propriam ſanctitatem relativam: non ſecundum, quia ſanctitas DEI abſoluta humanitati tantum unitur mediate. Sic, licet humanitas eſſet unita naturæ Angelicæ, & illa mediante gratiæ ſanctificanti, ideo humanitas non denominaretur ſancta. Conf. Bonitas abſoluta eſt omnibus tribus perſonis communis; ergo juxta nos humanitas ab omnibus tribus formaliter ſanctificaretur; quæ enim conveniunt naturæ, omnibus tribus perſonis conveniunt. Reſp. Conc. maj. neg. min. Tam ſanctitas DEI abſoluta, quam perſonalitas Verbi humanitatem ſanctificat, illa ut quod, hæc ſaltem ut quo, quia eſt id, quo mediante ſanctitas abſoluta humanitatem ſanctificat. Cum caſu addito non eſt paritas; nam Verbum cum ſanctitate naturæ Divinæ realiter identificatur, non item angelus cum gratia ſanctificante. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Reliquæ perſonæ Divinæ

vinæ realiter ſunt diſtinctæ a Verbo, quod ſolum immediate humanitati unitur, neque illa omnibus perſonis tribui poſſent, quæ naturæ Divinæ conveniunt non ratione ſui, ſed quatenus cum aliqua determinata identificatur. Vide dicta num. 214.

542 Dices. Diſtinctio virtualis æquivalet diſtinctioni reali: ergo quia ſanctitas abſoluta eſt virtualiter diſtincta a perſonalitate, tam parum poteſt denominare ſanctam, quam Pater, aut Spiritus S. vel pari jure dici poſſet, quod humanitas etiam denominetur agens ab actione Divinitatis, aut Verbi ad extra. Conf. Etſi poneretur, quod voluntas ſit diſtincta ab anima, tamen gratia ſanctificans unita voluntati animam ſanctificaret: ergo identitas, vel diſtinctio realis in ordine ad hunc effectum nil confert. Reſp. Diſt. ant. Diſtinctio virtualis æquivalet reali in aliquibus, conc. ant. in omnibus, neg. ant. & conſ. Quod in noſtro caſu non æquivaleat, habemus ex auctoritate ſacra, & ratio eſſe poteſt, quia Verbum nequit aliter humanitatem ſanctificare, niſi ut identificatum cum ſanctitate abſoluta, quam identitatem omnis diſtinctio virtualis in ſuo conceptu imbibit. Porro actiones Divinitatis & Verbi ad extra nullatenus cum Divinitate aut Verbo uniuntur, multo minus identificantur. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Ex antecedente ad ſummum ſequitur, quod unio mediata tunc ſufficiat ad formaliter ſanctificandum, quando illud, quod eſt immediate ſanctificatum, in altero mediate ſanctificando recipitur tanquam in ſubjecto, ut juxta hanc ſententiam voluntas in anima.

QUÆSTIO II.

An humanitas Chriſti per ſanctitatem increatam Verbi ſanctificetur infinite?

543 Dicendum. Humanitas Chriſti a ſanctitate Verbi non fuit ſanctificata ſimpliciter infinite. Ita Suarez, Lugo,

Lugo, & Maurus &c. longe communius contra Salmanticenſes, Hurtadum, Viva &c. Prob. Si humanitas Chriſti eſſet infinite ſancta, deberet non minus eſſe ſancta, quam DEUS; quia unum infinitum non poteſt eſſe minus altero; atqui humanitas Chriſti eſt infinite minus ſancta, quam DEUS; nam DEUS eſt ſanctus eſſentialiter, & per ſanctitatem ſibi identificatam: humanitas tantum contingenter, & per ſanctitatem ſibi unitam. Conf. Per eſſe ſanctum non tantum verbo tenus, ſed reipſa, & ſimpliciter infinitum, intelligitur non tantum infinitas formæ, ſed etiam infinitas participandi illam formam; atqui modus, quo humanitas participat ſanctitatem increatam, eſt tantum finitus; ſit enim mediante unione hypoſtatica, quæ tantum eſt ens finitum, & creatum.

544 Dixi: Simpliciter infinite; quia non nego, quod humanitas Chriſti per ſanctitatem Verbi ſanctificetur quodammodo infinite in genere ſanctitatis participatæ, in quantum videlicet ſanctitas Verbi infinita per unionem hypoſtaticam humanitati communicatur modo tam perfecto, ut nulli creaturæ perfectius poſſit communicari. Nam 1 licet unio hypoſtatica Verbi e. g. cum Angelo entitative foret perfectior; hæc tamen perfectio ſe tantum haberet materialiter, quia ideo ſanctitas increata non magis communicaretur, aut intimius conjungeretur Angelo, quam de facto communicatur, & conjungitur humanitati; adeoque unio hypoſtatica Verbi cum humanitate in ordine ad ſanctificandum eſt tam perfecta, ut major in hoc genere non ſit poſſibilis. 2. Si tamen humanitas ideo non redditur etiam infinite bona, & perfecta ratione bonitatis participatæ, ratio eſt, quia eſſe infinite bonum, & perfectum dicit actum ſecundum, ſeu actu habere omnem perfectionem, & bonitatem poſſibilem, quod fieri nequit. Econtra eſſe infinite ſanctum in ratione ſanctitatis participatæ, tantum dicit, quod humanitas Chriſti ſit amabilior amore appretiativo DEI, quam creaturæ poſſibiles

in infinitum per gratiam sanctificantem, & quod ideo sit digna amore, & beatitudine majore & majore in infinitum, licet a DEO debuerit determinari certus gradus gloriæ, qui eidem in actu secundo tribueretur.

Objectiones.

545 Obj. 1. Ex una parte SS. Patres sanctitatem Christi sæpius vocant infinitam: ex altera parte hæc sanctitas est eadem, qua DEUS sanctus est: ergo est simpliciter infinita. Conf. Humanitas Christi per sanctitatem increatam redditur adorabilis eadem adoratione, qua ipsum Verbum; ergo etiam redditur amabilis eodem amore, quo ipsum Verbum. Resp. Dist. ant. Vocant sanctitatem Christi infinitam secundum sanctitatem Verbi, vel formam denominantem, conc. ant. secundum sanctitatem naturæ humanæ, neg. ant quoad hoc membr. & dist. etiam quoad 2dum. Hæc sanctitas est eadem, qua DEUS sanctus est, & eodem modo naturæ humanæ communicatur, quo DEO, neg. ant. non eodem modo communicatur, conc. ant. & neg. cons. Quod tam ipse Christus in concreto, quam sanctitas increata in abstracto sit infinita, ultro fatemur; at negamus, ideo ipsam naturam humanam reddi infinite simpliciter amabilem, & tam gratam DEO, quam ipsum Verbum, ejusque sanctitas increata. Ad conf. Quamvis cultus exterior, qui non potest præscindere, & toti supposito exhibetur, eodem modo videatur tendere in humanitatem Christi, & Verbum eidem unitum, tamen cultus interior aliter tendit, in Verbum quidem primo per se, & ratione sui, in humanitatem vero tantum secundario, ratione Verbi uniti.

546 Dices. Humanitas ut sancta includit ipsam sanctitatem Verbi, & Verbum ut terminans naturam humanam non est minus amabile, quam Verbum secundum se: ergo humanitas in abstracto est infinite ama-

amabilis. Conf. Humanitas Christi per subsistentiam Verbi subsistit infinite; ergo per sanctitatem Verbi sanctificatur infinite. Resp. Trans. ant. dist. cons. Ergo humanitas in abstracto est infinite amabilis, si accipiatur secundum se, & specificative, neg. cons. si accipiatur reduplicative, subd. reduplicatione cadente supra ipsum Verbum, conc. cons. cadente supra unionem cum Verbo, neg cons. Isti termini: humanitas ut sancta: Verbum ut terminans naturam humanam, sunt reduplicativi, & idem significant, ac humanitas ut unita Verbo; Verbum ut unitum humanitati; unde reduplicatio potest cadere vel supra Verbum, & tunc nihil aliud significant, quam quod Verbum sit infinite amabile; vel supra unionem, seu actualem terminationem, & sic humanitas longe minus est amabilis propter Verbum sibi unitum, quam ipsum Verbum ob sanctitatem essentialiter sibi identificatam. Ad conf. dist. ant. Subsistit per Verbum infinite, id est, per subsistentiam infinitam, conc. ant. modo infinito, neg. ant. Perfectiore namque modo subsistit natura Divina, quia subsistit per identitatem, & essentialiter.

547 Obj. 2. Sanctitas infinita Verbi se totam communicat humanitati Christi; ergo illam infinite sanctificat. Conf. Formæ accidentales tribuunt subjecto totum effectum formalem, quem continent e. g. sanctitas intensa ut octo, sanctificat ut octo: ergo etiam forma vel quasi forma substantialis, scilicet sanctitas increata tribuit effectum infinitum, quem continet. Resp. Dist. ant. Communicat se totam, & totaliter, scilicet per identitatem, ac modo perfectissimo, neg. ant. se totam, sed non totaliter, videlicet tantum per unionem, adeoque infinities minus, quam ipsi DEO, conc. ant. & neg. cons. Ad conf. trans. ant. neg. cons. Si verum est antecedens, tunc, quia formæ accidentales sufficienter se communicant subjecto ad tribuendum totum effectum suum formalem; at sanctitas increata se non sufficienter communicat

 huma-

humanitati ad dandum effectum formalem ſimpliciter infinitum. Ulteriorem diſparitatem aſſignat P. Mayr hic num. 591; quia formæ accidentales magis ſunt propter ſubſtantiam, quam propter ſe, & plerumque magis perficiunt ſubjectum, quam ſe ipſas: formæ autem ſubſtantiales ſunt magis propter ſe ipſas; ſic anima rationalis non communicat omnes ſuas perfectiones ſubjecto; non enim facit corpus ſpirituale, nec tam perfecte vivens, ac ipſa vivit.

548 Dices. Chriſtus ut homo eſt Filius DEI naturalis; ergo Filius infinitus, & infinite gratus DEO, quia in tantum gratus, in quantum Filius. Conf. Dignitas infinita Verbi reddit merita Chriſti ſimpliciter infinita: ergo ſanctitas infinita Verbi reddit humanitatem infinite ſanctam. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Ergo eſt Filius infinitus, & infinite gratus DEO ratione filiationis æternæ, qua a Patre procedit, & quæ eſt ſimpliciter infinita, conc. conſ. ratione filiationis temporalis, quæ Chriſto convenit ut homini ob unionem hypoſtaticam, neg. conſ. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Merita Chriſti ordinarie ſumuntur concretive, & per ipſam dignitatem infinitam immediate, ac per identitatem conſtituuntur, nec poteſt alia major vis merendi excogitari; nos autem hic agimus de humanitate Chriſti in abſtracto conſiderata, cui ſanctitas Verbi tantum communicatur per unionem; hinc ſicut actiones Chriſti meritoriæ ſecundum ſe non ſunt infinitæ, ſed tantum meritum concretive ſumptum: ſic humanitas in abſtracto non eſt infinite ſancta, ſed tantum Chriſtus in concreto.

549 Obj. 3. Humanitas Chriſti per ſanctitatem Verbi facta eſt digna beatitudine, aliisque donis majoribus & majoribus in infinitum: ergo eſt infinite ſanctificata. Conf. Quia alias humanitas Chriſti in ſanctitate poſſet creſcere; ſi enim ſimul ſanctificaretur ſanctitate increata, & gratia ſanctificante, magis perficeretur, ferme ſicut anima magis perficeretur intellectione & intellectu, quam intellectu ſolo, ſi hic

ab anima distingueretur. Resp. Conc. ant. dist. conf. Est infinite sanctificata simpliciter, neg. conf. in ratione sanctitatis participatæ, conc. conf. Modo sanctitas humanitatis sit tanta, ut nulli creaturæ possit communicari major, jam est digna majori beatitudine, & donis, quam omnes reliquæ creaturæ in infinitum per sanctitatem creatam perfectibiles. Ad conf. dist. ant. Sanctitas ista posset crescere extensive, conc. ant. intensive, neg. ant. Humanitas Christi per gratiam sanctificantem non redditur magis grata DEO, immunis a peccato, aut digna majori beatitudine, sed tantum acquirit plures titulos ad beatitudinem, ferme sicut plura merita Christi, solum fundant plures titulos ad præmium, quin intensive majorem valorem habeant. Quodsi anima magis perficiatur intensive per intellectionem, quam per solum intellectum, ratio est, quia per solum intellectum, necdum intelligit in actu secundo.

550 Dices. Saltem juxta nos humanitas esset magis grata DEO, si esset unita etiam reliquis personis Divinis: item DEUS magis amaret tres humanitates unitas eidem personæ Divinæ, vel saltem unitas tribus personis distinctis: ergo sanctitas humanitatis posset crescere intensive. Conf. Etsi eadem gratia sanctificans uniretur tribus justis, DEUS tamen illos magis amaret, magisque eorum precibus moveretur, quam amaret unum justum: ergo a pari. Resp. Neg. ant. Nam 1 tres personæ non sunt aliquid melius, & sanctius, quam solum Verbum, & sanctitas substantialis increata tam perfecte communicatur humanitati per unionem hypostaticam cum solo Verbo, quam cum omnibus tribus personis. 2 Etsi plures humanitates unirentur eidem, vel distinctis personis, nullum haberent titulum ad amorem, qui non datur in unica unione, neque DEUS illis posset velle ullum bonum, ad quod non haberet sufficientissimum titulum unica humanitas hypostatice unita. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Quia DEUS in pluribus jus is haberet titulum ad majus bonum volendum omnibus,

bus, quam tantum uni, cum meritum cujuslibet novo præmio dignum foret.

551 Quæres 1. An humanitas Christi a Divinitate sanctificetur physice, immediate, substantialiter, & secundum omnes perfectiones absolutas. Resp. ad omnia affirmative. Nam 1 ad sanctificationem physicam videtur sufficere unio mediata, imo juxta nos essentia Divina humanitati immediate unitur. 2. Divinitas humanitati tribuit effectus formales sanctitatis per se ipsam, nulla alia forma ut quod mediante. 3. Hæc sanctificatio fit mediante unione hypostatica, quæ est unio substantialis. 4. Sicut quælibet perfectio Divina absoluta est physice unita humanitati, sic quælibet potest humanitatem reddere DEO gratam, & amabilem; ergo quælibet illam sanctificat, præsertim, quia inter perfectiones DEI absolutas nulla datur distinctio virtualis.

552 Quæres 2. An humanitas Christi etiam sanctificetur per unionem hypostaticam? Resp. Quod unio hypostatica humanitatem Christi aliquo modo sanctificet, patet ex dictis. Dubium est, an illam sanctificet tantum ut quo, vel etiam ut quod; primum tenet Lugo disp. 16 sect. 2 citans pro se communem; quia unio hypostatica tantum est via quædam ad sanctitatem, & communicatio formæ sanctificantis, sicut unio gratiæ habitualis cum anima tantum est communicatio sanctitatis accidentalis, & ideo tantum ut quo sanctificat: posterius docent Suarez disp. 18 sect. 1, & Gormaz de Incarnat. num. 901, quia unio hypostatica est participatio naturæ Divinæ longe perfectior gratia habituali, & longe magis cum DEO conjungit: ergo sicut gratia habitualis ut quod animam reddit DEO gratam, immunem a peccato, &c. ita multo magis unio hypostatica, cum ipsi nulla perfectio sit deneganda, quæ salvis principiis Fidei, & Theologiæ eidem potest tribui. Nihilominus etiam Auctores posterioris sententiæ fatentur, quod unio hypostatica ratione sanctitatis increatæ se tantum

tum habeat ut quo, ferme ſicut actus vitales ſe tantum habent ut quo, quatenus ſeipſos uniunt viventi, & ſimul ut quod, quatenus denominant videntem, audientem &c.

QUÆSTIO III.

An Chriſtus etiam habuerit ſanctitatem accidentalem, ſeu gratiam ſanctificantem?

553 Dicendum: Humanitas Chriſti præter ſanctitatem increatam etiam habet ſanctitatem creatam, & accidentalem. Prob. 1. Auctoritate Scripturæ, & Patrum. Iſai. 61 v. 1 de Chriſto dicitur: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me;* qui textus teſte Gormaz communiter ita exponitur, quod ideo Spiritus S. per gratiam habitualem in Chriſto habitet, quia ſanctitate increata fuit unctus, & ſanctificatus. Pariter a S. Auguſtino, & communi aliorum de gratia habituali, intelligitur illud Joan. 1 v. 15: *Plenum gratiæ, & veritatis.* S. Bernardus vero in cap. 1 Lucæ, ubi dicitur: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius DEI,* clare diſtinguit duplicem ſanctitatem in Chriſto, increatam, & creatam; ita enim Homil. 4 ſuper *Miſſus*, pronunciat: *Quod Virgo genuit, ſanctum procul dubio, & ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus S. ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.* Plura ejusmodi teſtimonia Patrum exhibent Suarez diſp. 18 ſect. 2, qui ſententiam noſtram judicat eſſe de fide: Vaſquez vero diſput. 16 ſect. 2 aſſerit, contrarium eſſe temerarium.

554 Prob. 2. Chriſto debet concedi omnis perfectio, quæ nullam ſecum affert imperfectionem, & aliunde illi non repugnat: ſed talis perfectio eſt ſanctitas accidentalis: ergo Chriſto debet concedi; ſicut ob hanc rationem præter ſcientiam beatam in ipſo admittitur ſcientia infuſa. Conf. Chriſtus elicuit operationes ſupernaturales, quorum principia intrinſeca & connaturalia ſunt habitus ſupernaturales: ergo

go Chriſtus inſtructus fuit habitibus ſupernaturalibus virtutum: atqui gratia ſanctificans eſt radix proxima, ac veluti menſura habituum ſupernaturalium: ergo humanitas Chriſti etiam fuit inſtructa gratia ſanctificante. Licet enim perſona Verbi humanitati unita hos habitus exigeret, quia tamen erat infinitæ dignitatis, non potuit eſſe illorum determinata menſura. Porro menſura ipſius gratiæ ſanctificantis determinari debuit a DEO, cum aliam priorem menſuram intrinſecam non habuerit.

555 Dicendum 2. Humanitas Chriſti gratiam ſanctificantem, & quidem totam jam habuit in primo inſtanti ſuæ conceptionis. Ita rurſus communis, & juxta Tannerum certa. Prob. Tota gratia ſanctificans data eſt Chriſto ratione Verbi Divini hypoſtatice humanitati uniti: atqui Verbum Divinum jam in primo conceptionis inſtanti fuit humanitati unitum: ergo. Conf. Chriſtus in primo conceptionis inſtanti habuit viſionem beatificam: ergo eodem momento habuit gratiam conſummatam. Porro quamvis unio hypoſtatica, & perſona Verbi gratiam ſanctificantem non produxerit phyſice per ſpecialem aliquem influxum, eandem tamen tanquam proprietatem moralem connaturaliter exigebat, in quantum humanitas, ut perſonalitate Verbi ſubſiſtens, & ſanctitate increata ſanctificata, etiam ſanctitate accidentali fuit digniſſima.

Objectiones.

556 Obj. 1. Gratia ſanctificans eſt quædam participatio naturæ Divinæ, & datur creaturæ rationali tanquam medium ad obtinendam beatitudinem: ergo, cum Chriſtus reipſa fuerit DEUS, & ſtatim in primo inſtanti beatus, non habuit gratiam ſanctificantem. Conf. In Chriſto ipſum Verbum potuit ſupplere habitus infuſos ad eliciendos actus ſupernaturales: ergo.

go. Resp. conc. ant. quoad 1. memb. dist quoad 2dum. Gratia Sanctificans datur tanquam medium ad obtinendam beatitudinem puris viatoribus, conc. ant. comprehensoribus, qualis erat Christus, neg. ant. & conf. Christus secundum humanitatem non fuit DEUS, & quamvis gratia sanctificante non indiguerit ad obtinendam beatitudinem, ipsi tamen erat convenientissima ex alio fine, nempe ut humanitas etiam hoc modo sanctificaretur, & esset mensura habituum supernaturalium. Ad conf. transf. ant. Quia actiones ad extra non sunt solius Verbi, sed totius SS. Trinitatis. Neg. conf. Quippe modus operandi per habitus est magis connaturalis, & unio hypostatica non exigebat habitus sibi conferri sine gratia habituali, sed potius immediate exigebat gratiam, & hac mediante habitus.

Obj. 2. Modus sanctificandi per sanctitatem increatam absorbet omnem alium sanctitatis modum, & capacitas humanitatis Christi per infinitam sanctitatem Verbi jam fuit expleta: ergo præter sanctitatem increatam non potuit habere creatam. Conf. Quod non auget sanctitatem præsuppositam, non pertinet ad complementum sanctitatis: sed gratia sanctificans non auget sanctitatem increatam præsuppositam: ergo. Resp. Neg. ant. Capacitas creaturæ rationalis ad unionem cum Verbo non est naturalis, sed obedientialis; sicut igitur per unionem cum una persona non ita expletur, ut non posset insuper uniri alteri personæ, ita multo minus per sanctitatem creatam ita expletur, ut excludat gratiam sanctificantem, quæ est sanctitas alterius ordinis. Hinc ad confirm. dist. maj. Quod sanctitatem præsuppositam neque auget extensive, neque intensive, conc. maj. quod illam saltem auget extensive, & in alio genere sanctitatis, neg maj. & sic dist. min. neg. conf. Retorsio est in scientia beata, & infusa.

557

358 Obj. 3. Quod in aliquo ente, vel subjecto continetur eminenter, non potest in eodem contineri formaliter; nam ideo in DEO non possunt dari perfectiones mixtæ; sed sanctificatio accidentalis continetur in Christo eminenter ratione sanctitatis increatæ; ergo in eodem non potest contineri formaliter. Conf. Si humanitas Christi simul haberet sanctitatem increatam, & creatam, esset magis sancta, quam Verbum; nam Verbum tantum habet sanctitatem increatam. Resp. Neg. maj. Quod DEUS non possit formaliter continere perfectiones mixtas, ratio est, quia Ens perfectissimum necessario a se excludit omnem imperfectionem; & licet eadem perfectio non possit simul formaliter, & eminenter dari in eodem ente per identitatem, inde non sequitur, quod non possit simul dari per unionem; alias humanitas Christi nil creatum posset continere formaliter. Ad conf. neg. sequelam; quia finitum additum infinito non facit majus; sicut ergo complexum ex sanctitate creata, & increata non est aliquid majus, & æstimabilius, quam sola sanctitas increata, sic sanctitas accidentalis nec Christum, nec ejus humanitatem facit magis sanctam, quam sola sanctitas increata.

359 Obj. 4. Luc. 2 dicitur, quod Christus profecerit ætate, & gratia: ergo in primo conceptionis instanti non accepit totam gratiam habitualem. Conf. Spiritus S. primum in Baptismo super Christum descendit: ergo tunc primum accepit aliquam gratiam; nam, ut S. Hieron. in cap. 61 Isai. docet, prophetia de Christo ungendo, seu sanctificando impleta est in ejus Baptismo. Resp. conc. ant. neg. cons. Quod Christus in gratia tantum profecerit apparenter, quatenus illa magis successive fuit manifestata, jam diximus num. 516. Quæ explicatio etiam adhibenda est ad confirmationem; quippe S. Hieronymus non docet, ipsam unctionem, seu sanctificationem fuisse

fa-

factam in Baptismo, & quasi novo additamento completam formaliter, sed quod fuerit facta, & completa aliquo modo finaliter, in quantum finis aliquis unctionis tunc est completus, quem finem ibi assignat dicens: *Unctus est igitur Spiritu sancto, ut annunciaret pauperibus;* quia videlicet paulo post Christus incepit prædicare. Hanc explicationem ipse Christus adhibuit Luc. 14 vers. 18: *Propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me.*

560 Quæres: Quosnam habitus infusos habuerit Christus? Resp. Omnes, qui non repugnant statui beatitudinis, nec peccatum supponunt, aut aliunde involvunt imperfectionem. Nam Christus ut homo a primo conceptionis instanti fuit intrinsece, & permanenter habilis ad exercendos actus omnium virtutum supernaturalium, qui non habent imperfectionem aliquam cum statu unionis hypostaticæ pugnantem: ergo omnium illarum virtutum habitus ipsi fuerunt infusi, qui cum sint supernaturales, dant simpliciter posse, id est, etiam potentiam rationalem ita complent, ut simpliciter possit producere actus supernaturales. Imo licet habitus acquisiti tantum dent facile posse, communiter tamen in Christo admittuntur, quia modus potentiæ rationalis connaturalis est agere per virtutes naturaliter acquisitas; ergo sicut Christo tribuimus scientiam experimentalem, & acquisitam successive, sic probabilius acquisivit habitus naturales virtutum tam Theologicarum, quam Moralium, quas in vita sua exercuit.

561 Interim statui beatitudinis videtur repugnare. 1. Habitus Fidei Theologicæ, quia Fides, ut notavimus num. 510, involvit obscuritatem, Christus autem omnia clare vidit. Defendunt nihilominus aliqui cum Suario, quod in Christo fuerit habitus supernaturalis piæ credulitatis, quæ est voluntas submittendi se DEO obscure revelanti. 2. Habitus Spei Theologicæ saltem quoad objectum primarium, videlicet Deum possidendum, eoquod Christus illum sem-

ſemper actu poſſederit; potuit tamen Chriſtus habere actus gaudii, & amoris circa poſſeſſionem DEI, quos actus aliqui ad ſpem Theologicam reducunt. 3. Habitus pœnitentiæ, prout eſt virtus ſpecialis, quia pœnitentia proprie dicta debet verſari circa actus proprios pœnitentis, conſequenter ſupponit in pœnitente peccatum, Chriſtus autem ab omni peccato ſemper immunis fuit.

QUÆSTIO IV.

Quanta fuerit ſanctitas accidentalis Chriſti?

562 Dicendum: Gratia ſanctificans Chriſti non quidem fuit intenſive infinita, ſed tamen fuit ſumma inter omnes productas, ita, ut incomparabiliter excesserit gratiam habitualem aliis hominibus, & Angelis ſimul ſumptis collatam. Concluſio eſt S. Thomæ 3. part. q. 7. art. 11. in Corp. & communis, præſertim illorum, qui non admittunt poſſibilitatem infiniti categorimatici creati. Prob. 1ma. pars. Si gratia ſanctificans Chriſti eſſet intenſive infinita, tunc cùm ſit ejusdem rationis, & ſpeciei cum noſtra, deberet habere gradus actu infinitos numerice diſtinctos, vel certe ejusmodi gradibus ſyncategorematice infinitis deberet æquivalere: neutrùm poteſt dici: non primum, quia infinitum categorematicum creatum, & diviſibile implicat, ut hic ſupponimus: non ſecundum, quia tali modo ſanctitas creata intenſive adæquaret ipſam ſanctitatem DEI; atqui creatura in nulla perfectione, & linea formaliter infinita poteſt adæquare DEUM; alias pari jure dici poſſet, quod ſit poſſibilis creatura eſſentialiter exigens produci ab æterno, quod certo falſum, cum Fides doceat, nil creatum ab æterno extitiſſe.

563 Prob. 2da pars. In hac providentia gratia major, vel minor datur juxta dignitatem ſuppoſiti, vel præſtantiam muneris, ad quod quis deſtinatur, atqui

qui dignitas suppositi in Christo est tanta, ut propter sanctitatem increatam fuerit dignus majoribus & majoribus gratiis, & a DEO super omnes creaturas simul sumptas amore benevolentiæ amaretur, munus vero, ad quod erat destinatus, illum tanquam caput longe super omnes alias creaturas evehebat: ergo spectata insuper munificentia Patris, Christus accepit gratiam sanctificantem inter omnes productas maximam, & majorem, quam omnes homines, & Angeli simul sumpti. Unde Christus ut homo habuit triplicem gratiæ plenitudem. 1. Divinitatis, quæ se totam humanitati communicavit per unionem. 2. Plenitudinem sanctitatis substantialis, quia fuit infinite sanctificatus in genere sanctitatis participatæ. 3. Plenitudinem sanctitatis accidentalis, quæ fuit incomparabiliter major, quam in B. Virgine, quæ ab Angelo plena gratia dicebatur.

Dices 1. Christus habuit gratiam sanctificantem sine mensura; *Non enim ad mensuram DEUS dat Spiritum Filio*, Joan. 3. v. 34. ergo habuit gratiam sanctificantem infinitam. Conf. S. Thom. 3. p. q. 7. a. 7. in corp. ait: *Alio modo potest considerari gratia, secundum propriam rationem gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita:* ergo. Resp. Dist. ant. Habuit gratiam sine mensura se tenente ex parte gratiæ, neg ant. se tenente ex parte personæ, quæ nullam determinate mensuram exigebat, conc. ant. & neg. cons. Textus additus vel cum S. Chrysost. & Euthymio debet intelligi de Christo ut Filio DEI, cui Pater sanctitatem infinitam ab æterno communicavit; vel solum significat, quod Christo fuerit gratia data liberalissime, & abundantissime, ita, ut respective ad nos nullam mensuram habeat; qui enim dat abundantissime, dicitur dare sine mensura, ut advertit Cornel. a Lup. Ad conf. eadem est responsio. Nam S. Thom. in eodem loc. de gratia sanctificante Christi dicit: *Necesse est, quod sit ens finitum.* Ibidem se explicat hoc modo: *Sicut si dicimus, solis lucem esse infini-*

564

finitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet, quidquid ad rationem lucis pertinere potest.

565 Dices 2. Vel gratia Christi potuisset augeri, vel non? Neutrum potest dici: non primum, quia singulæ qualitates habent certum terminum, & alias Christus potuisset fieri magis gratus DEO. Non secundum, alias esset infinita, vel certe non ejusdem rationis cum nostra. Conf. Gratia Christi propter conjunctionem ad Verbum potuit aliis mereri gratiam majorem & majorem in infinitum; sicut calor conjunctus cum igne potest producere tantum calorem, quantum ignis: ergo. Resp. transf. maj. neg. min. quoad 1 memb. Licet gratia habitualis Christi absolute augeri potuisset, quia tamen Sanctitas increata eminenter jam fecit, quidquid creata formaliter potest facere, Christus per hanc non amplius potuit DEO reddi magis gratus; aliæ autem qualitates solum habent certum terminum respectu subjecti limitati, quod non potest plures gradus naturaliter recipere. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Si gratia potuit merita Christi aliquo modo dignificare infinite, hanc vim non habuit ratione sui, sed ratione Verbi, neque calor tantam haberet vim, quantam ignis, etsi hæc paritas subsisteret.

566 Dices 3. Ex una parte ad rationem capitis non est necessarium, ut in perfectione excedat omnia membra simul sumpta: ex altera parte si gratia habitualis Christo data fuisset juxta dignitatem suppositi, deberet esse omnino infinita: ergo ex his non probatur, quod Christus in gratia accidentali excesserit omnes homines, & Angelos simul sumptos. Conf. Si Christus habuisset tantam gratiam, debuisset elicere actus intensiores, quam omnes aliæ creaturæ: hoc incredibile: ergo. Resp. dist. ant. quoad 1. memb. Hoc non pertinet ad rationem capitis qualiscunque, conc. ant. capitis talis, de cujus plenitudine omnia membra debent recipere, neg. ant. quoad hoc memb. & sim-

simpliciter quoad alterum; quia gratia infinita non est possibilis. Cum tamen Christus sit fons, & auctor omnis gratiæ, tantæque dignitatis, ut nulla perfectio, ac prærogativa possibilis ipsi sit deneganda, recte dicitur, illum majorem gratiam accepisse, quam omnes reliquas creaturas rationales simul sumptas. Ad conf. transf. maj. Quia Christus saltem physice fuit liber ad actum minus perfectum, neg. min. Nam juxta communem Theologorum doctrinam Christus semper fuit operatus secundum totam intensionem gratiæ, & habituum supernaturalium, quos accepit.

567 Quæres 1. An Christus præter Gratiam sanctificantem, & habitus virtutum infusos etiam habuerit dona Spiritus S. nempe sapientiam, scientiam, intellectum, & consilium, quæ ad potentiam intellectivam pertinent; item timorem, pietatem, & fortitudinem, quæ spectant ad potentiam volitivam? Resp. cum S. Thoma q. 7. art. 5 in corp. & communi aliorum affirmative. Nam Isai. 11 v. 2 de Christo dicitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*; ubi per timorem non intelligitur timor servilis, sed filialis, qui fuit affectus quidam reverentiæ conceptus ex consideratione infinitæ Majestatis Divinæ. Concilium quoque, quod in nobis aliquam dubitationem involvit, in Christo fuit sanum, & rectum sine hæsitatione de agendis judicium.

568 Quæres 2. An Christus habuerit gratias gratis datas? Resp. rursus cum S. Thoma q. 7. a. 6. in Corp. affirmative. Nam Christus fuit principalis Doctor doctrinæ spiritualis, & fidei, ad cujus manifestationem gratiæ gratis datæ ordinantur; sunt autem ejusmodi gratiæ novem, nempe sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum. De his notandum 1, quod per Fidem hic non intelligatur Fides Theologica,

gica, ſed facultas res Fidei accommodate ad captum etiam rudium proponendi. 2. Quod prophetia in Chriſto non fuerit conjuncta cum cognitione obſcura; neque hoc requiritur: alias Luc. 7 v. 16 de Chriſto non potuiſſet dici: *Propheta magnus ſurrexit in nobis.* 3. Licet Chriſtus fortaſſe nunquam uſus ſit dono linguarum, quia illo uti non fuerat opportunum: ideo hoc donum non habuit inutiliter, cum hac in parte non debuerit eſſe inferior Apoſtolis, de quibus certum eſt, quod dono linguarum fuerint præditi.

569 Quæres 3. An Chriſtus etiam habuerit gratias actuales, ſeu auxiliantes? Reſpondet Tournely, quod in ipſo quidem fuerint gratiæ actuales operantes, & cooperantes, quia iſtæ ſunt ipſe concurſus DEI, qui ad quamcunque actionem ſemper eſt neceſſarius ob eſſentialem dependentiam creaturæ a DEO: non autem fuiſſe in Chriſto gratias excitantes, conſiſtentes in illuſtrationibus, & inſpirationibus Divinis, quibus quaſi ſopiti excitamur ad bonum, eoquod Chriſtus ad optima quæque ſemper fuerit vigil, & erectus, neque ulla difficultate retardatus, ut adeo gratiis excitantibus non indiguerit. Nihilominus Perez diſp. 19. ſect. 1. putat, ſaltem admittenda eſſe ſpecialia quædam auxilia, & motiones Spiritus ſancti, quibus Chriſtus ad actus heroicos impellebatur. Quid ego ſentiam, patebit, ubi agemus de libertate Chriſti.

QUÆSTIO V.

An Chriſtus ut homo fuerit Filius DEI naturalis, vel adoptivus?

570 Triplex Filiatio a Theologis diſtinguitur: Prima, eaque maxime propria eſt filiatio naturalis perſonalis, per quam Verbum ratione generationis æternæ eſt Filius DEI ſecundum eandem naturam per identitatem, quæ denominatio Chriſto ut homini, ſeu ſe-

ſecundum naturam humanam utique convenire non poteſt. Secunda eſt Filiatio per adoptionem; hæc ex S. Thoma in 4 diſt. 42 quæſt. 2 communiter definitur, quod ſit perſonæ extraneæ in filium, vel nepotem deinceps legitima aſſumptio; convenit puris hominibus juſtis, & fundatur in gratia ſanctificante, per quam filii DEI denominamur, & ſumus. Tertia eſt filiatio per aſſumptionem, & fundatur in unione hypoſtatica, ratione cujus Chriſtus etiam ut homo eſt Filius DEI. Quæſtio jam verſatur in eo, an Chriſtus vi gratiæ ſanctificantis, quam ut homo juxta dicta copioſiſſimam habuit, poſſit dici Filius adoptivus DEI, an vero etiam ut homo ratione unionis hypoſtaticæ potius debeat dici Filius DEI naturalis. Loquimur autem potiſſimum de Chriſto homine in concreto.

Dicendum: Chriſtus etiam ut homo non fuit Filius DEI adoptivus, ſed naturalis. Prob. 1. Apoſtol. ad Rom. 8 v. 32 ait: *Deus proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quibus verbis Hadrianus I Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ hoc argumentum deducit: *Scimus autem, quoniam non eſt traditus ſecundum Divinitatem, ſed ſecundum id, quod homo verus erat: illum nimirum, qui traditus eſt; id eſt hominem, ipſum Apoſtolus proprium DEI Filium proteſtatur:* ergo Chriſtus qua homo non eſt Filius DEI adoptivus, ſed naturalis; alias, inquit Tourneli, deberent admitti duo filii, unus adoptivus, alter naturalis, qui fuit error Neſtorii. Neque dicas cum Marino, ex hoc textu tantum inferri, quod Chriſtus non ſit filius adoptivus, ſed proprius DEI: quippe juxta communiſſimam auctorum non datur medium inter filiationem naturalem, & adoptivam, unde non eſt, cur hic de nomine litigemus.

571.

Prob. 2. Auctoritate illorum Conciliorum, in quibus num. 113 Felicem, & Elipandum damna-

572 tos fuisse dixi. Francofordiense in epistola Synodica ita habet: *Unitas personæ Christi adoptionis tollit injuriam. Adoptio nullam habet significationem, nisi ut Christus Filius DEI proprius, & naturalis non sit. Si vere DEUS, & vere Filius, & si verus Filius, nequaquam adoptivus: Adoptivus dici non potest, nisi is, qui alius est ab eo, a quo dicitur adoptatus.* Consentiunt SS. Patres; ex quibus S. Damascen. in illa verba Joan. 20: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, ita lib. 4 de fid. cap. 8 commentatur: *Non dicit, Patrem nostrum, sed Patrem meum, natura videlicet, & Patrem vestrum, beneficio, & gratia.* S. Hilar. lib. 3 de Christo jam morituro, adeoque homine ait: *Hic & verus & proprius est Filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione.* S. Augustin. tract. 7 in Joann. *Oportebat, ut ille baptizaret, quia est Filius DEI unicus, non adoptivus.*

573 Prob. 3. Ratione a Patribus Concilii Francofordiensis supra insinuata. De ratione Filii adoptivi est, ut sit persona aliena, & extranea; sed Christus etiam ut homo non est persona aliena, & extranea: ergo. Maj. constat ex communi definitione adoptionis. Min. ex doctrina jam alibi a nobis tradita, juxta quam in Christo datur unica persona Divina, ita, ut idem sit Filius DEI, qui est Filius hominis; atqui Filius DEI non est persona extranea: ergo neque Filius hominis; cum homo hic nil aliud significet, quam habens humanitatem, habens autem humanitatem est ipsum Verbum, Filius DEI naturalis. Conf. Vel Christus qua homo, qua Filius hominis &c. sumitur in concreto pro supposito? & certum est, quod ut talis non sit persona extranea, sed Filius DEI naturalis: vel sumitur in abstracto pro sola humanitate? & hæc non est persona, consequenter neque filia neque, filius, quia ista denominatio tantum personæ tribuitur, ut tradit Angelicus 3 part. quæst. 23 art. 4.

Ca-

574 Cæterum, quia Chriſtus ut homo per communicationem idiomatum certo eſt Filius DEI naturalis, ſi reduplicatio cadat in concretum, ſeu ſuppoſitum, teſte Tannero communis Doctorum inde colligit, Chriſtum ut hominem etiam eſſe, & dici debere Filium DEI naturalem, ſi reduplicatio cadat ſupra humanitatem ut Verbo unitam; quippe natura humana ut Verbo hypoſtatice unita neque eſt extranea perſona, neque extranea natura, ſed ſubſtantialiter propria ipſius DEI. Præterea hic modus loquendi eſt conformior Scripturæ, & Patribus ſupra citatis. Et in epiſt. ſynod. Concil. Francoford. expreſſe dicitur: *Chriſtum in utraque natura eſſe unigenitum & primogenitum non adoptivum.* Porro conſtitutiva hujus filiationis ſunt unio, Verbum, & humanitas unita, ut adeo ſit quaſi media inter filiationem naturalem per eſſentiam, & adoptivam per gratiam; & ſiquidem conſideremus formam, quæ Filium denominat, & jus ad hæreditatem tribuit, magis accedit ad filiationem per eſſentiam, quia hæc forma eſt ipſa filiatio increata humanitati unita; ſi vero conſideremus modum participandi hæreditatem, magis accedit ad filiationem adoptivam; nam poſſeſſio beatitudinis, quam Chriſtus ut homo habet, licet ſit maxima, tamen magis accedit ad beatitudinem aliorum juſtorum, quam ad infinitam poſſeſſionem beatitudinis, quam DEUS habet per identitatem.

Objectiones.

575 Obj. 1. SS. Patres, quando agunt de Chriſto, utuntur verbo adoptionis: ergo Chriſtus ut homo fuit Filius DEI adoptivus. Ant. prob. S. Hilar. lib. 2 de Trinit. ait: *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur.* S. Auguſtinus lib. de prædeſtin. Sanct. cap. 15: *Ex ea gratia fit ab initio fidei homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſui factus eſt Chriſtus.* S. Iren. lib. 3

 cap.

cap 21: *Qui Filius DEI est, filius hominis factus est, & commixtus Verbo DEI, ut adoptionem percipiens fiat Filius DEI.* Resp. transf. ant. neg. conf. Quando aliqui Patres utuntur voce adoptionis, illam sumunt minus proprie in sensu longe alio, quam de quo hic controvertitur. De S. Hilario & Augustino, quid revera senserint, constat ex probatione secunda. In locis hic objectis prior non loquitur de persona, sed natura; posterior paritatem solum instituit in hoc, quod sicut prima justificatio cujuscunque hominis sit absque ullis præcedentibus meritis, sic etiam natura humana a Verbo gratis sit assumpta. S. Irenæus loquitur valde improprie, & solum vult, quod per unionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo homo factus sit Filius DEI, & Filius DEI filius hominis.

576 Dices. Non repugnat in Christo sanctitas substantialis cum accidentali: ergo neque filiatio adoptiva cum naturali: ergo conformius ad mentem Patrum dicitur, quod Christus ut homo simul fuerit Filius DEI naturalis, & adoptivus. Conf. Lege, qui liberatus 12 ff. de adoption. & manumiss. dicitur: *Qui liberatus est a patria potestate, honeste reverti non potest, nisi adoptione, qua quis potest esse filius naturalis, & adoptivus.* Resp. conc. ant. neg. conf. Disparitas datur ex diversitate denominationum. Nam esse sanctum simul sanctitate substantiali, & accidentali solum dicit sanctitatem increatam sibi habere unitam substantialiter, creatam vero accidentaliter, in quo nulla repugnantia. At esse Filium DEI adoptivum dicit esse personam extraneam, & esse filium naturalem non esse personam extraneam, quæ simul stare nequeunt. Hinc Patres expresse negant, Christum esse Filium DEI adoptivum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Lex citata solum sancit, filium emancipatum, & liberatum a patria potestate, nisi iterum adoptetur, non retinere jus ad patriam hæreditatem, quod in consideratione civili idem est, ac non

non amplius esse filium; hæc autem ad Christum nil pertinent.

577. Obj. 2. Ubi est causa, & ratio formalis adoptionis, ibi est adoptio: atqui in Christo datur causa, & ratio formalis adoptionis, nempe sanctitas accidentalis: ergo. Conf. Non est minus effectus formalis gratiæ sanctificantis facere filium adoptivum, quam effectus formalis e. g. albedinis est facere album: ergo Christus est capax recipiendi effectum formalem filiationis adoptivæ. Resp. dist. maj. Ubi est ratio formalis adoptionis, ibi est adoptio, si subjectum sit capax hujus denominationis, conc. maj. secus, neg. maj. Alii etiam negant min. & dicunt, quod gratia sanctificans tantum sit ratio formalis adoptionis in persona extranea. Ad conf. neg. ant. Facere album est effectus formalis principalis albedinis, & ideo ab illa inseparabilis; econtra effectus primarius gratiæ sanctificantis est facere sanctum: facere autem Filium DEI adoptivum tantum est illius effectus formalis secundarius, qui proin ab illa potest separari, sicut ab albedine potest separari effectus similitudinis, vel dissimilitudinis, quia hunc effectum formalem solum præstat secundario, si nempe etiam alterum correlativum existat.

578. Dices. Christus ut homo est servus. 2. creatura. 3. passus, mortuus: ergo potest dici filius DEI adoptivus. Resp. ad 1. An Christus ut homo possit dici servus, inter ipsos Patres non convenit, ad quos conciliandos variæ afferuntur explicationes, mihi res videtur pendere a notione vocabuli. Nam in rigore, & stricte servus dicitur ille, qui sui juris non est, sed alieni, nec per se ullum jus habet ad bona Domini: in latiore sensu servus dicitur, qui habet naturam dependentem, alterius voluntati obtemperat, eique subditus est. In prima acceptione nego Christum ut hominem esse servum; in altera transmitto, quia sic servus non dicit personam extraneam, sed tantum naturam DEO subjectam, & ab ipso es-

 sentia-

ſentialiter dependentem. Ad 2. Vox creatura primario ad naturam, & non ad perſonam refertur; dicitur enim creatura ſecundum eſſentiam, non ſecundum ſubſiſtendi modum. Monet nihilominus S. Thomas q. 16 a 2, Chriſtum non eſſe dicendum creaturam ſine addito ſecundum naturam humanam, ne Arianis favere videamur. Ad 3. Etiam denominatio paſſus, mortuus principaliter cadunt in naturam humanam, neque ad illas requiritur, ut perſona ſit extranea.

579 Obj. 3. Filiatio naturalis fundatur in generatione; nemo enim dicitur filius naturalis, a quo non eſt genitus; atqui Chriſtus ſecundum humanitatem non generatur a DEO: ergo ſecundum naturam humanam non eſt Filius DEI. Conf. Chriſtus ut homo non poteſt dici DEUS; ergo nec filius naturalis DEI. Reſp. diſt. maj. Filiatio naturalis per eſſentiam fundatur in generatione, conc. maj. Filiatio naturalis per unionem hypoſtaticam, neg. maj. Filiatio naturalis alia eſt per eſſentiam, quando ipſa natura ſecundum ſe genito communicatur; alia eſt per unionem perſonalem, vi cujus ſit, ut natura a prima ſua origine non ſit extranea filio, quæ filiatio, licet non ſit tam perfecta, quam illa per eſſentiam, eſt nihilominus ſufficienter naturalis in ſenſu theologico ab Eccleſia recepto; quia Chriſtus etiam in natura humana ut unita habet jus ad hæreditatem Patris, & quidem per conſtitutivum ſubſtantiale. Ad conf. tranſ. ant. Quia, ſi homo accipitur pro ſuppoſito, hic homo dicit perſonalitatem Verbi. Diſt. conſ. Ergo non eſt filius naturalis DEI per eſſentiam, conc. conſ. per unionem, neg. conſ.

580 Dices. SS. Patres tantum agnoſcunt duas Chriſti generationes, unam ab æterno divinam ex Patre; alteram in tempore humanam ex B. Virgine: atqui juxta nos deberet dari tertia, quia Chriſtus ut homo neque per generationem æternam, neque per temporalem a DEO generatur. Conf. Ipſa unio hypoſtatica,

tica, per quam Christus acquirit jus ad hæreditatem, est mera adoptio: ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. & suppos. quod Christus ut homo sit Filius DEI per generationem naturæ humanæ, sed una eademque generatio æterna, sive filiatio passiva Verbi, denominat Christum duplici generatione Filium DEI naturalem, una ut DEUM per essentiam, altera ut hominem per unionem. Hinc Tournely ait, Christum esse Filium DEI naturalem per generationem æternam, quia persona Christi est ab æterno genita. Alii stant pro generatione temporali, eoquod hæc filiatio etiam fundetur in unione hypostatica. Ad conf. neg. ant. tum quia adoptio proprie tantum convenit personæ, tum quia natura humana non est extranea.

581 Obj. 4. Si Christus secundum naturam humanam potest dici Filius naturalis DEI, sequeretur 1, quod esset Filius naturalis totius SS. Trinitatis, quia unio hypostatica est opus commune toti Trinitati. 2 Quod etiam Pater, & Spiritus S. essent filius naturalis DEI, si assumerent naturam humanam; hoc absurdum: ergo. Resp. Quamvis multi cum P. Antonio Mayr ambas sequelas in sensu latiore supra explicato admittant, illas tamen cum aliis negat Lugo, quia hæc filiatio non fundatur in sola unione hypostatica, & illius productione, sed in unione hypostatica cum tali persona, quæ generatur: atqui Verbum divinum nec a seipso, nec a Spiritu S. generatur, sed a solo Patre, multo minus generatur Pater, aut Spiritus S. Hinc ipse P. Antonius Mayr num. 634 monet, objectas propositiones non esse sine addita limitatione proferendas, ne videamur loqui de generatione æterna, & divinas personas confundere, aut indicare, quod Spiritus S. ratione generationis humanæ sit Pater Christi, sicut B. Virgo est ejus Mater.

582 Dices. Saltem juxta nos Pater divinus, si assumeret naturam humanam, in quantum esset homo, posset dici Pater Verbi, sicut nunc Christus, ut homo,

potest dici filius Patris; hoc rursus videtur absurdum: ergo. Conf. Natura intranea sufficit, ut suppositum extraneum dicatur filius naturalis; nam Christus dicitur filius B. Virginis, licet sit suppositum respectu illius extraneum: ergo etiam natura extranea sufficit, ut suppositum intraneum dicatur filius adoptivus, & filiatio fundatur in sola productione naturæ. Resp. cum Lugone, conc. maj. neg. min. si verba in legitimo sensu accipiantur; tunc enim tantum significant, quod illud suppositum, quod est hic homo, sit Pater Verbi divini; item quod natura humana hypostatice unita sit personæ divinæ, quæ est Pater Verbi. Ad conf. conc. ant. neg. cons. & suppositum, quod natura humana respectu Verbi sit extranea. Porro ut B. Virgo diceretur Mater Christi, saltem debuit generare unam naturam hujus suppositi, Christus. Neutram autem generavit tota SS. Trinitas, aut Spiritus S. Verum ista potius agunt de natura humana in abstracto, quam de Christo in concreto.

DISPUTATIO III.

De Impeccabilitate Christi.

583 Sicut per se notum est, quod Christus fuerit impeccabilis secundum voluntatem divinam, ita fides docet, illum secundum voluntatem humanam nunquam vel levissime peccasse. Equidem Nestoriani quidam illi peccatum originale affingere sunt ausi; alii ex antiquis hæreticis eidem imposuere etiam peccata personalia; Calvinus non horruit blasphemare, Christum in cruce timuisse de animæ suæ salute, & voces desperationis emisisse. At hæc apertius repugnant doctrinæ universæ Ecclesiæ, & S. Scripturæ, quam ut illis diu immoremur. Sic ad Heb. 4 vers. 15 Christus dicitur *tentatus per omnia absque peccato.* 2 ad Corinth. 5 vers. 21: *Qui peccatum non noverat,* pro

pro nobis peccatum fecit; id est, se hostiam pro peccatis nostris obtulit, ut nos efficiamur justi, quemadmodum ipse Apostolus statim explicat. Hinc ipse Christus Joan. 8 vers. 46 dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Unde solum disputabimus, utrum humanitas Christi saltem peccare potuisset?

QUÆSTIO I.

An humanitas Christi potuisset peccare, si extitisset sine unione hypostatica?

584 Humanitas Christi potest considerari vel præcise secundum se, & ut a Verbo separata, qualis tamen nunquam exstitit, vel ut Verbo unita. Si præcise consideretur secundum se, putat Marinus, esse de fide, quod habuerit potentiam remotam peccandi, quia humanitas Christi est ejusdem rationis cum nostra; atqui nostra secundum se est peccabilis, & sicut physice, sic etiam moraliter defectibilis; *Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est*, inquit S. Ambros. lib. 3 de Spiritu S. c. 19. Ratio est, quia per potentiam remotam peccandi in humanitate Christi nihil aliud intelligitur, quam potentia, ut non uniatur Verbo, ex qua unione vel formaliter, vel arguitive provenit impeccabilitas proxima; atqui humanitas Christi habuit potentiam, ut non uniretur Verbo, cum DEUS hanc unionem, utpote exigentiam omnis creaturæ longe superantem, libere negare potuisset.

585 Hinc communis contra Esparzam, Maurum, & paucos alios sententia est, quod humanitas Christi etiam potuisset peccare proxime, si exstitisset pro tempore priori ad unionem hypostaticam. Quippe in tali casu nihil daretur, quod potentiam proximam peccandi excluderet, nec ulla potest ostendi repugnantia. Non enim aliqua daretur ex parte naturæ assumptæ, cujus proprietas est esse peccabilem; neque

 que

que ex parte personæ assumentis, sed sicut Verbum positive non dedecuisset nasci ex matre peccato infecta, ita illud positive non dedecuisset assumere naturam humanam peccatricem, eo quod ideo nulla positiva ignominia redundasset in ipsum Verbum, aut Christum, quæ illum merito contemptibilem reddidisset, præsertim quia hac ratione potuisset manifestari misericordia, potentia &c. DEI. Id tamen facile admitto, Christo convenientius, & magis honorificum fuisse, quod habuerit naturam innocentem, & ex Matre immaculata natus sit.

586 Major est controversia de humanitate Christi ut unita Verbo, de qua varia quæri possunt. 1. An humanitas Christi habuerit potentiam proximam peccandi in sensu composito unionis hypostaticæ, ita, ut peccatum cum hac unione potuisset conjungere? 2. An proxime potuerit peccare in sensu diviso, peccato destructivo unionis hypostaticæ, id est, an, postquam Verbo jam fuit unita, hanc unionem peccando iterum potuerit perdere, ferme sicut justus potest peccare, & sic iterum perdere gratiam sanctificantem? 3. An saltem proxime potuerit peccare in sensu diviso, peccato impeditivo unionis hypostaticæ, in quantum nempe in signo priori naturæ ad unionem hypostaticam habuisset libertatem ad peccandum, & sic potuisset facere, ut hæc unio non existeret, ferme sicut peccator in illo instanti, quo habet actum primum proximum liberum ad eliciendam contritionem perfectam hic & nunc præceptam, potest omittendo contritionem facere, ne acquirat gratiam sanctificantem?

587 Porro controversiæ istæ non tantum versantur circa ipsam impeccabilitatem proximam humanitatis, sed etiam circa illius causam. Nam quidam Nominales cum Scotistis, licet admittant, quod humanitas Christi fuerit impeccabilis propter visionem beatificam, eximias gratiæ dotes, & specialem DEI protectionem, quia tamen putant, absolute fieri potuisse, ut

ut DEUS naturæ humanæ unionem hypoſtaticam ſine dictis donis concederet, inde inferunt, pariter abſolute contingere potuiſſe, ut humanitas Verbo unita in tali caſu haberet potentiam proximam peccandi, imo reipſa peccaret etiam in ſenſu compoſito unionis hypoſtaticæ. Dixi: abſolute; quod enim unioni hypoſtaticæ ſaltem naturaliter, & de congruo viſio beatifica, gratia ſanctificans, aliaque dona peccatum impedientia debeantur, non negant. Ex quibus intelligis ſtatum præcipuarum in hac diſputatione quæſtionum, quæ, ſicut ad explicandam Chriſti libertatem, aliaque Religionis myſteria plurimum conferunt, ſic accuratiorem diſcuſſionem merentur; prius tamen contra num. 585.

588 Dices 1. Si humanitas Chriſti pro tempore priori ad unionem hypoſtaticam peccaſſet, per totam æternitatem naturæ Verbo unitæ potuiſſet exprobrari, quod peccaverit; atqui hoc poſitive dedeceret, quia unio hypoſtatica ſummam inducit ſanctitatem. Conf. In tali caſu ipſum Verbum per communicationem idiomatum poſſet dici peccaſſe, ut patet in hoc ſyllogiſmo: Hic homo peccavit: hic homo eſt Verbum: ergo Verbum peccavit. Reſp. Conc. maj. neg. min. Quamvis in hoc caſu poſſet dici, quod natura, quæ eſt Verbo unita, peccarit; & quod Verbum aſſumpſerit naturam peccatricem, nunquam tamen poſſet dici, quod peccaverit ipſum Verbum, aut ſuppoſitum, Chriſtus; unio autem hypoſtatica ſanctitatem ſolum inducit poſt ſe, non ante ſe. Ad conf. neg. ant. Quia communicatio idiomatum non datur inter diverſa ſuppoſita; atqui ſi natura humana exſtitiſſet tempore ante unionem hypoſtaticam, tunc fuiſſet merum ſuppoſitum humanum; poſt aſſumptionem vero Divinum. Hinc ſyllogiſmus additus non concludit ob mutationem ſuppoſitionis in termino, hic homo.

589 Dices 2. Saltem in humanitate ita aſſumpta potuiſſet manere 1. reatus culpæ, 2. reatus pœnæ, 3. habitus

bitus vitiosus, quem prius contraxisset. Resp. ad 1. negative, quia humanitas mediante unione hypostatica fuisset sanctificata, & quidem in genere sanctitatis participatæ infinite. Ad 2. ob rationem primum datam aliqui cum Vasquio iterum respondent negative; Suarius tamen, & Lugo existimant, quod absolute potuisset manere reatus aliquis pœnæ temporalis, qui non est culpa, sed effectus peccati, & obligatio solvendi pro culpa præterita; sicut enim, inquiunt, DEUS data unione hypostatica non est metaphysice necessitatus ad dandam statim visionem beatificam, ita neque ad remittendum statim omnem reatum pœnæ. Ad 3. transmitto sequelam, præsertim si habitus nihil aliud dicat, quam species certo modo coordinatas, repræsentantes delectationem aliquando habitam. Interim hic habitus non videtur esse vitiosus; nam hic in sensu stricto debet esse facilitas ad peccandum: hæc autem facilitas in humanitate unita non amplius dari posset.

QUÆSTIO II.

An humanitas Christi potuisset peccare in sensu composito unionis hypostaticæ?

590 Dicendum. Humanitas Christi per unionem hypostaticam immediate, & formaliter facta est absolute impeccabilis in sensu composito unionis hypostaticæ. Ita contra Scotistas, & quosdam Nominales communissima aliorum, ex quibus aliqui sententiam oppositam gravibus censuris perstringunt. Prob. 1. ac præcipue auctoritate Patrum. S. Dionys. Alexandrin. in epist. ad Paul. Samosaten. ait: *Nisi Christus fuisset idem, qui erat DEUS Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi; nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus.* S. Ambros. Apolog. 2 David cap. 4: *Nemo sine peccato, nisi unus DEUS.* Si igitur

tur non potest non esse DEUS, qui DEI Filius est, utique DEI Filius arbiter justitiæ est, non obnoxius culpæ. S. Anselm. lib. cur DEUS homo cap. 10: *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo, secundus non potuit, quia DEUS est* S. Augustin. lib. 3 contra Maximin. cap. 24: *Natura humana, qualem Christus assumpsit - - - nullo modo potuit depravari; est ergo impotens ad peccatum ratione unionis.* S. Rupert. lib. de Trinit. cap. 7: *Humanitas Christi per assumptionem facta est creatura talis, quæ peccare non solum nollet, verum etiam non posset.*

591 Ex quibus colliges 1. Quod Patres, dum Christum dicunt esse impeccabilem, non tantum loquantur de impeccabilitate Divinitatis; nam expresse loquuntur de natura humana, & Christum a Verbo contradistinguunt. Præterea multi ex Patribus egere contra Apollinarem, ut ostenderent, Christum, etsi assumpserit naturam humanam, tamen non assumpsisse peccatum. 2. Quod non tantum locuti sint de impeccabilitate naturali, vel juxta legem ordinariam; loquuntur enim de tali impeccabilitate, quæ oritur ex unione hypostatica, & nulli puræ creaturæ competere potest. Imo ajunt, tam impossibile esse, ut Christus peccet, quam impossibile est, ut non sit DEUS, vel ut peccet Pater, & Spiritus S. 3. Quod impeccabilitatem Christi refundant in ipsam unionem hypostaticam, & sanctitatem increatam Verbi, adeoque per unionem hypostaticam natura humana non redditur impeccabilis tantum radicaliter, exigitive, & dispositive, sed formaliter, & immediate. Hinc Synodus VI action. 8 ait, quod *Voluntas Christi per ipsam assumptionem facta sit impeccabilis.*

592 Prob. Conclusio 2. Humanitas Christi per unionem cum sanctitate increata fuit sanctificata summe, & suo modo infinite: ergo neque de absoluta potentia peccare potuit in sensu composito unionis hypostaticæ, sed hæc unio absolute fuit incomposibilis cum omni peccato tam actuali, quam habituali, etiam

præscin-

præscindendo a gratia sanctificante, & visione beatifica; alias sanctitas participata non fuisset summa, & insuper sequeretur, quod eadem humanitas potuisset simul esse summe sancta, & peccatrix, simul summè pulchra, & amabilis, ac simul fœdata, & odibilis. Conf. Quia nostra sententia dignius sentit, & loquitur de Christo, in adversa autem debent admitti propositiones ad minimum valde difficiles e. g. quod Christus potuisset se reum facere æternæ damnationis, blasphemare Patrem Divinum, & quodvis gravissimum scelus perpetrare.

Objectiones.

593 Obj. 1. S. Paul. ad Hebr. 4 v. 26 ait: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus* &c. ergo tantum fuit decens, & congruum, non autem absolute necessarium, ut Christus esset impeccabilis. Conf. SS. Patres sufficienter refutarunt errorem Apollinaris, dicendo, quod anima rationalis Christi non potuerit peccare connaturaliter, & de lege ordinaria. Sic S. Fulgent. lib. 3 ad Trasim. cap. 29 ait: *Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ Divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit.* Resp. Conc. ant. neg. conc. τὸ decebat in textu objecto tantum appellat supra existentiam Pontificis, qui esset sanctus, innocens &c. non vero supra sanctitatem, & innocentiam; nam ex supposito, quod Christus existat, necesse est, ut omnis peccati sit incapax, sicut ex hac hypothesi necesse est, ut sit *Excelsior cælis*, quemadmodum ad verba citata addit S. Paulus. Ad conf. Patres Apollinarem longe efficacius refutarunt, dicendo, Christum absolute peccare non potuisse, idque verbis sat claris asserunt. S Fulgentius τὸ naturaliter sumit pro necessitate absoluta; alias impeccabilitas ipsi DEO tantum esset naturalis.

Dices;

594 Dices. SS. Patres, nominatim Hieron. in Tract. de filio prodigo, & Ambroſ. lib. 3 de Spir. Sancto docent, ſolum DEUM eſſe, in quem non poteſt cadere peccatum; ergo Patres inter impeccabilitatem DEI, ſeu perſonæ Divinæ, & naturæ humanæ non inſtituunt adæquatam paritatem. Confirm. Licet humanitas a Verbo aſſumpta peccaret, ideo Verbum non poſſet denominari peccator, quia communicatio idiomatum non datur quoad ea, quæ imperfectionem important, & ſuppoſito diſconveniunt. Reſp. Diſt. ant. Juxta SS. Patres ſolus DEUS eſt impeccabilis eſſentialiter, & per identitatem, conc. ant. abſolute, & per unionem, neg. ant. & diſt. conſ. Non inſtituunt adæquatam paritatem quoad abſolutam impotentiam peccandi, neg. conſ. quoad modum, & perfectionem, ex qua hæc impotentia oritur, conc. conſ. Tam humanitas Verbo unita, quam Verbum Divinum eſt intrinſece impeccabile, ſed illa tantum per unionem, & impeccabilitatem participatam: hoc per eſſentiam, & identitatem. Ad conf. neg. ant. Mors, & paſſio etiam ſunt aliqui defectus, qui Verbo diſconveniunt, & tamen per communicationem idiomatum tribuuntur Verbo, ut humanitatem terminanti.

595 Obj. 2. Ex una parte peccabilitas eſt proprietas naturæ humanæ, fundata in imperfectione intellectus, & voluntatis creatæ: ex altera parte natura humana Chriſti fuit ejuſdem rationis cum noſtra, neque eſt magis perfecta poſt unionem, quam ſine illa: ergo Verbum cum natura humana aſſumpſit peccabilitatem. Conf. Chriſtus fuiſſet laudabilior, ſi potuiſſet peccare, & tamen non peccaſſet: ergo. Reſp. Tranſ. ant. diſt. conſ. Verbum cum natura humana aſſumpſit peccabilitatem remotam, conc. conſ. proximam, neg. conſ. Licet potentia remota peccandi cum natura humana ſit identificata, neque illa per unionem cum Verbo fuerit reddita perfectior eſſentialiter, fuit tamen per unionem reddita perfectior ſub-

ſtantia-

ſtantialiter, & ſumme ſancta, ita, ut hæc unio omne peccatum excludat, ſicut juxta adverſarios excludit viſio beatifica. Ad conf. neg. ant. Poſſe peccare, & non peccare eſt quidem laudabile in ſubjecto, quod aliunde capax eſt peccati: at hæc laudabilitas eſt ſolum reſpectiva, & imperfecta; hinc DEUS eſſet minus laudabilis, ſi poſſet peccare, quia id argueret defectum rectitudinis, & ſanctitatis.

596 Dices. Unio cum Verbo ab humanitate Chriſti non excludit imperfectiones phyſicas, uti ſunt, poſſe pati famem, ſitim, mortem &c. ergo neque potentiam proximam peccandi; cum DEO non minus repugnet imperfectio phyſica, quam moralis. Conf. Quæ ſunt in diverſis ſubjectis, non ſunt inter ſe impoſſibilia; ſed unio hypoſtatica, & peccatum habent diverſa ſubjecta; nam unio hypoſtatica recipitur in tota humanitate, peccatum in ſola voluntate. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Alias imperfectiones phyſicas ipſum Verbum aſſumere voluit, & in hac vita humanitati nihil tribuit, quod illas excluderet. At a primo conceptionis inſtanti humanitati tribuebat ſummam ſanctitatem, quæ cum peccato ſtare non poteſt. Aliud eſt, quod imperfectiones phyſicæ DEO repugnent in propria ſua natura, cum ſit eſſentialiter in omni genere infinite perfectus. Ad conf. tranſ. maj. neg. min. & ſuppoſitum, quod voluntas, & anima inter ſe diſtinguantur, diſtinctione nempe reali; ſi enim realis non eſt, ipſa major negatur. Cæterum an unio hypoſtatica excludat peccatum ut quod, vel tantum ut quo, dependet ab eo, quomodo humanitatem ſanctificet. Vide num. 552.

597 Obj. 3. Humanitas Chriſti habuit potentiam remotam peccandi: ergo etiam potuit habere proximam; nam DEUS illi potuit offerre concurſum indifferentem, ſicut talem concurſum poteſt offerre juſto, etſi gratia habitualis ponatur eſſentialiter incompoſibilis cum peccato. Conf. Chriſtus fuit tentatus a Diabolo; ergo habuit potentiam proximam pec-

peccandi. Resp. Conc. ant. dist. cons. Potuit habere potentiam proximam peccandi in sensu composito cum unione hypostatica, neg. cons. in sensu diviso, subdist. in signo priori ad unionem hypostaticam, trans. cons. in signo posteriori, neg cons. Ex supposito, quod unio hypostatica aliquando existat, est essentiale impedimentum peccati; ergo cum illa non potest componi potentia peccandi proxima in sensu composito unionis, aut in signo ad unionem posteriore, ut magis intelligetur ex dicendis, ex quibus etiam manifeste patebit disparitas cum gratia sanctificante. Interim ad cons. conc. ant neg. cons. Quia, ut S. Gregor. Homil. 16 in Evang. ait, *Christus a Diabolo tentari quidem potuit, sed mentem ejus peccati delectatio non momordit, adeoque omnis illa tentatio Diabolica foris, non intus fuit.*

593 Quæres. An humanitas Christi in sensu composito unionis absolute habere potuisset peccatum originale, aut fomitem peccati? Resp. ad 1 negative, quia summa sanctitas non minus excludit peccatum originale habituale, quam peccatum habituale personale. Imo humanitas ut unita Verbo ne quidem potuit includi pacto, quod DEUS cum Adamo iniit, cum actio peccaminosa Adami non potuerit esse actio peccaminosa humanitatis, ut subsistentis persona Verbi. Ad 2. Vel per fomitem peccati intelligitur appetitus sensitivus, ut connotans subjectum proxime capax peccati, vel præcise appetitus expeditus ad præveniendam rationem per actus tendentes in objectum dedecens? Si primum, constat ex dictis, fomitem peccati in humanitate unita absolute dari non potuisse: si secundum, existimat Lugo, non posse ostendi absolutam repugnantiam, eo quod illi actus antecedenter ad consensum voluntatis non sint culpabiles, sed naturales; sicut e. g. ferocitas in equo. Interim ejusmodi motus nunquam actu in Christo exstitisse, diximus num. 132.

QUÆSTIO III.

An humanitas Christi absolute potuisset peccare in sensu diviso consequenter ad unionem hypostaticam peccato illius destructivo!

599 Dicendum. Humanitas Christi consequenter ad unionem hypostaticam fuit absolute impeccabilis etiam in sensu diviso. Ita contra Hurtad. Arriag. Viva &c. longe communior. Prob. 1. Humanitas Christi, postquam Verbo fuit unita, neque amplius potuit peccare in posteriore signo, neque in posteriore instanti: ergo. Ant. quoad 1 memb. patet; si enim peccatum tantum esset in posteriore signo ad unionem hypostaticam, in eodem instanti cum illa conjungeretur, quia unio in eodem indivisibili instanti non posset simul existere, & per peccatum destrui. Prob. ergo ant. quoad 2 memb. Humanitas Christi juxta SS. Patres per unionem hypostaticam absolute facta est impeccabilis; atqui non esset facta absolute impeccabilis, si aliquo tempore post acceptam unionem iterum potuisset peccare, & unionem destruere. Nam licet justus de absoluta potentia non posset peccare in sensu composito gratiæ sanctificantis, nemo tamen dicit, quod sit simpliciter impeccabilis, eo quod adhuc peccare possit in sensu diviso, peccato destructivo gratiæ.

600 Prob. 2. Humanitas Christi per sanctitatem increatam sibi unitam fuit sanctificata summo, adeoque tam perfecto modo, ut in genere sanctitatis participatæ non potuisset perfectius sanctificari: ergo fuit ita sanctificata, ut consequenter ad unionem hypostaticam non amplius potuerit peccare, & sic priorem sanctitatem amittere. Neque enim sanctitas tam perfecta implicat, & si datur, est perfectior, quam alia, quæ humanitatem Christi non ita sanctificaret. Sane unio hypostatica est multo perfectior, quam

quam visio beatifica, quæ tamen, utpote necessario perpetua, nullo amplius peccato potest amitti. Conf. ex S. Hilar. qui lib. 10 de Trinit. ait: *Homo Christus JEsus, & in veritate nativitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati, dum Christus est; quia, & qui homo est, non potuit non esse, qui natus est: & qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus est.* Quibus verbis S. Pater docet, Christum tam parum unionem hypostaticam potuisse amittere, quam parum, postquam homo factus est, potuit esse non homo.

601 Dixi, humanitatem Christi consequenter ad unionem hypostaticam fuisse impeccabilem absolute. Quod autem multo magis fuerit impeccabilis naturaliter, colligitur tum ex eo, quia unio ex natura sua habuit perpetuitatem, utpote pertinens ad statum termini, sicut visio beatifica, & lumen gloriæ: tum ex eo, quia connaturaliter prius est subsistere, quam operari, adeoque unio hypostatica pro priori naturæ connaturaliter fuit requisita ad omnem operationem humanitatis. Ex quibus aliqui nostram conclusionem confirmant; quippe hac ratione omnino ad Verbum Divinum videbatur pertinere, ut humanitatem sibi unitam modo speciali, & excellentiore, quam DEUS alios justos, regeret, eamque ab omni peccato præservaret; cumque unio hypostatica naturaliter sit indestruibilis, videtur sine miraculo fieri non posse, ut humanitas unionem acceptam iterum destruat; DEUS autem ipse foret causa per se hujus miraculi, quo humanitas peccaret.

Objectiones.

602 Obj. 1. DEUS etiam consequenter ad unionem hypostaticam manet supremus Dominus humanitatis Christi: ergo potest illi offerre concursum indifferentem v. g. ad amorem, & odium, & saltem de potentia absoluta permittere peccatum. Conf. Mo-

do humanitas unionem hypoſtaticam non poſſit amittere naturaliter, jam eſt impeccabilis, nec amplius datur paritas cum aliis juſtis, qui ſine miraculo peccare, & gratiam habitualem perdere poſſunt. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Ergo poteſt illi offerre concurſum indifferentem potentia antecedente, in quantum humanitati unionem hypoſtaticam antecedenter potuit negare, vel concedere, conc. conſ. potentia ipſam unionem conſequente, neg. conſ. Poſtquam DEUS ſtatuit humanitati dare unionem hypoſtaticam, eamque ſumme ſanctam, & impeccabilem reddere, non amplius ad ſupremum illius dominium pertinet, ut illi offerat concurſum indifferentem, ſicut homini ſuppoſita ſua promiſſione, & meritis non amplius poteſt negare gloriam, licet hoc potuiſſet antecedenter vi ſupremi dominii. Ad conf. neg. ant. Tum quia Patres docent, humanitatem Chriſti eſſe abſolute impeccabilem, tum quia etiam juſti non poſſent dici impeccabiles abſolute, modo per miraculum deficere, & peccando gratiam deſtruere poſſent.

603 Dices. Poteſt DEUS humanitati jam unitæ in inſtanti poſteriore dare actum primum proximum liberum, e. g. ad eliciendum amorem, ita, ut, ſi illa amorem eliciat, propter hunc actum DEUS velit conſervare unionem, ſecus vero illam deſtruere: ergo eidem humanitati poteſt dare potentiam liberam ad peccandum, vel non peccandum. Conf. Poteſt DEUS ſub dicta conditione amorem præcipere; ergo ſi humanitas ad illum eſt libera, etiam eſt libera ad peccandum, vel non peccandum. Reſp. Tranſ. ant. neg. conſ. Poteſtas amandi, vel non amandi non repugnat impeccabilitati, aut ſanctitati participatæ; poteſt enim aliquis elicere amorem ſupererogatorium, & non præceptum, adeoque eundem amorem ſine peccato omittere: econtra potentia proxima peccandi opponitur abſolute impeccabilitati, & ſummæ ſanctitati, ut probavimus. Hinc ad conf. dico, DEUM

DEUM in tali casu vel actum amoris non posse ita præcipere, ut sine peccato nequeat omitti; vel humanitatem unitam non habere potentiam proximam illum omittendi. Neque dicas, humanitatem posse petere dispensationem; nam licet tali modo conservatio unionis dependeret a præcepto, ideo non deberet dari libertas ad peccandum.

604 Obj. 2. Forma non potest tribuere suum effectum formalem, quando non existit: atqui unio hypostatica in illo instanti, in quo destruitur, non amplius existit: ergo non potest dare suum effectum formalem, consequenter humanitatem non potest reddere sanctam, & impeccabilem pro instanti sequenti. Conf. Unio hypostatica humanitatem non reddit impeccabilem pro tempore præcedente unionem: ergo neque pro tempore subsequente. Resp. Dist. maj. Forma suum effectum formalem non potest dare formaliter, quando non existit, conc. maj. non potest illum dare exigitive, neg. maj. Utique unio existens in instanti A necdum humanitatem formaliter denominat sanctam pro instanti B, attamen exigit, ut etiam in instanti B sit sancta, & peccare nequeat; sicut visio beatifica exigit, ut homo etiam in futurum maneat beatus, & visionem beatificam non amplius perdere valeat. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Forma, quæ nunquam adhuc exstitit, nullam potest habere exigentiam, neque ullam tribuere denominationem; at unio aliquando existens denominat humanitatem summe sanctam, & impeccabilem, adeoque exigit, ut nunquam amplius possit peccare.

605 Dices. Sicut nullum aliud ens creatum, sic unio hypostatica non est essentialiter indestruibilis: ergo postquam humanitas illam jam accepit, de absoluta potentia posset a DEO destrui; atqui sic humanitas consequenter ad unionem hypostaticam posset habere potentiam proximam peccandi: ergo. Conf. Si unio hypostatica humanitatem ita confirmaret in san-

ctitate, ut nunquam amplius per absolutam potentiam posset destrui, sanctitas illius esset perfectior: ergo. Resp. Transmisso enthym. dist. min. subsumpt. Sic humanitas consequenter ad unionem posset habere potentiam proximam peccandi mediate, etsi unio aliunde ponatur destructa, conc. min. immediate, atque ita, ut ipsamet unionem possit per peccatum destruere, neg. min. Si ipse DEUS unionem libere destrueret, unio non amplius exigeret impeccabilitatem humanitatis, sed hæc evaderet suppositum mere humanum, idque sine præjudicio sanctitatis increatæ. Ad conf. neg. suppositum, quod hæc perfectio sit possibilis; præjudicaret enim infinitæ perfectioni, & summo DEI dominio, quemadmodum ipsum argumentum supponit.

606 Obj. 3. Sanctitas, & impeccabilitas tantum excludunt illum defectum, qui humanitatem constituit dignam odio, & displicentia Divina: atqui hoc non facit potentia proxima peccandi, cum in se nec peccatum sit, nec malum morale: ergo. Conf. Unio hypostatica ab humanitate non excludit absolute actus objective, & materialiter malos, ut indicavimus num. 598: ergo a pari. Resp. Neg. maj. Sed etiam excludit potentiam proximam ad ejusmodi defectus; alias, quiscunque non peccaret, posset dici simpliciter impeccabilis, & etiam Beati possent habere potentiam proximam peccandi. Ad conf transf. ant. neg. conf. Actus materialiter mali in Christo non arguerent defectum sanctitatis, sed scientiæ; incapacitas enim ad actus materialiter malos etiam in DEO non provenit formaliter ex sanctitate Divina, sed ex summa ipsius sapientia, excludente omnem ignorantiam, & errorem, ob quem Christus quoque, cujus rationi omnes appetitus perfectissime subordinati erant, naturaliter nullos tales actus habere potuit.

607 Dices. Ideo unio hypostatica non excludit potentiam remotam peccandi, quia DEO non displicet: ergo

ergo ob eandem rationem non excludit potentiam proximam peccandi. Conf. Verbum absolute potuisset uniri humanitati, quæ prius peccasset: ergo multo magis potest esse unitum humanitati, habenti potentiam proximam ad peccandum. Quippe pejus est peccasse, quam posse peccare; & peccatum præteritum longe magis est odibile, quam potentia peccandi. Resp. Dist. ant. Ideo solum, neg. ant. simul ideo, quia potentia remota peccandi non potest tolli, cum sit ipsa entitas humanitatis, conc. ant. & neg. conf. Potentia proxima peccandi ab humanitate potest, adeoque debet tolli, quia sanctitas increata illam perfectissime sanctificat. Ad conf. conc ant. neg. conf. Licet aliquo modo major sit imperfectio peccasse, quam posse peccare, tamen unio hypostatica non habet tantam oppositionem cum peccato præterito, quantam habet cum potentia proxima peccandi, ut ex dictis patet. Adde, quod peccatum præteritum nunc proprie non amplius sit malum, hinc solum ideo est detestabilius, quia pejus malum fuit, non quia nunc adhuc est.

QUÆSTIO IV.

An humanitas Christi absolute potuisset peccare in sensu diviso antecedenter ad unionem hypostaticam peccato illius impeditivo?

Dicendum. Humanitas Christi in primo instanti 609 unionis hypostaticæ pro priori signo naturæ de potentia absoluta potuisset peccare, & sic facere, ne data fuisset unio hypostatica. Conclusio est contra multos, & graves Auctores, defenditur tamen ab Ulloa, Arriaga, Viva, Valentia, aliisque Recentioribus. Prob. Potuit DEUS naturæ humanæ in primo instanti exi-

ſtentiæ ſuæ præcipere opus bonum e. g. charitatis erga DEUM, eidem dare actum primum proximum liberum ad charitatem eliciendam, vel omittendam, ac denique unionem hypoſtaticam decernere ſub conditione boni operis per ſcientiam mediam præviſi, ita, ut humanitas unionem hypoſtaticam obtineret, ſi opus præceptum poneret, & illam non obtineret, ſi peccaret: ergo unio hypoſtatica pro poſteriori ſigno conferenda eſt conjungibilis cum potentia proxima peccandi, exiſtente in ſigno priori, quin ideo debeat, aut poſſit conjungi cum ipſo peccato; quippe ſi humanitas peccaret, unio pro toto illo inſtanti reali nunquam exſtitiſſet. Conf. Angeli juxta communem doctrinam in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ habuerunt gratiam ſanctificantem, & tamen pro priori naturæ peccando illam potuiſſent impedire: ergo.

609. Conſequentia ſuperioris diſcurſus videtur patere. Antecedens tamdiu manet in poſſeſſione, donec oſtendatur abſoluta repugnantia. Nam 1, licet unio hypoſtatica humanitatem perfectiſſime ſanctificet, & impeccabilem reddat, hunc tamen ſuum effectum non debet tribuere pro priori ſigno naturæ, in quo unio nondum exiſtit, ferme ſicut non debet humanitatem reddere ſanctam, & impeccabilem pro inſtanti priori, in quo nondum exiſtit. 2. Unio in caſu poſito eſſet primum in ſigno poſteriore ad libertatem peccandi: ergo, licet eſſentialiter opponatur peccato, non tamen opponitur potentiæ proximæ peccandi; ſic actus charitatis, vel gratia ſanctificans eſſentialiter excludunt peccatum, quin ideo excludant potentiam proximam peccandi, imo qui actus charitatis libertatem conſequitur, ne quidem illam poteſt excludere, alias effectus excluderet ſuam cauſam. 3. Sicut perfectioni ſanctitatis, & impeccabilitatis, quam unio hypoſtatica humanitati tribuit, non repugnat, quod unio ſimpliciter potuiſſet non exiſtere, ſic eidem non repugnat,

gnat, quod unio antecedenter potuisset per peccatum impediri.

Dixi 1. In primo instanti unionis hypostaticæ; quid de reliquis instantibus sit sentiendum, patebit ex sequentibus. 2. Pro priori signo naturæ, in qua adhuc datur præcisio tam ab unione, quam ejus negatione, quia neutra potest potentiam proximam peccandi constituere; alias vel unio cum sua negatione, vel cum ipso peccato deberet conjungi. 3. De potentia absoluta; quod enim casus a nobis positus non sit possibilis naturaliter, facile admitto, eo quod connaturaliter prius sit subsistere, quam operari. 4. Dependenter a scientia media, qua videlicet DEUS præviderat: Si hæc humanitas (secundum se spectata, & præscindendo ab unione) haberet hanc libertatem ad amandum, amaret; quam scientiam mediam directam Patroni nostræ sententiæ ultro in DEO admittunt, ut etiam has duas reflexas: Si viderem, hanc humanitatem consensuram his auxiliis, & elicituram amorem, conferrem illi unionem hypostaticam; Item: Si viderem, hanc humanitatem his auxiliis dissensuram, & amorem omissuram, non conferrem illi unionem hypostaticam. 610

Objectiones.

Obj. 1. SS. Patres docent, humanitatem Christi simpliciter, & absolute fuisse impeccabilem: ergo nunquam potuit habere potentiam proximam peccandi; nam esse impeccabilem, & non posse peccare, sunt synonima. Conf. Repugnat communi persuasioni fidelium, & rectæ rationi, simul esse DEUM, & potentem peccare: ergo. Resp. Dist. ant. Humanitatem Christi simpliciter, & absolute fuisse impeccabilem per essentiam, neg. ant. per unionem, conc. ant. & neg. conf. Patres impeccabilitatem humanitatis refundunt in unionem hypostaticam, adeoque plus non volunt, quam quod sit impeccabilis impec- 611

cabilitate unionem consequente, quæ est impeccabilitas simpliciter, & absolute talis, quia ex suppositione unionis hypostaticæ absolute, & simpliciter impossibile fuit, humanitatem adhuc peccare sive peccato destructivo, sive non destructivo unionis. Ad conf. dist. ant. Repugnat communi persuasioni, & rectæ rationi, simul esse DEUM, & posse peccare potentia consequente, conc. ant. potentia antecedente, neg. ant. & conf. Potentia antecedens peccandi non dedecet Christum, quia unio hypostatica ideo nunquam cum peccato, sed tantum cum victoria peccati potuit conjungi; si enim humanitas peccasset, a Verbo non fuisset assumpta.

612 Dices 1. Potest dari sanctitas tam perfecta, quæ excludat potentiam proximam peccandi tam antecedentem, quam consequentem: ergo cum sanctitas Christi fuerit summe perfecta, exclusit etiam potentiam peccandi antecedentem. Conf. Impeccabilitas consequens est tantum impeccabilitas secundum quid; sic, licet prædestinatus consequenter ad prædestinationem non possit peccare, ideo non dicitur simpliciter impeccabilis. Resp. Dist. ant. Potest dari tam perfecta sanctitas increata, & per essentiam, conc. ant. creata, & participata per unionem, neg. ant. Sanctitas increata, cum sit DEO essentialis, utique excludit ab ipso omnem potentiam etiam antecedentem peccandi; quia autem sanctitas participata primum acquiritur mediante unione, se non extendit ad signa naturæ priora, sicut se non extendit ad instantia priora; cum utique DEO liberum fuerit unionem hypostaticam humanitati Christi conferre sub aliqua conditione. Ad conf. neg. ant. Si prædestinatus non dicitur simpliciter impeccabilis, tunc ideo, quia solum est impeccabilis peccato finali, & prædestinatio ipsi tantum est extrinseca. Interum non video, quare non possit dici simpliciter impeccabilis peccato finali, & impeccabilitate extrinseca.

Dices 2. Visio beatifica excludit omnem potentiam proximam peccandi etiam antecedentem: ergo multo magis unio hypostatica. Ant. prob. 1. Quia alias Beati nunquam essent securi de sua beatitudine. 2. Quia cum visione beatifica non potest dari judicium indifferens, quod objectum DEO displicens proponat ut eligibile. 3. Quia necessitat ad amandum DEUM super omnia. Resp. Neg. ant. Nam DEUS in primo instanti etiam posset alicui decernere beatitudinem sub conditione boni operis, sicut diximus de unione hypostatica; neque tamen Beatus posset esse solicitus de beatitudine perdenda, quia consequenter ad illam omnino esset impeccabilis. 2. Sicut in Christo simul potest dari scientia beata, & infusa, cognitio intuitiva, & obstractiva, sic in Beato absolute simul stare posset visio beatifica, & judicium indifferens, ita tamen, ut hoc solum constitueret libertatem ad peccandum, & actum liberum Beati dirigeret. 3. Hinc visio beatifica solum necessitat ad amandum DEUM consequenter; addit Lugo, etsi in visione beatifica daretur specialis repugnantia cum potentia peccandi, hanc ipsam tamen visionem absolute loquendo ab unione hypostatica esse separabilem. 613

Obj. 2. Summa sanctitas participata non potest stare cum periculo proximo peccati; hoc enim induceret prudentem metum, & anxietatem circa ultimum finem: atqui potentia proxima peccandi est periculum proximum peccati: ergo. Conf. Non potest pro eodem instanti reali, in quo datur unio hypostatica, dari peccatum: ergo nec potentia proxima peccandi. Resp. Dist. maj. Nisi hoc periculum jam supponatur ablatum in ipso instanti unionis, & quidem pro priori, transf. maj. secus, neg. maj. In eo instanti, in quo datur unio, libertas pro priori naturæ ponitur actu evitare peccatum per opus bonum; hinc unio hypostatica primum supervenit periculo jam depulso, ut adeo cum unione non amplius 614

plius possit conjungi metus prudens mali futuri. Imo licet potent a proxima peccandi dicat indifferentiam libertatis ad peccandum, ideo non statim est periculum proximum peccati, alias fere semper in tali periculo versaremur. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Peccatum redderet humanitatem moraliter malam, non item potentia proxima peccandi; hinc ista potest stare cum gratia sanctificante, etsi ponatur peccato esse essentialiter opposita.

615 Dices. Potentia proxima peccandi non potest stare cum aliquo essentialiter exclusivo peccati; sed unio hypostatica essentialiter excludit peccatum; hinc potentia proxima peccandi per ipsam negationem unionis hypostaticæ debet constitui. Conf. Peccatum est conjungibile cum potentia proxima peccandi, & hæc potentia juxta nos est conjungibilis cum unione: ergo peccatum esset conjungibile cum unione. Resp. Dist. maj. Si illud essentialiter exclusivum peccati sit antecedens, & inimpedibile a libero arbitrio, conc. maj. secus, neg. maj. & sic dist. min. conf. cum ratione addita. Quamvis decretum prædefinitivum, e. g. amoris præcepti, essentialiter excludat peccatum, quia tamen antecedenter est impedibile ab ipsa libertate creata, optime stat cum potentia proxima peccandi, & hæc neque per ipsum decretum, neque per ejus negationem potest, aut debet constitui; atqui etiam in nostro casu unio hypostatica ab ipsa potentia proxima peccandi potest impediri. Unde ad confirm. conc. ant. quoad 1 memb. dist. quoad 2dum. Unio est conjungibilis cum potentia proxima peccandi in omnibus circumstantiis, & præsente peccato, neg. ant. tantum in absentia peccati, conc. ant. & neg. conf. Retorsio est in decreto prædefinitivo, & gratia sanctificante.

616 Obj. 3. Natura humana non potest agere, nisi sit suppositata, & ultimato completa per aliquam subsistentiam; actiones enim sunt suppositorum: ergo humanitas Christi pro priori ad unionem hypostati-

cam nullum actum bonum, aut malum potuit elicere. Conf. Creatura non potest agere, nisi sit ubicata: ergo etiam nisi sit suppositata. Resp. Dist. ant. Non potest agere connaturaliter, nisi sit suppositata, conc. ant. absolute, neg. ant. & conf. Subsistentia non ita essentialiter complet naturam in ratione principii operativi, ut indispensabiliter pro priori naturæ requiratur, cum sufficiens vis, & potentia agendi detur in natura singulari, quam negatio unionis cum digniore certe non potest effective adjuvare. Additum axioma varie exponitur; Aristoteles per suppositum intellexit tantum naturam singularem: juxta alios solum vult, quod actiones tribuantur supposito tanquam subjecto denominationis, ad quod non est necessarium, ut existat pro priori naturæ ad actionem. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Quod creatura nequeat operari, nisi existat, nihil autem, quod existit, possit esse nullibi, per se patet. Dein aliud est, quod natura non possit agere, nisi sit ubicata, & suppositata, aliud, quod ubicatio, & subsistentia requiratur essentialiter pro priori; non enim desunt, qui docent, ubicationem ab ipsa re ubicata produci.

617 Dices 1. Vel humanitas Christi, quando operaretur, esset unita digniori, vel non? Si primum, ipsa unio Verbi se haberet pro priori, & ingrederetur actum primum proximum: si 2dum, humanitas solum subsisteret subsistentia creata Conf. Actus amoris juxta nos ab humanitate elicitus deberet esse Theandricus, & infiniti meriti; atqui non potest esse Theandricus, utpote actus solius naturæ humanæ: ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. quoad 1 memb. Nam licet unio cum Verbo daretur in illo ipso instanti, quo natura operaretur, non tamen daretur in illo signo priori, in quo natura operaretur. Ad conf. transf. maj. neg. min. Rationem additam dist. Esset actus solius naturæ humanæ tanquam principii elicitivi, conc. tanquam principii dignificativi, neg.

neg. Quando humanitas Chriſti in ſigno priori agit, actus iſte nondum quidem poteſt concipi, ut Theandricus; cum vero humanitas in ſigno poſteriore ſtatim uniatur Verbo, hæc ipſa actio Verbo tanquam principio dignificativo tribuitur. Unde vere eſt Theandrica, & a Verbo infinite dignificatur. Exemplum aliqui dant in gratia ſanctificante, quæ, licet primum hominis meritum ſubſequatur, juxta multos illud ita dignificat, ut ſit meritum condignum primi gradus gloriæ. Unde vis dignificandi actus naturæ humanæ longe majori jure tribui poteſt infinitæ dignitati Verbi.

618 Dices 2. Hæc actio naturæ humanæ eſſet ſupernaturalis, adeoque neceſſario ex gratia; atqui neque poteſt eſſe ex gratia habituali, quia hæc in ſigno priore conſtitueret filium adoptivum: neque poteſt eſſe ex gratia actuali, quia nullum opus poteſt eſſe in Chriſto, quod non habeat infinitum valorem. Conf. Unio hypoſtatica eſt principium omnis meriti: ergo non poteſt dependere ab actu meritorio præcedente. Reſp. Conc. maj. neg. min. quoad utrumque membrum. Filiatio adoptiva præter gratiam habitualem involvit carentiam filiationis naturalis, quæ in illo ſigno priori non datur; alias, cum in eodem inſtanti filiatio naturalis ſuperveniat, in hoc ipſo inſtanti ſimul daretur negatio, ſeu carentia filiationis naturalis, & filiatio naturalis. Dein hæc actio etiam poteſt procedere ex gratia actuali, ſimulque accipere valorem infinitum a dignitate Verbi, ut diximus num. ſuper. Ad conf. conc. ant. intellectum de principio dignificativo, diſt. conſ. Ergo unio hypoſtatica non poteſt dependere ab actu præcedente tanquam merito, conc. conſ. tanquam a conditione ad illam prærequiſita, neg. conſ. Ad veritatem noſtræ concluſionis non eſt opus, ut actio humanitatis ſit meritoria unionis hypoſtaticæ, ſed ſufficit, quod poſſit eſſe conditio ſine qua non.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Humanitas Christi de facto habuerit potentiam proximam peccandi peccato impeditivo unions hypostaticæ?

619 Si quæstio hæc auctoritate scholasticorum decidenda foret, causa finita esset; quippe nullum ex impressis inveni, qui affirmativam absolute teneat, quamquam illam, ut diximus, in hypothesi non pauci defendant, & pleraque principia pro eadem in thesi defendenda suppeditent; cæteri plerumque hanc quæstionem non multis impugnarunt, contenti dixisse, eam adversari Patribus. Interim illi favet P. Thyrsus Gonzalez tom. 3 select. disput. disput. 30, in cujus fronte hanc conclusionem ponit: Sentio, sine inconvenienti defendi posse, unionem hypostaticam essentialiter supponere scientiam mediam de observatione præcepti, & proin impediri posse ab humanitate. Nec desunt alii viri docti, qui hoc simpliciter propugnarunt, ut de P. Carregno testatus est P. Andreas Waibl in suis manuscriptis anno 1681, de P. Vargas P. Franciscus Schmalzgrueber, addens, hanc sententiam Romæ esse communem. Eandem Ingolstadii tradidit P. Jacob Spreng, & P. Joseph. Zwinger; Dilingæ P. Carolus Deuring, Oeniponti P. Josephus Biner.

620 Dicendum: Humanitas Christi de facto habuit potentiam proximam peccandi peccato impeditivo unionis hypostaticæ. Prob. 1. Christus secundum humanitatem habuit libertatem ad bonum, & malum; atqui hanc non habuit in sensu composito, aut consequenter ad unionem hypostaticam: ergo eandem habuit antecedenter, ita, ut per peccatum illam potuisset impedire. Min. constat ex dictis. Maj. prob. ex vaticinio Isaiæ cap. 7 vers. 14 & 15: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare.*

bare malum, & eligere bonum. Quem textum S. Basilius, Cyrillus, Hieron. Chrysost. aliique Patrum apud Cornel. a Lap. in hunc locum de discretione inter bona, & mala interpretantur, & ex illo Theologi communiter inferunt, quod humanitas Christi habuerit libertatem indifferentiæ ad eligendum hoc, vel illud bonum: ergo cum textus pari modo loquatur de reprobatione mali, recte concluditur, quod etiam habuerit libertatem indifferentiæ ad bonum, & ad malum. Conf. In Scriptura Christus sæpe laudatur, *quod iniquitatem non fecerit, nec fuerit dolus in ore ejus,* Isaiæ 53 v. 9. *Quod peccatum non fecerit,* Petr. 2 v. 22; atqui nemo proprie laudem meretur, quod abstinuerit ab eo, ad quod non habuit libertatem, sed qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum & non fecit.

621 Prob. 2. Ex una parte nostra conclusio nihil derogat dignitati, & perfectionibus, quæ Christo tribui debent: ex altera parte planissime conciliat impeccabilitatem, sanctitatem, & libertatem Christi: ergo. Ant. prob. quoad 1 memb. Quia libertas ad bonum, & malum præcise antecedens non est imperfectio moralis, & DEO displicens, sed tantum defectus proprius naturæ humanæ, in qua Christus nobis similis factus est per omnia absque peccato. Quoad 2 memb. idem antecedens patet ex eo, quia tali modo humanitas Christi potentia unionem hypostaticam antecedente fuit libera ad subeundam mortem, aliaque præcepta & consilia Divina implenda, adeoque per omnes actus, excepto ferme solo amore beatifico, infinite mereri potuit; in quibus explicandis adversarii nostri magnas patiuntur difficultates, ut patebit disput. seq. Conf. Quod homo habeat libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum, adeo ipsi non cedit in vituperium, ut potius inde summam mereatur laudem, quod libere malum vicet, & bonum operetur: ergo libertas antecedens ad

ad peccandum non dedecet humanitatem Christi, sed potius illius laudem, & gloriam summopere auget.

Declaratur, & prob. conclusio 3. Sicut DEUS per scientiam mediam prævidet, quid quælibet voluntas creata in quibuscunque circumstantiis esset libere actura, sic prævidit, quod humanitas, quam dein Verbum assumpsit, libere esset consensura omnibus auxiliis ipsi conferendis: ergo convenienter dicitur, quod huic humanitati decreverit unionem hypostaticam dependenter ab exercitio libertatis creatæ, ita, ut huic humanitati Verbum non univisset, si prævidisset, quod alicui auxilio esset dissensura. Quippe DEUS in hac providentia gratias suas non solet conferre absque delectu, & prævia dispositione subjecti, si hoc alicujus dispositionis sit capax, ut patet in hominibus adultis, qui ad gratiam sanctificantem se disponere debent. Idem Theologi cum S. Thoma docent de Angelis, quod nempe ex propria dispositione gratiam sanctificantem acceperint, quia hoc ipsis fuit gloriosius, & DEO convenientius, ne amicitiam suam quasi nolentibus, & negligentibus videatur obtrudere. Sane non est verisimile, quod DEUS Mariam fuisset assumpturus in Matrem Filii sui, si prævidisset, illam cum peccato dissensuram illis auxiliis, quæ ipsi postea collata fuere. 622

Objectiones.

Obj. 1. S. Scriptura Incarnationem passim adscribit misericordiæ, & gratiæ Divinæ: ergo DEUS unionem hypostaticam non decrevit dependenter ab exercitio libero humanitatis. Conf. Si natura humana unionem hypostaticam accepit absque prævia conditione, magis commendatur liberalitas DEI: ergo. Resp. Conc. ant. dist. conf. Unionem hyostaticam non decrevit dependenter ab exercitio libero tanquam merito, transf. conf. tanquam a pura conditione, sine qua illam huic humanitati non concessisset, 623

neg. conſ. Licet opera humanitatis ut ab unione, & dignitate Verbi præciſa non fuerint proprie motivum conferendi unionem hypoſtaticam, DEUS tamen illis pro ſua libera poteſtate collationem unionis ita alligavit, ut, niſi prævidiſſet, humanitatem hæc opera poſituram, eidem unionem hypoſtaticam negaſſet. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Non ſemper illud, quod magis eſt liberale, magis eſt decens, ut patet ex num. ſuper. Imo in noſtra ſententia liberalitas DEI videtur magis commendari, quia humanitati nihilominus unionem absque ſuo merito, ſimulque poteſtatem ad illam ſe diſponendi ex infallibili bonorum operum præſcientia conceſſit.

624 Dices. Quando Iſaias prædixit, quod Chriſtus ſciat reprobare malum, & eligere bonum, ſolum voluit indicare, quod non ſit futurus ſicut cæteri infantes rationis, & judicii incapax, ſed quod ſtatim ſit habiturus ſcientiam, qua inter bonum, & malum poſſit diſcernere; atqui ex hoc nil infertur pro libertate indifferentiæ ad malum: ergo. Conf. S. Petrus in epiſtola prima ſolum intendit hortari fideles ad patientiam, aitque, tunc glorioſum eſſe pati, quando quis patitur innocens, & ſine ſua culpa, ſicut Chriſtus, qui peccatum non fecit: ergo Chriſtum non laudat ideo, quia non peccavit. Reſp. Neg. maj. Propheta non ſolum loquitur de ſcientia Chriſti, quæ ad intellectum ſpectat, ſed etiam de reprobatione mali, & electione boni, quæ ad voluntatem, & libertatem pertinet; hinc ipſi adverſarii noſtri ex hoc textu ſolent probare libertatem Chriſti ad bonum. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. Quippe S. Petrus ſtatim ſubjicit: *Qui cum malediceretur, non maledicebat:* ergo Chriſtum ſimul laudat, quod non peccaverit.

625 Obj. 2. SS Patres paſſim docent, Incarnationem fuiſſe a DEO liberrime decretam, idque absque ullo exercitio libero creaturæ, ut ſæpius indicat S. Auguſtin. præſertim lib. de prædeſt. ſanct. cap. 15: ergo.

go. Conf. In re dogmatica non est recedendum a communi sententia Patrum; atqui nos recedimus: ergo. Resp. Conc. ant. quoad 1 memb. dist. quoad 2. Idque absque ullo libero exercitio, quod habet rationem meriti, conc. ant. quod habet rationem puri termini, & conditionis, sine qua non, neg. ant. & cons. Quando Patres dicunt, Incarnationem fuisse pure gratuitam, volunt commendare sublimitatem unionis hypostaticæ, quæ tanta est, ut nulla creatura illam potuerit mereri. Quidam illorum etiam agunt contra Photinum, qui dixit, humanitatem Christi tempore prius extitisse, & unionem meruisse. Interim juxta nos quoque DEUS Incarnationem liberrime decrevit, quia stante scientia media de consensu, quem humanitas auxiliis esset præbitura, illi unionem hypostaticam negare potuisset. Ad conf. conc. maj. neg. min. Patres docent quidem, quod Christus sit impeccabilis, & liber, modum autem explicandi Theologis relinquunt, quin eorum speculationibus se immiscuerint; imo potius nobis favent, ut patet ex dictis quæst. præced.

626 Dices. Nostra doctrina est nova, & nullo nititur solido fundamento. Nam 1 mera conjectura est, quod humanitas Christi ut præcisa ab unione hypostatica fuerit prævisa omnibus auxiliis consensura. 2. Etsi ponatur, ita prævisam fuisse, gratis dicitur, quod propterea DEUS unionem hypostaticam ita illi conferre decreverit, ut non contulisset, si prævidisset, quod vel unico auxilio esset dissensura, cum Verbum nihilominus sine dedecentia eandem assumere potuisset. Resp. Quamvis thesis nostra videatur esse nova, tamen in hypothesi illam docuerunt multi, & graves Auctores, quorum principiis hic insistimus, ut facilius explicemus libertatem Christi cum impeccabilitate conjunctam. Porro quod humanitas prævisa fuerit omnibus auxiliis consensura, persuadent singulares gratiæ, & dotes, quibus a DEO fuit exornata, & ipse eventus, de quo Christus

Joan. 8 v. 29: *Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Pariter magis decuit, & ad commendandam ſanctitatem DEI hominis melius ſervit, ſi dicatur, quod DEUS nullam aliam humanitatem voluerit eligere, quam quæ prævideretur omnibus auxiliis conſenſura.

627 Obj. 3. DEUS eſt perfectiſſime liber, etſi non poſſit eligere malum, ſed tantum hoc vel illud bonum; ergo ad ſalvandam libertatem Chriſti non debet adſtrui potentia ad peccandum. Conf. Libertas Chriſti non fuiſſet laudabilior, ſi natura humana potuiſſet peccare in ſenſu compoſito, aut peccato deſtructivo unionis: ergo neque ſervit ad ejus laudem, & gloriam, quod potuerit peccare peccato impeditivo unionis hypoſtaticæ. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Libertas in genere non quidem neceſſario involvit poteſtatem ad malum, quæ cum ſit aliqua imperfectio, & defectus, in DEO locum habere nequit. Aliud eſt de libertate creata, & meritoria, quam ipſa Scriptura ita Chriſto tribuit, ut illum laudet, quod peccatum non fecerit. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Niſi aliunde probaretur, quod humanitas Chriſti fuerit capax meriti, & peccati, conc. ant. ſecus, neg. ant. Humanitas ut præciſa ab unione non eſt incapax libertatis ad peccandum, nec probatur, quod DEUS hanc potentiam antecedenter in illa impedierit, ſicut per unionem hypoſtaticam impedivit poteſtatem peccandi conſequentem, & in ſenſu compoſito unionis.

628 Dices. Humanitas Chriſti antecedenter ad unionem hypoſtaticam non potuit connaturaliter operari: ergo ſufficienter conſtat, quod DEUS potentiam antecedentem peccandi in illa impediverit; neque hic gratis debet fingi miraculum, ut in Chriſto adſtruatur aliqua imperfectio. Conf. Si humanitas Chriſti pro priore ſigno ad unionem potuiſſet operari, DEUS non potuiſſet per ſcientiam mediam prævidere operationes Theandricas; hoc abſurdum: ergo.

ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Quod humanitas Christi multa habuerit supra communem modum naturæ, aliunde certum est; cum igitur ex ipsa Scriptura colligatur, quod potuerit mereri, & peccare, hoc autem ob illius impeccabilitatem difficulter, aut omnino non possit explicari, nisi dicatur, quod pro priori ad unionem operari potuerit, hoc miraculum non sine sufficiente ratione adstruitur. Porro potentia antecedens peccandi est tantum imperfectio negativa, & Christo ad maximam laudem servivit. Ad conf. dist. maj. DEUS per scientiam mediam non potuisset prævidere operationes Theandricas qua tales, & quatenus sunt infiniti valoris, conc. maj. operationes Theandricas, quæ sunt tales, & in ratione actionis liberæ, neg. maj. & sic dist. min. conf. Hæc scientia conditionalis: si Christus haberet auxilium A, poneret actum præceptum, non est contingens, sed necessaria, quia unio hypostatica ingreditur hypothesin, & actum præcepto oppositum essentialiter excludit.

Obj. 4. Nulla datur creatura, quæ omnibus auxiliis esset consensura, & cui DEUS non posset conferre gratiam mere sufficientem: ergo humanitas Christi non potuit prævideri omnibus auxiliis consensura. Conf. Prædestinatio justi sit prorsus gratuita sine respectu ad ipsius opera bona: ergo eodem modo facta est prædestinatio humanitatis ad unionem hypostaticam. Resp. Trans. ant. dist. conf. Non potuit prævideri consensura omnibus omnino possibilibus auxiliis, trans. conf. omnibus illis, quæ DEUS ipsi daturus erat, neg. conf. DEUS humanitati Christi nec voluit, nec potuit dare omnia auxilia possibilia, cum sint syncategorematice infinita, sed tantum certam illorum seriem, cui utique consentire potuit, & actu consensit. Ad conf. dist. ant. Prædestinatio exsecutiva, neg. ant. intentiva, subd. sine respectu ad opera bona absolute prævisa, trans. ant. conditionate prævisa, neg. ant. & eodem modo conf.

629

 Quan-

Quando DEUS humanitati decrevit unionem hypostaticam, id fecit ut directus a scientia media de illis actibus conditionate futuris, neque aliter unionem ipsi voluit conferre, nisi sub conditione bonorum operum, quæ elicitura esset; ferme sicut de prædestinatione dici solet.

630 Dices. Si DEUS unionem hypostaticam contulisset dependenter a scientia media, & sub conditione consensus, humanitas Christi potuisset impedire redemptionem humani generis: sequela est falsa: ergo. Conf. Juxta nos humanitas Christi simul potuisset esse in via consentiendo libere auxilio, & simul in termino, habendo unionem hypostaticam, & visionem beatificam. Resp. Neg. maj. Si enim hæc humanitas non fuisset prævisa consensura, DEUS aliam elegisset; unde ad summum potuit impedire, ne redemptio nostra fiat per hanc numero humanitatem. Ad conf. conc. sequelam. Quippe neutiquam impossibile, aut absurdum est, quod eadem humanitas in eodem quidem instanti, attamen pro diversis signis posset simul libere ad visionem beatificam se disponere, & illam acquirere; sicut juxta ipsos adversarios Christus simul potuit esse in via, nobis libere merendo beatitudinem, & simul in termino, beatitudinem possidendo.

DISPUTATIO IV.

De Libertate Christi.

631 Difficultatem hic ingredimur sane non levem, quomodo videlicet Christus potuerit esse simul impeccabilis, & liber, præsertim, si aliqui actus ipsi fuerint rigorose præcepti e. g. mors pro genere humano subeunda. Vel enim Christus hoc præceptum libere potuit transgredi, vel non potuit? si primum, potuit peccare: ergo non fuit impeccabilis, & perfectissime sanctus: si secundum, non fuit liber: ergo morien-

moriendo nil fuit meritus, cum libertas vel ſit conſtitutivum meriti, vel certe conditio ad meritum eſſentialiter requiſita. Ecce anguſtias, ex quibus dum multo labore ſeſe extricare conati ſunt Theologi, in varias vias diſtracti fuerunt. Mihi principia quæſt. præced. poſita faciliorem, ut ſpero, pandent exitum; quamquam non tam aliorum ſententias impugnare, quam meam propugnare ſit animus.

QUÆSTIO I.

An, & quænam præcepta Chriſtus habuerit?

632 Quod Chriſtus ut DEUS nullum habuerit præceptum, aut legem proprie talem, per ſe patet. Quippe omne præceptum, & lex debet procedere a ſuperiore; atqui Chriſtus ut DEUS nullum habuit ſuperiorem, ſed ipſemet erat ſupremus Dominus conſubſtantialis, & æqualis Patri. Ex hac ipſa proportionaliter ratione Chriſtus ut homo non fuit ſubjectus præceptis humanis, aut legi Evangelicæ. Nam 1. Chriſtus ut homo a Patre accepit poteſtatem Excellentiæ, dominium, & jurisdictionem in omnes homines: ergo non fuit ſubjectus hominibus, ne quidem S. Joſepho, aut Matri ſuæ. Licet enim ex lege naturali eos tenebatur colere, & honorare, proprie tamen non tenebatur eis obedire, ſed illis tantum ſponte ſubditus erat. 2. Legis Evangelicæ ipſe Chriſtus ut homo auctor fuit, eamque ſolum tulit pro hominibus pure viatoribus. Imo neque iſti prius Lege Evangelica obligabantur, quam poſtquam die Pentecoſtes Jeroſolymis promulgata fuit, a quo tempore Chriſtus jam in cœlos aſcenderat.

633 De Lege Moſaica ait quidem ipſe Chriſtus Matth. 5 verſ. 17: *Quod non venerit illam ſolvere, ſed adimplere.* Et Apoſt. ad Gal 4 v. 4: *Quod DEUS miſerit Filium ſuum ex muliere factum ſub lege.* Item cap. 5 verſ.

vers. 3: *Quod omnis circumcisus sit debitor universæ Legis;* at ex his solum infertur, quod Christus pondus legis sponte, & absque obligatione in se susceperit, circumcisio autem obligavit solos puros homines. Quippe lex Mosaica a DEO per Moysen data est populo Judaico, ejusque posteris, qui a suis progenitoribus per viam generationis ordinariam erant descensuri: ergo nullo modo comprehendit Christum, utpote de Spiritu S. conceptum, & de Virgine natum. Imo hic ipse erat finis Legis Mosaicæ, ut esset figura Christi, & homines ad ejus adventum disponeret: ergo non decuit Christum ut hominem illa lege obligari, quam ipse postea fuerat abrogaturus.

634 Nihilominus Christus ut homo obligatus fuit tum præceptis naturalibus, tum quibusdam positivis Divinis. De naturalibus colligitur ex eo, quia lex naturalis versatur circa ea, quæ ex intrinseca sua malitia ita opponuntur perfectionibus Divinis, ut DEUS illa necessario prohibeat, uti blasphemare DEUM, negare debitum honorem parentibus &c. ergo lex naturalis æque ligavit Christum ut hominem, quam alios homines. De legibus positivis probatur ex Scriptura. Sic Joan. 10 postquam Christus v. 17 dixit: *Ego pono animam meam...* vers. 18 subjungit: *Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Joan. 14 v. 3 loquens de imminente sua passione ajebat: *Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio.* Joan. 12 v. 49: *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & loquar.* Denique Psalm. 39 v. 8 sic de se ipso loquens inducitur: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEUS meus volui, & lex tua in medio cordis mei.*

635 Circa hæc facile conveniunt Auctores, an vero præcepta Christo imposita fuerint stricte, & rigorose talia, vel tantum latius dicta, disputant. Per præcepta rigorosa intelligunt illa, quæ obligant in conscientia sub reatu culpæ, vel etiam pœnæ. Præcepta latius

tius dicta vocant, quæ obligant tantum ſub conditione non conferendi alicujus boni indebiti. Differunt a conſilio, quia præceptum neceſſario eſt ordinatio, aut regula ſuperioris: conſilium autem etiam ab æquali, vel inferiore dari poteſt. Lis potiſſimum movetur de præcepto moriendi; an videlicet Chriſtus ad ſubeundam mortem ſtricte fuerit obligatus, an vero tantum ſub conditione non conferendi nobis gratiam, & remiſſionem peccatorum, niſi ipſe moreretur, quamquam huic præcepto absque peccato contravenire potuiſſet. Aliud eſſe, dicunt, de præceptis naturalibus, eo quod ex natura ſua in conſcientia obligent. Contra hoc ipſum tamen

636 Dices. Chriſtus fuit Filius naturalis DEI impeccabilis, & ſumme ſanctus: ergo non potuit rigoroſe obligari lege naturali. Nam 1. DEUS imponendo præceptum rigoroſum debuiſſet ita tendere: Volo, ut hoc facias, alias eris meus inimicus, reus culpæ, & pœnæ: atqui hic modus præcipiendi neque amori Patris, neque dignitati Filii naturalis convenit. 2. Per ſe eſt indecens, ut Filius naturalis regatur modo ſubditorum, & ſervorum. 3. Finis legis eſt, ne transgrediamur limites honeſtatis: *Quid igitur lex? propter transgreſſionem poſita eſt*, ad Gal. 3 v. 19; atqui Chriſtus non potuit transgredi limites honeſtatis: ergo. Reſp. Tranſ. ant. diſt. conſ. Ergo Chriſtus qua talis non potuit rigoroſe obligari, tranſ. conſ. Chriſtus qui eſt talis, ſubd. conſequenter ad unionem hypoſtaticam, tranſ. conſ. antecedenter, neg. conſ. Juxta nos præcepta non tam fuere injuncta Chriſto, quam ejus humanitati, quaſi adhuc ſejunctæ a Verbo, in quo ſigno humanitas necdum poteſt concipi ut impeccabilis, & Filius naturalis DEI: ergo nihil obſtat, quo minus in conſcientia ſub pœna, & culpa obligari, & more aliorum hominum regi potuerit.

637 Alii dicunt, ad præceptum rigoroſum non ſemper requiri vim coactivam formaliter talem, vi cu-

jus subditus quasi invitus ad observationem compellatur, sed sufficere vim directivam, consistentem in eo, quod per legem actus præceptus reddatur necessarius ad rectitudinem, & honestatem virtutis; cum igitur Christus peccati incapax fuerit, non fuisse necessarium, ut velut servus timore pœnæ ad implendam legem adigeretur. 2. Quia nihilominus antecedenter ad legem DEI nihil proprie malum, & inhonestum est, utique oportuisse Christo homini per ipsam legem limites honestatis ponere, quas proin non amplius posset transgredi, hoc, vel simili modo tendendi: Volo, ut e. g. omissio blasphemiæ tibi sit necessaria ad honestatem virtutis. 3. Sic Christum utique seipsum ita in conscientia per promissionem onerosam potuisse obligare Patri, ut voluisset esse vituperabilis, si rem promissam non præstaret. Fateor, has responsiones esse valde ingeniosas; non tamen omnem eximunt scrupulum.

638 Nam 1. Cum omne præceptum rigorosum ex essentia sua importet obligationem in conscientia, DEUS rem præceptam Christo non potuit facere necessariam ad rectitudinem virtutis, quin revera voluerit, ut Christus fieret reus culpæ, si præceptum non observaret: ergo Christum etiam potuisset obligare sub pœna. Nam culpa, & pœna sunt correlativa, & Christus unius non minus est incapax, quam alterius. 2. Licet antecedenter ad legem DEI nihil sit malum, & inhonestum formaliter, nihilominus illa, quæ adversantur legi naturæ, jam in se sunt mala radicaliter, dedecent naturam humanam, & adversantur rectæ rationi; ergo pariter adversabantur summæ sanctitati Christi, ut adeo neutiquam opus fuerit, Christo per legem onerosam honestatis limites ponere. 3. Sicut DEUS, quando nobis aliquid sub conditione onerosa promittit, proprie se non obligat in conscientia per aliquam legem, quia nullius culpæ, aut transgressionis est capax: sic Christus, quando Patri Divino aliquid promisit, sibi non impo-

imposuit aliquam obligationem proprie dictam, quasi voluisset esse reus culpæ, nisi promisso staret, sed per ipsam promissionem exercite contraxit necessitatem rem promissam præstandi.

QUÆSTIO II.

An præceptum moriendi Christo impositum fuerit rigorosum?

639 Dicendum. Præceptum moriendi Christo impositum fuit rigorosum. Ita contra Haunold. Esparz. Pallavic. Nostri communiter, & Scotistæ, ac Thomistæ fere omnes. Prob. Scriptura expresse asserit, Christum habuisse præceptum moriendi, ut patet ex num. 634: ergo dicendum, quod habuerit præceptum rigorosum, quia hoc solum est præceptum proprie dictum, ut fatentur ipsimet Adversarii: scriptura vero debet sumi in sensu proprio, quamdiu nihil aliunde obstat: atqui hic nil obstat; cum enim Christus ut homo essentialiter fuerit subjectus DEO, & quidem subjectione propria creaturæ rationali, consistente in eo, quod possit a superiore per certas regulas dirigi, & præceptis obligari, Christus non minus fuit capax præcepti rigorosi positivi, quam naturalis. Hinc scripturam de præcepto rigoroso intelligunt ferme omnes Interpretes, & Theologi, idemque adstruunt S. Augustin. Euthym. aliique Patres apud Suarium disput. 43 sect. 1 & 5.

640 Probant aliqui conclusionem ulterius 2. Quia Christus moriendo veram exercuit obedientiam, ut docet Apostol. ad Philip. 2 v. 8: *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et ad Rom. 5 v. 19: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per obeditionem unius justi constituentur multi:* atqui vera obedientia videtur supponere præceptum rigorosum superioris; *Cum inferiores,* inquit S. Thom. 2 2 q. 104

a. 2,

a. 2, *suis superioribus multa debent exhibere, inter cætera hoc est unum speciale, quod teneantur eorum præceptis obedire. Unde obedientia est specialis virtus, & speciale ejus objectum est præceptum tacitum, vel expressum.* Quando igitur postea art. 5 ad 3 distinguit triplicem obedientiam, unam sufficientem ad salutem, qua obedimus in his, ad quæ obligamur; alteram perfectam, qua obedimus in omnibus licitis: tertiam indiscretam, qua etiam in illicitis obeditur, loquitur de obedientia late tali, & obedientiam in omnibus licitis vocat perfectam solum quoad promptitudinem honeste operandi; alias etiam obedientia in illicitis esset obedientia proprie talis, & virtus specialis.

Objectiones.

641 Obj. 1. In Scriptura præceptum sæpe sumitur minus stricte pro intimatione voluntatis; sic Joan. 12 v. 49 dicitur: *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & loquar;* & tamen non omnia, & singula verba Christo fuere rigorose præcepta: ergo. Conf. Joan. 10 v. 18 Christus æque dicit, quod habuerit mandatum resurgendi, quam moriendi: *Potestatem habeo animam ponendi, & iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo:* atqui resurrectio illi non fuit rigorose præcepta: ergo. Resp. Transf. ant. neg. conf. Sicut ex eo, quod τὸ præcipere nonnunquam significet meram permissionem DEI: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David*, 2 Reg. 16 v. 10, non sequitur, quod universaliter meram permissionem denotet, ita ex eo, quod præceptum quandoque in Scriptura accipiatur minus stricte, male infertur, illud universim ita posse accipi, ubi neque subjecta materia, neque alia necessitas id exigit. Hinc censeo, in textu addito mandatum debere sumi rigorose, saltem loquendo de doctrina quoad substantiam. Ad conf. neg. maj. Juxta longe communiorem Interpretum, & Theologorum auctori-

ctoritatem mandatum tantum ad passionem, & mortem refertur, quia Christus postea non amplius fuit in via, & nullibi legitur, ex obedientia a mortuis resurrexisse.

642 Dices 1. Licet Psalm. 21 v. 26 de Christo dicatur: *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*; & Psalm. 65 v. 13: *Reddam tibi vota mea*, tamen S. Thomas cum aliis Theologis negat, Christum fuisse capacem voti proprie talis, quia ipsemet fuerat DEUS: ergo a pari. Conf. Finis voti est, ut voluntas firmetur in bono; atqui hic finis cessabat respectu Christi, cujus voluntas per se erat rectissima, & firmissima: ergo. Resp. Transf. ant. quoad 1 memb. dist. quoad 2. Negant, Christum, qui est talis, fuisse capacem voti proprie accepti, neg. ant. Christum qua talem, subd. prout votum accipitur specifice, & fieri solet a puro homine, ad firmandam videlicet voluntatem in bono, conc. ant. prout votum accipitur generice, neg. ant. & conf. Votum in genere pro suo fine primario, & essentiali tantum habet specialem cultum, & subjectionem erga DEUM, quam Christus ut homo non minus potuit exercere, quam DEUM adorare; si itaque verba objecta revera de Christo intelligi debent, rursus nil obstat, quo minus possint, ac debeant in sensu proprio accipi. Ad conf. dist. maj. Finis voti primarius, atque essentialis est, ut firmetur voluntas in bono, neg. maj. Finis secundarius, conc. maj. & omissa min. neg. conf.

643 Dices 2. SS. Patres, præsertim Græci, sæpe negant, quod Christus habuerit præceptum moriendi rigorosum, quibus etiam lib. de medit. redempt. hum. aliisque in locis consonat S. Anselmus: ergo. Conf. S. Cyrillus Alexandrin. lib. 10 in Joan. cap. 20 expresse ait: *Habes in obedientia illa voluntaria paterni consummationem consilii, quod mandati loco tradi sibi Filius dicit.* Resp. Dist. ant. Negant, quod Christus ut DEUS habuerit præceptum rigorosum,

conc.

conc. ant. Christus ut homo, subd. impositum post unionem hypostaticam, conc. ant. ante illam, neg. ant. Patres loquuntur de Christo in concreto, & Græci plerumque agunt contra Arianos, qui ex præcepto inferebant, Christum etiam ut DEUM esse minorem Patre. Alii tantum docuerunt, quod Christus præceptum moriendi, ipsamque mortem non coacte, & invitus, sed sponte, & libere acceptarit. Quod si aliqui plus dixissent, cum communi Theologorum & interpretum potius sentiremus cum illis, quos nostræ sententiæ favere diximus, ut sic magis presse inhæreamus Scripturæ. Porro S. Anselm. loco objecto solum dicit: *Non enim illi homini pater cogendo præcepit*, & lib. 1 cur DEUS homo cap. 9 ait: *Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit illi, unde incurreret mortem.* Ad conf. S. Cyrill. loc. obj. addit: *Cum sit sapientia, & virtus Patris, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans.*

644 Obj. 2. Christus habuit voluntatem inclinatissimam ad omne bonum, & ad omne beneplacitum Patris implendum: ergo non decuit, ut ipsi imponeretur præceptum rigorosum. Conf. Juxta Apostolum *Justo lex non est posita*, ad Timoth. 1 v. 9, &: *Qui spiritu ducuntur, non sunt sub lege*, ad Gal. 5 v. 18: ergo. Resp. Conc. ant. neg. cons. Ex antecedente plus non sequitur, quam præceptum rigorosum non fuisse absolute necessarium, ut bonum præceptum a Christo obtineretur. Jam vero magnum est discrimen inter non esse necessarium, & non esse decens. Sic Incarnatio non fuit necessaria, & tamen fuit valde decens. Idem dicendum de præcepto rigoroso, tum quia voluntas humana Christi antecedenter ad unionem hyostaticam nihilominus fuit libera & peccabilis, tum quia præceptum serviebat ad ostendendam majorem subjectionem, humilitatem, aliosque virtutum actus. Ad conf. S. Paulus

lus tantum vult, quod justis qua talibus non sit lex posita, ut illos premat, & terrore ad bonum compellat, eoquod sponte & ex amore justitiæ legi se submittant.

645 Dices. Præceptum rigorosum Christo illius transgressionem reddidisset illicitam; atqui impossibile est, ut aliquid illicitum sit actio Christi: ergo. Confirm. Vel præceptum prohiberet omissionem mortis ut præscindentem a præcepto, vel ut conjunctam cum præcepto? Primum est falsum: alterum impossibile: DEUS autem nihil impossibile serio potest prohibere. Resp. Conc. maj. dist. min. Impossibile est, ut aliquid illicitum sit actio Christi ponenda consequenter ad unionem, conc. maj. ponenda antecedenter ad unionem, neg. maj. & suppositum, quod tunc actio Christi foret. Alii dicunt, quod quidem nihil illicitum possit esse actio Christi absolute, posset nihilominus esse actio Christi conditionate, in quantum, si præceptum non esset, talis actio esset licita. Ad conf. negant minorem. Rationem additam distinguunt. Nihil, quod est impossibile antecedenter ad præceptum, serio potest prohiberi, concedunt; quod primum sit impossibile per præceptum, negant. Licet omissio mortis, ut conjuncta cum præcepto, non posset esse terminus a præcepto respectus, posset tamen esse terminus a præcepto constitutus, quod juxta ipsos ita tendit: Volo omissionem mortis Christi tibi ita esse illicitam, ut, si transgredereris hoc præceptum, peccares.

646 Obj. 3. Vera obedientia potest exerceri sine præcepto rigoroso: ergo. Ant. prob. S. Anselm. lib. Cur DEUS homo cap. 10 ait: *Tunc est vera, & simplex obedientia, cum rationalis natura non necessitate, sed sponte servat voluntatem a DEO acceptam.* Et S. Chrysost. Homil. 59 in Joan. docet, præceptum Christo impositum nihil aliud significare, quam *cum Patre concordiam.* Imo Homil. 7 in epist. ad Philipp. admittit, *Quod etiam amicis obediamus.* Conf. Juxta

S. Thom.

S. Thom. q. 37 art. 1 Christus in sua circumcisione nobis præbuit exemplum obedientiæ, & tamen lege circumcisionis non tenebatur: ergo. Resp. Neg. ant. S. Anselmus tantum videtur velle, quod tunc veram, & simplicem obedientiam exerceamus, quando voluntatem DEI non tantum exsequimur ex timore pœnæ, sed affectu spontaneo. S. Chrysost. Homil. in Joan. loquitur de Christo ut DEO; certum namque est, quod Christus ut homo non tantum habuerit concordiam cum DEO, sed illi vere fuerit subjectus. Amicis vero, qui nullam in nos superioritatem habent, nonnisi improprie obedimus. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Si Christus in circumcisione exercuit obedientiam stricte talem, ad illam fuit obligatus speciali Patris mandato.

647 Dices. Juxta communissimam Ascetarum doctrinam obedientia eo est perfectior, quo liberior, & qua non tantum obeditur præcepto, sed etiam nutui superioris, licet nos non velit obligare: ergo. Conf. Religiosi, dum observant suas Regulas, veram exercent obedientiam, licet ejusmodi regulæ sæpe non obligent in conscientia: ergo. Resp. Hanc doctrinam Ascetarum non esse intelligendam de obedientia stricte tali, prout est specialis virtus, sed de quadam obedientia latius tali, quæ Ascetica vocari potest, & consistit in quadam promptitudine operandi honeste, atque ad varias virtutes e. g. charitatem, humilitatem, observantiam &c. reduci potest, prout diversum habet objectum, seu motivum formale. Porro obedientia stricte dicta est quidem eo perfectior, quo liberior a necessitate, & timore, non autem quo liberior ab obligatione. Hinc ad conf. neg. ant. Si ejusmodi regulæ saltem non obligent sub pœna; tunc enim essent leges pœnales. Verum hæc multum videntur pertinere ad quæstionem de nomine; hinc ista probatione non tam uti, quam ex aliis illam indicare volui.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Christus ut homo ad aliquos actus habuerit libertatem indifferentiæ?

648 Quæstio hæc ab Auctoribus communiter instituitur de Christo qua tali; utrum videlicet consequenter ad unionem hypostaticam habuerit libertatem non solum contradictionis ad agendum, vel non agendum, sed etiam libertatem contrarietatis ad eligendum ex pluribus actibus bonis hunc vel illum pro libitu. In nostro systemate sufficit, si loquamur de Christo, qui est talis, & de libertate unionem hypostaticam antecedente; quid enim de Christo qua tali dicendum sit, commodius in sequentibus quæstionibus explicabimus. Interim certum est, quod voluntas humana Christi, præsertim absoluta & efficax, semper fuerit conformis voluntati Divinæ juxta illud Joan. 8 vers. 29: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Hinc in Synodo VI approbata est epistola Agathonis, in qua dicitur: *Operationes duarum in Christo voluntatum non fuisse ad invicem contrarias.*

649 Dicendum. Christus ad aliquos actus fuit liber libertate indifferentiæ. Conclusio de facto est certa contra Jansenium, & quosdam veteres, qui in illo solam libertatem a coactione admiserunt. Probat. Isai. 7 v. 15 dicitur de Messia: *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum;* electio autem est actus voluntatis a necessitate liberæ, quemadmodum cum S. Thoma exponunt SS. Basilius, Cyrill. Augustin. &c. Joan. 10 v. 17 & seq. ipse Christus dixit: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo;* quibus verbis diserte asserit, quod mortem subire fuerit in libera potestate voluntatis suæ creatæ, secundum quam mandatum

a Patre acceperat. Hinc S. Chryfoft. Homil. 28 ait: *Erat igitur arbitrii illius, non venire ad crucem, fi voluiffet.* S. Auguftin. tract. 37 in Joan. *Quamdiu voluit, inter homines vixit; quando voluit, a carne difceffit. Hoc eft poteftatis, non neceffitatis.* Similia habent Theophilact. Rupert. Hugo apud Suarium, & Petavium.

650 Prob. Conclufio 2. Chriftus per fuam mortem, obedientiam, aliosque actus virtutum vere, ac proprie fuit meritus: atqui ad meritum neceffario requiritur libertas indifferentiæ: ergo. Maj. conftat ex dictis part. 2. Min. hic tuto fupponitur, & fatis colligitur ex damnatione tertiæ propofitionis Janfenii: *Ad merendum, & demerendum in ftatu naturæ lapfæ non requiritur in homine libertas a neceffitate, fed fufficit libertas a coactione.* Neque obftat, quod hæc propofitio loquatur de puro homine in Adamo lapfo; quod enim Chriftus tanquam caufa exemplaris ex fpeciali privilegio potuerit mereri absque libertate, fingeretur fine omni probabili fundamento. Conf. Quia libertas indifferentiæ eft proprietas naturæ humanæ, quæ fine inconvenienti cum unione hypoftatica potuit conjungi. Imo Chriftus ad Philipp. 2 v. 8 fummopere laudatur, *quia factus eft obediens usque ad mortem, propter quod & DEUS exaltavit illum:* atqui nemo præmio, ac laude dignus cenfetur, nifi egerit libere, & absque neceffitate.

Objectiones.

651 Obj. 1. Ex una parte Chriftus a primo inftanti conceptionis habuit vifionem beatificam: ex altera parte vifio beatifica non minus potuit dirigere humanitatem Chrifti, quam fcientia infufa: ergo Chriftus non fuit liber. Quippe vifio beatifica neceffario poft fe trahit amorem DEI perfectiffimum, & excludit judicium indifferens. Conf. Chriftus dependenter a vifione beatifica, qua cognovit e. g. mife-

riam, & preces Petri, potuit moveri ad ſuccurrendum Petro: ergo viſio beatifica ſaltem aliquos actus Chriſti potuit dirigere. Reſp. Conc. ant. quoad 1 memb. neg. quoad 2. Ratio eſt, quia unio hypoſtatica, conſequenter etiam viſio beatifica, primum dabatur in ſigno poſteriori ad operationes liberas humanitatis, & ab humanitate Chriſti potuiſſet impediri. Ad conf. Omitto totum, ſed nego ſuppoſitum, quod Chriſtus etiam debuerit eſſe liber ad hos actus, præſertim ſi per eandem indiviſibilem viſionem hos ipſos actus ut abſolute futuros ita cognovit, ut viſio beatifica fuerit principium ad illos per ſe requiſitum.

652 Dices. Chriſtus in primo conceptionis inſtanti decrevit facere, quæcunque dein fecit per totam vitam, neque hanc voluntatem poſtea mutare potuit, tum quia ejusmodi mutabilitas Chriſtum dedecuiſſet, tum quia hanc ipſam mutationem certo prævidiſſet, adeoque ita decreviſſet: Licet certo ſciam me hoc non eſſe facturum, tamen faciam: ergo Chriſtus ſaltem non fuit liber ad actiones ſubſequentes, niſi ad ſummum mediate, & denominative dependenter a primo decreto. Conf. Vel Chriſtus mutaſſet ſuam voluntatem ex motivo in primo inſtanti nondum cognito? & ſic argueretur alicujus ignorantiæ: Vel manentibus iisdem motivis? & ſic argueretur levitatis. Reſp. Tranſ. ant. quoad 1 memb. diſt. quoad 2dum. Hanc voluntatem non potuit mutare potentia conſequente ad unionem hypoſtaticam, conc. ant. potentia antecedente, neg. ant. & conſ. Ad conf. dico, Chriſtum potuiſſe ſuam voluntatem mutare manentibus iisdem motivis; nam ſicut in primo inſtanti non obſtantibus his motivis potentia antecedente potuiſſet velle oppoſitum, ita potuit in inſtantibus ſubſequentibus.

653 Cæterum hæc argumenta utique ſatis premunt illos Auctores, qui dicunt, naturam humanam in ſigno priori ad unionem hypoſtaticam non potuiſſe

 operari.

operari. Præterquam enim, quod difficulter dent rationem, quare ad ſuos actus non fuerit directa a viſione beatifica, debent admittere, quod Chriſtus qua talis ſaltem potentia phyſica potuerit mutare ſuam voluntatem, quæ mutatio, licet juxta ipſos non poſſet fieri a bono ad malum, ſaltem aliquam inconſtantiam argueret. At juxta nos mutabilitas, & inconſtantia ſolum cadit in voluntatem humanam, ut præciſam ab unione hypoſtatica, neque illa ſcientia, qua Chriſtus cognoviſſet, quod poſtea ſuum decretum eſſet mutaturus, direxiſſet primum decretum, unde iſtud neutiquam debuiſſet habere abſurdam illam tendentiam numero ſuperiore poſitam. Sic S. Petrus in eodem inſtanti, quo ex revelatione cognovit, Chriſtum a ſe negandum eſſe, prudenter, ac laudabiliter potuit proponere, Chriſtum non negare, quia cognitio revelationis non fuiſſet directiva hujus propoſiti.

654 Obj. 2. Chriſtus per viſionem beatificam ſaltem infallibiliter prævidit omnes ſuos actus futuros: ergo neceſſario illos poſuit; alias viſio beatifica potuiſſet falſificari. Conf. Viſio beatifica Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ inimpedibiliter fuit debita: ergo cauſavit neceſſitatem antecedentem. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Ergo illos poſuit neceſſario neceſſitate conſequente, conc. conſ. antecedente, neg. conſ. Chriſtus actus ſuos non poſuit, quia illos prævidit, ſed actus ſuos prævidit, quia illos erat libere poſiturus: unde actus libere futuri erant objective, & logice priores ad illorum præviſionem: ipſa vero præviſio antecedenter a Chriſto impedibilis, quin ideo potuerit falſificari, ut in tract. de DEO dixi de ſcientia viſionis, qua DEUS infallibiliter præſcit actus noſtros abſolute futuros. Ad confirm. diſt. ant. Chriſto fuit viſio beatifica inimpedibiliter debita quoad ſubſtantiam, tranſ. ant. determinate quoad hos actus, neg. ant. & conſ. Si Chriſtus libere non iſtos, ſed alios actus poſuiſſet, per aliam viſionem alios prævidiſſet,

dixisset. Imo, quia juxta nos potuisset impedire unionem hypostaticam, potuisset impedire visionem beatificam quoad substantiam.

655 Dices. Qui scit, aliquid esse determinate futurum tali tempore, loco &c. non potest efficaciter velle oppositum: ergo cum Christus sciverit, actus suos esse hoc loco, & tempore futuros, non amplius potuit efficaciter velle oppositum. Praesertim, quia simul scivit, illos actus a DEO esse efficaciter praedefinitos. Conf. Praescientia Christi in eo causabat hoc judicium: Quantumlibet coner in oppositum, hoc faciam, & non aliud: ergo oppositum non potuit efficaciter velle. Resp. Dist. maj. Si sciat, illud esse futurum independenter a sua libertate, & ex aliena determinatione, conc. maj. si sciat illud esse futurum dependenter a sua libertate, subdist. non potest efficaciter velle oppositum potentia consequente, & in sensu composito, conc. maj. potentia antecedente, & in sensu diviso, neg. maj. & sic dist. min. conf. Neque obstat, quod Christus etiam sciverit, suos actus esse praedefinitos; nam praedefinitio quoque est impedibilis, & solum infert necessitatem consequentem. Ad conf. neg. ant. Sed ex praescientia tantum oriebatur hoc judicium: Hoc facere conabor, & non aliud, quamvis aliud possem facere; cum quo judicio optime stat potentia antecedens volendi oppositum.

656 Obj. 3. Christus non solum cognovit vaticinia de se facta, sed etiam cum reflexione ad illa, & ex motivo ea implendi operatus est; sed haec cognitio fuit essentialiter connexa cum actibus Christi, & debuit dirigere voluntatem vaticinia implendi: ergo. Maj. prob. Joan. 19 v. 28 dicitur: *Sciens JEsus, quoniam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Luc 24 v. 44 ipse Christus ajebat: *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt de me.* Et Matth. 26 v. 54: *Quomodo implebuntur Scripturae, quoniam sic oportet fieri.* Resp. Neg. maj. In

primo textu asseritur quidem, quod per ea, quæ Christus passus est, impleta sit scriptura, sed inde non probatur, quod Christus ita cum reflexione ad vaticinia sit operatus, ut hæc illum dirigerent, aut consummatio scripturæ fuerit motivum operandi. In secundo Christus discipulos suos solum docuit, necessitate consequente fuisse necessarium, ut implerentur omnia, quæ in lege Moysis, Prophetis & Psalmis de ipso scripta fuerunt. In tertio hortatus est Petrum, ne conetur impedire, quod juxta vaticinia certo futurum erat.

657 Dices. Ipse Christus multos actus proprios prædixit: ergo saltem isti fuere necessarii; cum prædictiones neque potuerint revocari, neque falsificari. Conf. S. Thom. in 3 dist. 18 q. unic. a. 2 docet, quod Christus, licet esset determinatus ad unum, ex hoc non amittat libertatem arbitrii, quia sponte tendit: ergo. Resp. Conc. ant. dist. conf. Fuere necessarii necessitate consequente, conc. conf. antecedente, neg. conf. Sicut præscientia actuum futurorum, sic illorum prædictio antecedenter a Christo potuit impediri, alias neque DEUS quidquam libere faceret ex illis, quæ prædixit. Ad conf. S. Thom. in eodem loco præmittit aliam responsionem, quod videlicet Christus fuerit liber, quia tantum fuit determinatus ad bonum in genere, quam responsionem repetit 3 p. q. 18 a. 4 ad 3. Hinc dicunt, S. Doctorem in responsione objecta supponere, quod Christus saltem ad hanc fuerit liber quoad modum suæ actionis. Ego a mente S. Thomæ in hac materia malo præscindere.

QUÆSTIO IV.

Ad quosnam actus Christus fuerit liber libertate indifferentiæ?

658 Actus, circa quos libertas indifferentiæ tanquam duo extrema versatur, possunt varie inter se comparari.

rari. 1. Unus ex his actibus poteſt eſſe bonus, alter poſitive malus, & peccaminoſus. 2. Unus poteſt eſſe perfectus, alter imperfectus. 3. Ambo poſſunt eſſe æquales. Inter actus imperfectos aliqui dicuntur imperfecti poſitive, alii negative, idque vel ſtricte, & formaliter, vel ſolum late, & materialiter. Imperfectio poſitiva tunc datur, quando aliquid fit contra voluntatem DEI, hic & nunc aliquid ſuadentis; talis enim actio eſt quædam inordinatio DEO diſplicens, & aliqua reprehenſione digna. Imperfectio negativa in ſenſu ſtricto eſt, quando aliquis libere eligit bonum DEO minus placens præ alio magis placente, quin tamen DEUS hic & nunc bonum majus poſitive ſuadeat. Nam licet talis actio DEO poſitive non diſpliceat, non tamen eſt penitus conformis cum voluntate Divina. Imperfectio denique negativa late talis vocari poteſt, quando quis præciſe eligit bonum minus præ majore, quod hic & nunc DEUS nec ſuadet, nec poni vult.

659

Quod jam voluntas humana Chriſti immediate, & conſequenter ad unionem hypoſtaticam nullam habuerit libertatem indifferentiæ ad viſionem, & amorem beatificum, aliosque actus ex illis neceſſario conſequentes, omnes facile concedunt. Idem diſputatione præcedente oſtendimus de actionibus peccaminoſis. Hinc communis Theologorum doctrina eſt, Chriſtum in obſervatione legis naturalis non fuiſſe liberum quoad ſubſtantiam operis, ſed tantum quoad circumſtantias intenſionis, motivi &c. in quantum præcepta naturalia potuit ſervare actu intenſiore, vel minus intenſo, ex motivo perfectiore, vel minus perfecto. Nam licet Chriſtus (inquiunt) ſemper fuerit moraliter neceſſitatus ad eliciendum actum magis perfectum, quem hic & nunc potentia proxima potuit elicere, habuit tamen libertatem indifferentiæ phyſicam ad eligendum actum minus bonum præ meliore.

Pro-

660 Probant suum assertum ex eo, quia putant, Christum alias nihil potuisse mereri. Nam libertas præcise inter duo individua æqualia non videtur sufficere ad meritum, vel demeritum; quodcunque enim ex his ponatur, vel omittatur, æquale bonum impeditur, vel obtinetur. Sic si quis physice esset necessitatus ex pluribus crucigeris æqualibus dare unum pauperi, per hoc nec præmio, nec laude dignus esset, quod potius daret crucigerum A, quam crucigerum B: sicut vicissim non esset dignus vituperio, qui in casu perplexitatis physice esset necessitatus ad ponendum alterutrum ex duobus actibus peccaminosis, qui ipsi viderentur æqualiter mali. Neque circa hoc ab istis Auctoribus dissentio; possum nihilominus in meo systemate dignius de Christo, & liberalius de libertate humanitatis loqui.

661 Quippe cum voluntas humana Christi antecedenter ad unionem hypostaticam juxta me peccare potuisset, Christus potentia antecedente non tantum fuit liber ad circumstantias, sed etiam ad substantiam illorum operum, quæ vel lege naturali, vel positiva ipsi fuerunt præcepta, suasa, aut saltem magis DEO grata, ut adeo omnes isti actus quoad substantiam fuerint meritorii. Dum econtra Adversarii mei plurimorum vim meritorum ad solas circumstantias restringere debent. Profecto tam Theologi, quam Philosophi libertatem indifferentiæ arbitrii humani probare solent ex hoc, quod nobis aliqui actus sint præcepti, alii prohibiti, quodque operando bonum, ac DEI præcepta servando mereri possimus. Ego inferius ostendam, Christum non tantum fuisse liberum ad circumstantias, sed ipsam substantiam mortis; prius tamen ad dignitatem Christi magis commendandam cum Marino

662 Dicendum 1. Humanitas Christi consequenter ad unionem hypostaticam fuit physice necessitata ad faciendum semper id, quod hic & nunc erat perfectius. Prob. Humanitas Christi per unionem hypostati-

ſtaticam fuit ſanctificata modo perfectiſſimo, qui in genere ſanctitatis participatæ dari poteſt; atqui dari poteſt modus ſanctitatis participatæ tam perfectus, ut abſolute excludat omnem imperfectionem moralem tam poſitivam, quam negativam ſtricte talem, & conſequenter ſemper neceſſitat ad id, quod eſt perfectius: ergo. Majorem admittere ſolent ipſi Adverſarii; nec video, quomodo poſſint negare minorem; ſi enim, ut ipſi dicunt, humanitas per ſanctitatem participatam ad id, quod eſt perfectius, poteſt neceſſitari moraliter, cur non phyſice? nempe ſicut gratia ſanctificans excludit peccatum mortale, viſio beatifica peccatum veniale, & imperfectionem moralem poſitivam: ita unio hypoſtatica poteſt excludere imperfectionem moralem negativam. Conf. Chriſtus conſequenter ad unionem neceſſitate phyſica ſemper amavit DEUM, & quidem ſecundum totam intenſionem gratiæ habitualis, quam copioſiſſimam accepit; atqui hoc intelligi non poteſt, niſi eadem neceſſitate ſemper fecerit id, quod videbat DEO magis placere: ergo.

Dicendum 2. Nihilominus Chriſtus potentia ſaltem antecedente fuit liber non tantum ad circumſtantias, ſed ipſam ſubſtantiam mortis. Ita communiſſima contra Vaſquez, & paucos alios. Prob. Quia Scriptura, & Patres Chriſto tribuunt liberam poteſtatem non tantum ad circumſtantias, ſed ipſam mortem; ſic Iſaiæ 53 v. 7 ſimpliciter dicitur: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Joan. 10 v. 18: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* S. Baſilius ſerm. de paſſion. Domini ait: *Voluntarie obediſti Patri, & non te, ut patereris, coegit neceſſitas.* S. Auguſtin. lib. 4 de Trinit. cap. 13: *Qui potuit non mori, ſi nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus eſt.* S. Gregor. lib. 24 Moral. cap. 22: *Omni neceſſitate calcata, cum voluit, mortem ſponte ſuſcepit.* Ratio concluſionis eſt, quia alias Chriſtus per ipſam mortem neque nos redemiſſet, neque pro nobis ſatisfeciſſet, nec aliquid

663

 fuiſſet

fuiſſet meritus; nam voluntas moriendi Chriſto ſimpliciter fuiſſet neceſſaria; atqui hæ ſequelæ non poſſunt admitti, ut patet ex dictis, & communi fidelium perſuaſione: ergo.

Objectiones.

664 Obj. 1. Omnes actiones Chriſti fuerunt infinite perfectæ: ergo Chriſtus ſalva ſumma ſanctitate potuit eligere bonum minus præ majore. Conf. DEUS non eſt minus ſanctus, ſive velit bonum majus, ſive minus: ergo a pari. Reſp. Diſt. ant. Fuerunt infinite perfectæ, ſi ſpectentur ut dignificatæ a Verbo, conc. ant. ſi conſiderentur ſecundum ſe, neg. ant. & conſ. Si actus Chriſti meritorii ſumantur in concreto, involvunt infinitam dignitatem Verbi, & omnes ſunt æquales: ſi vero præciſe ſumantur objective, & ſecundum ſe, utique potuit unus eſſe perfectior, & magis placens DEO, quam alter e. g. actus amoris DEI intenſus perfectior, quam remiſſus; jam vero præſens quæſtio tantum procedit de actibus moralibus objective ſpectatis. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Voluntas DEI ſibi ipſi eſt regula omnis ſanctitatis, & honeſtatis, cui proin omnes actus, ſive materialiter magis, ſive minus boni, ſunt perfectiſſime conformes, & in bonitate formali æquales. At voluntas humana Chriſti habet aliquam regulam ſuperiorem, nempe voluntatem Divinam, ex cujus beneplacito actiones humanæ majorem, vel minorem perfectionem formalem participant.

665 Dices 1. Etſi Chriſtus elegiſſet actum minus perfectum præ perfectiore, ideo non fuiſſet minus diſpoſitus ad finem ſuum ultimum, multo minus incurriſſet aliquod periculum illo excidendi: ergo talis electio non fuiſſet imperfectio moralis, ſed tantum phyſica. Conf. Ad perfectiſſimam amicitiam ſufficit, ut quis habeat ſummam inclinationem habitualem ad amicum intenſiſſime amandum, & nihil faciendum,

ciendum, quod ipsi displicet: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Ad imperfectionem moralem, præsertim negativam, sufficit, ut quis agat id, quod scit adversari majori beneplacito Divino, sive dein ex hoc reddatur ad finem suum minus dispositus, sive non; jam vero possibilis est sanctitas, quæ necessitet ad semper faciendum id, quod DEO magis placet, & hæc sanctitas est perfectior, magis decet Christum, ejusque humanitatem magis perficit. Ad conf. dist. ant. Sufficit, ut quis habeat summam inclinationem præcise inefficacem, & ab actu separabilem, neg. ant. inclinationem efficacem, & cum actu semper conjunctam, conc. ant. & neg. conf. Sicut Christus actu semper fecit id, quod DEO magis placebat, sic vi unionis hypostaticæ potuit participare necessitatem, secundum totam suam inclinationem habitualem semper operandi.

Dices 2. Ipse DEUS a Christo non desiderabat, 666 quod est perfectius, sed circa res non præceptas reliquit illum in manu consilii sui, ostendens, æque gratum sibi futurum, quodcunque Christus fecerit: ergo Christus sine imperfectione etiam negativa potuit eligere minus perfectum. Conf. Licet DEUS sit infinite sanctus, ideo non necessitatur ad optimum: ergo multo minus Christus. Resp. Dist. ant. Non desiderabat, quod est perfectius absolute, & mere speculative, conc. ant. quod est perfectius hic & nunc practice, neg. ant. & conf. Nam ipse Christus dicit: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Pater*, Joan. 6 v. 38. Item: *Quæ placita sunt ei, facio semper*, Joan. 8 v. 29. Adde, quod tali modo Christus ad id, quod est perfectius, ne quidem moraliter fuisset necessitatus, neque hæc libertas ipsi profuisset ad meritum. Ad conf. dist. ant. DEUS non necessitatur ad optimum materialiter tale, conc. ant. formaliter tale, neg. ant. & sub eadem dist. conf. Actus materialiter optimus implicat; hinc Christus solum potuit necessitari ad

actum

actum tam perfectum, qui hic & nunc Patri magis placebat, & finitis humanæ voluntatis viribus erat commensuratus: ex quo tantum sequitur, quod in Christo potuerit dari imperfectio negative late talis, quæ ne quidem in DEO implicat.

667 Obj. 2. Si Christus fuisset liber ad substantiam mortis, Matth. 26 v. 39 non orasset: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, sed statim dixisset: Volo, ut transeat: ergo. Conf. Christo ut homini mors erat necessaria ex ipsa natura: ergo non potuit illam libere declinare. Resp. Neg. ant. Tum quia Christus illa oratione non voluit mortem effugere efficaciter, sed statim addidit: *Non mea, sed tua voluntas fiat*; tum quia mortem non voluit impedire, nisi ea conditione, ut nihilominus genus humanum redimeretur; unde sensus verborum Christi est: Si possibile est, ut sine mea passione redimatur genus humanum, transeat a me calix iste. Ex quo etiam vides, quomodo intelligenda sint verba Psalm. 21 v. 3: *DEUS meus, clamabo per diem, & non exaudies* &c. si enim, ut vult Bellarmin. in persona Christi prolata sunt, loquuntur de oratione Christi in horto, & eodem modo explicari debent. Ad conf. neg. ant. Mors est quidem infirmitas necessaria hominis puri, non vero hominis DEI, ut ex sacris literis discimus.

668 Dices. Licet mors puro homini sit necessaria, nihilominus SS. Martyres dicuntur libere mori, videlicet, quia libere moriuntur pro fide, & eo tempore, ac genere mortis, quo poterant non mori: ergo Christus potest dici mortuus pro genere humano, licet tantum fuerit liber ad circumstantias mortis. Conf. Modo Christus potuerit mortem eligere ex hoc, vel illo motivo virtutis, per illam jam potuit nos redimere, nobis mereri &c. ergo. Resp. Dist. ant. SS. Martyres dicuntur libere mori in sensu morali, & eo modo, quo puri homines libere possunt mori, conc. ant. in sensu stricto, neg. ant. & cons.

Quod

Quod Martyribus non possit tribui alia libertas, quam ad circumstantias mortis, per se patet, & hæc libertas ipsis sufficit ad meritum, quia actum internum libere eliciunt. Econtra Christo potest tribui libertas ad substantiam mortis, & juxta Scripturam illi debet tribui. Ad conf. neg. ant. Nam tali modo Christus non per volitionem mortis, & ipsam mortem, sed solum per aliam volitionem non præceptam, & mortis circumstantias nos redemisset, quia istæ solum fuissent Christo liberæ, & capaces denominationis meriti.

Obj. 3. Ut aliquis operetur honeste, & laudabiliter, non requiritur libertas ad agendum, & non agendum, sed sufficit, quod possit operari in hac vel illa specie: ergo Christus per mortem suam nobis potuit mereri, etsi ad illam non fuerit liber. Conf. Actus DEI sunt summe laudabiles, licet DEUS non habeat libertatem indifferentiæ ad actus inæqualiter honestos: ergo a pari. Resp. Dist. ant. Si diversæ species, ad quas ponitur libertas dari, sint æque perfectæ, neg. ant. si una sit perfectior altera, conc. ant. sed neg. suppositum, quod juxta Adversarios Christus fuerit liber ad speciem mortis, si mors sumatur quoad substantiam, & non tantum quoad circumstantias. Ad conf. dist. ant. Actus DEI sunt summe laudabiles laudabilitate æstimationis, & gratiarum actionis ob intrinsecam suam perfectionem, & beneficia, quæ per illos nobis confert, conc. ant. laudabilitate meritoria, & præmiabili, neg. ant. & conf. Christus per mortem suam nobis plurima meruit: ergo ejus mors non debuit esse laudabilis quomodocunque, sed laudabilitate meritoria, quæ sine libertate indifferentiæ ad majus, & minus bonum dari nequit. 669

Dices. Licet detur necessitas moralis peccandi venialiter, tamen quodlibet determinatum individuum est moraliter liberum: ergo, licet Christus physice fuisset necessitatus ad mortem in genere, tamen 670

individuum mortis illi potuit esse liberum. Conf. Juxta nos Christus necessario debuit eligere, quod magis placuit Patri Divino; ergo hoc ipso non fuit liber ad mortem. Resp. Antecedens merito negari a multis, juxta quos datur necessitas moralis ad aliquod peccatum veniale determinatum. Interim hoc omisso dist. conf. Ergo individuum mortis Christo potuit esse liberum in genere physico, seu ratione entis, transf. conf. in genere moris, & libertate requisita ad laudem, & præmium, subdist. mors quoad substantiam, neg. conf. præcise quoad circumstantias, transf. conf. Peccata venialia non sunt omnia ejusdem rationis & malitiæ, & ad culpam venialem contrahendam sufficit libertas physica. Ad conf conc. ant. dist. conf. Ergo Christus non fuit liber ad mortem libertate consequente unionem hypostaticam, conc. conf. libertate antecedente, neg. conf. Sed de hoc mox pluribus agendum.

QUÆSTIO V.

Quomodo libertas indifferentiæ ad mortem combinari possit cum præcepto rigoroso, & impeccabilitate Christi?

671 Quia omnes opiniones, quibus Auctores hanc difficultatem solvere conantur, referre longum foret, præcipuas solum breviter attingo; de cæteris vel ex jam dictis, vel ex dicendis haud difficulter judicium ferri poterit. Thomistæ dicunt, Christum fuisse liberum ad mortem in sensu diviso præcepti; at non ostendunt, quomodo in illorum systemate sensum divisum habere potuerit; nam de Christo eodem modo loquuntur, ac de aliis hominibus prædeterminatis; consequenter hæc sententia impugnatur iisdem rationibus, quibus prædeterminatio physica. Scotistæ in varias vias abeunt: Pontius docet, humanitatem Christi non fuisse physice impeccabi-

cabilem, sed tantum moraliter: Mastrius, quod Christus tantum habuerit libertatem remotam, quæ ex speciali dispositione Divina sufficerit ad merendum, non autem ad peccandum. Alii putant, Christum ideo mansisse liberum, quia præceptum libertati tantum est extrinsecum, quasi vero non etiam decretum DEI antecedens, essentialiter connexum cum actu, inimpedibile, & inevitabile tolleret libertatem, licet voluntati extrinsecum foret.

672 A Thomistis non multum differunt illi, qui putant, unionem hypostaticam, etsi sit incompossibilis cum peccato, & inimpedibilis, non immutare modum operandi in voluntate Christi, eo quod non sit principium operativum; unde ajunt, Christum operari cum auxiliis omnino indifferentibus, adeoque libere. Verum etsi unio non sit principium operativum, est tamen essentiale, & juxta hos Auctores inauferibile impedimentum omnis peccati; item omnis gratiæ, quæ prævideretur conjungenda cum non adimpletione præcepti: ergo unio ex natura sua exigeret decretum DEI non conferendi aliud auxilium, nisi efficax, quod decretum esset antecedens, & tam parum posset impediri, quam ipsa unio. Neque juvat hic confugere ad puram omissionem liberam mortis; quippe in isto casu esset peccaminosa, sicut nolitio mortis positiva: ergo eodem modo antecedenter cum unione incompossibilis.

673 Inter Recentiores duæ potissimum sententiæ sunt celebres. Prima docet, quod Christus quidem non fuerit liber ad mortem in sensu composito præcepti, attamen in sensu diviso; hunc porro sensum divisum fuisse in libera potestate Christi, in quantum præceptum moriendi potuerit impedire vel antecedenter a Patre impetrando negationem hujus præcepti, vel consequenter petendo dispensationem. Altera vult, Christum fuisse liberum ad mortem etiam in sensu composito præcepti, sed præceptum fuisse aliquo modo conditionatum, si videlicet Judæi obstinata

nata rabie Chriſtum vellent occidere, quam conditionem Chriſtus pro libitu potuiſſet impedire, apertius manifeſtando Judæis ſuam Divinitatem, ſicut fecit coram diſcipulis in monte Thabor. Verum utraque hæc ſententia debet ſupponere, quod Chriſtus ſaltem phyſice fuerit liber ad actum minus perfectum; videtur enim indubitatum, Divino Patri ſaltem magis placitum fuiſſe, ſi Chriſtus mortem ſibi propoſitam acceptaret, & ſic genus humanum a peccato redimeret, qui fuit potiſſimus Incarnationis ſcopus, & finis. Neque hæc explicatio procedit circa præcepta naturalia.

674 Dicendum: Libertas indifferentiæ ad mortem cum præcepto rigoroſo, & impeccabilitate Chriſti videtur convenienter combinari per hoc, quod humanitas Chriſti in ſigno priore ad unionem hypoſtaticam habuerit potentiam proximam peccandi, peccato impeditivo unionis. Prob. 1. Natura humana in ſigno priore ad unionem hypoſtaticam fuit capax præcepti rigoroſi, & habuit libertatem hoc præceptum implendi, vel transgrediendi, quin ideo aliquid afferatur contra dignitatem, ſanctitatem, aut impeccabilitatem Chriſti, ut ex hactenus diſputatis colligitur: ergo hac ratione præceptum rigoroſum moriendi, impeccabilitas, & libertas Chriſti convenienter combinantur. Nempe poſtquam DEUS per ſcientiam mediam prævidit, quod humanitas, ſi haberet libertatem A, præceptum mortis eſſet obſervatura, ſtatuit 1 Humanitati dare unionem hypoſtaticam, non daturus, ſi illam prævideret, præceptum transgreſſuram. Hinc ſtatuit 2, pro priore ſigno naturæ eidem humanitati præcipere mortem pro genere humano ſubeundam, & ad obſervationem hujus præcepti conferre libertatem A. 3. Ex his abſolute prævidit, quod humanitas Chriſti libere præceptum ſit obſervatura, eique unionem hypoſtaticam in primo inſtanti conceptionis contulit.

Probat

675 Probatur, & declaratur conclusio ulterius 2. Quamvis unio hypostatica tempore mortis a Christo in statu reali, & absoluto potentia consequente non amplius potuerit impediri, nec præceptum moriendi violari: potuit nihilominus adhuc impediri potentia antecedente, & in statu objectivo, quatenus DEUS humanitatem noluisset unire Verbo, si per scientiam mediam prævidisset, illam esse peccaturam: ergo natura humana adhuc habuit veram libertatem indifferentiæ præceptum mortis implendi, vel transgrediendi. Ant. patet ex num. super. conf. prob. Quamvis voluntas creata consequenter ad prædefinitionem actus boni in statu reali, & absoluto non amplius possit impedire illam prædefinitionem, utpote intrinsece efficacem, & essentialiter connexam cum actu bono, non tamen ideo prædefinitio tollit libertatem indifferentiæ, aut actum primum proximum liberum ad bonum & malum in statu absoluto etiam & reali; quia nempe hæc prædefinitio est impedibilis potentia antecedente, & in statu objectivo, in quantum voluntas creata impedire potest scientiam mediam de actu bono, a qua prædefinitio essentialiter dependet: ergo a pari.

Objectiones.

676 Obj. 1. DEUS absolute decrevit mittere Christum tanquam Redemptorem per mortem: ergo mortem non potuit ita præcipere, ut natura humana transgrediendo præceptum unionem hypostaticam impediret. Conf. Si humanitas potuisset libere recusare mortem, & sic unionem impedire, initium nostræ salutis potius fuisset a voluntate creata Christi, quam a DEO; hoc absurdum: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. DEUS Christum ut Redemptorem, ejusque mortem decrevit quidem absolute, attamen ita, ut per scientiam mediam prævidérit, quod natura humana sub talibus auxiliis, quæ eidem da-

turus esset, non foret mortem recusatura, quod si facturam esse vidisset, nunquam hanc humanitatem Verbo univisset. Ad conf. neg. maj. Quia DEUS libere misit Christum, & humanitati tales gratias concessit, dependenter a quibus infallibiliter prævidit, quod mortem esset acceptatura. Sic licet libere possim impedire decretum prædefinitivum, nihilominus DEUS absolute potest decernere actum bonum, quin illius initium sit a nostra voluntate.

677 Dices 1. Christus debuit esse liber ad mortem non solum in primo instanti, sed etiam tunc, quando illam actu subiit: atqui juxta nos tunc non amplius fuisset liber; alias potuisset per peccatum unionem hypostaticam destruere. Conf. Quando DEUS per scientiam mediam prævidit, quod humanitas Christi cum libertate A esset acceptatura mortem, ex parte hypothesis necdum aderat unio hypostatica: ergo postquam humanitas Verbo fuit unita, non amplius manet idem actus primus proximus. Resp. Conc. maj. neg. min. cum ratione addita. Sicut homo dissentiendo gratiæ non faceret, ut prædefinitio cessaret existere, sed tantum, ut nunquam exstitisset: ita, si humanitas Christi mortem non subiisset, unio hypostatica nunquam in illa extitisset. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Quia unio hypostatica etiam in statu reali non constituit actum primum proximum ad observationem præcepti, neque eundem constituere debuit negatio unionis, eo quod unio tantum fuerit impedimentum peccati per ipsum peccatum impedibile. Ob eandem rationem nec prædefinitio, nec negatio prædefinitionis debet constituere libertatem ad actum bonum.

678 Dices 2. Præceptum moriendi non tantum fuit impositum humanitati, sed Christo; atqui Christus jam involvit unionem hypostaticam: ergo. Conf. Christus qua talis habuit libertatem moriendi, & obedivit Patri, ut colligi videtur ex illis textibus, quibus tum libertatem Christi, tum præceptum rigoro-

gorosum moriendi probavimus: ergo. Resp. Dist. maj. Præceptum moriendi fuit impositum Christo, qui est talis, & pro signo priori ad unionem hypostaticam, conc. maj. Christo qua tali, & pro signo posteriore ad unionem hypostaticam, neg. maj. & sic dist. min. conf. Licet præceptum moriendi immediate, & directe tantum affecerit humanitatem, quia tamen hæc humanitas pro omni instanti reali fuit unita Verbo, verissime dicitur, quod præceptum fuerit impositum Christo; nam sicut actiones sunt suppositorum, sic præcepta dantur suppositis. Ad conf. dist. ant. Christus qua talis habuit libertatem moriendi, & obedivit Patri, ita, ut ipsa unio hanc libertatem constituerit, aut effective in actum obedientiæ influxerit, neg. ant. ita, ut Verbum pro signo posteriore unitum actum obedientiæ dignificaverit, conc. ant. & neg. conf.

Obj. 2. Christus per unionem hypostaticam fuit factus impeccabilis: ergo non amplius potuit impedire unionem hypostaticam; alias Christus qua talis potuisset peccare. Conf. Christus qua talis potuit libere obedire, mereri, &c. ergo etiam peccare. Resp. Dist. ant. Christus per unionem hypostaticam fuit factus impeccabilis consequenter ad unionem, conc. ant. impeccabilis antecedenter ad unionem, neg. ant. & conf. Sequelam consequenti additam etiam dist. Christus qua talis potuisset peccare, id est, potentia proxima peccandi potuisset conjungi cum unione hypostatica, conc. ipsum peccatum potuisset cum illa conjungi, neg. Hæc propositio: Christus qua talis potest peccare, est amphibologica, & videtur significare, quod humanitas Christi ut jam in Verbo subsistens, & consequenter ad unionem, peccare posset; in quo sensu juxta nos neutiquam vera est. Hinc ad conf. conc. ant. neg. conf. Disparitas est, quia obedientia, & libera acceptatio mortis potuit cum unione hypostatica conjungi, adeoque ipsi Verbo tanquam principio dignificativo tribui. Econ-

679

tra per peccatum unio hypoſtatica fuiſſet impedita, adeoque peccatum nunquam potuiſſet Verbo, aut Chriſto adſcribi.

680 Dices. Beati in inſtantibus viſionem beatificam ſubſequentibus non amplius poſſunt illam impedire: ergo neque Chriſtus tempore mortis potuit adhuc impedire unionem hypoſtaticam. Conf. Quia alias Beati perfectius eſſent ſancti, & impeccabiles, quam Chriſtus. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Beati jam ſunt in termino, nec poſſunt amplius aliquid mereri, vel demereri, adeoque nullam habent libertatem ad bonum, & malum. Econtra Chriſtus non ſolum fuit comprehenſor, ſed in hac vita etiam viator, qui mereri potuit; ad meritum autem requiritur libertas indifferentiæ. Ad conſ. diſt. ant. Beati perfectius eſſent ſancti, & impeccabiles ſecundum quid, tranſ. abſolute, neg. Quamvis Beati non amplius habeant potentiam antecedentem impediendi viſionem beatificam, id tamen non tam provenit ex ipſa viſione beatifica, quam ex ipſorum ſtatu, & ſanctitas illorum eſt tantum accidentalis: econtra ſanctitas Chriſti eſt ſubſtantialis, & participative infinita, ac inſuper ex ſe Chriſtum ſecuriſſimum reddit, quod unio cum Verbo nunquam amplius ſit impedienda.

681 Obj. 3. Quando DEUS Chriſto dedit præceptum moriendi, cum eo iniit pactum de redimendo genere humano. Jam, vel hoc pactum iniit cum humanitate in ſigno priore ad unionem hypoſtaticam, vel in ſigno poſteriore? non primum, quia humanitas ut præciſa a Verbo non potuit offerre condignum pretium: non ſecundum, quia ſic non amplius fuiſſet libera ad implendum pactum. Conf. Si merita humanitatis fuiſſent infinita, per illa etiam potuiſſet mereri unionem hypoſtaticam; ſequela eſt falſa: ergo. Reſp. Conc. maj. neg. min. quoad 1 memb. Rationem additam diſt. Non potuit offerre condignum pretium, quod jam erat tale in ſigno priore ad unionem hypoſtaticam, conc. quod tale fieret per ipſam unionem, &

& infinitam dignitatem Verbi, neg. DEUS promisit redemptionem nostram humanitati Christi sub conditione, si libere mortem acceptaret, quam conditionem implevit, non ut amplius a Verbo præcisa, sed eidem pro signo posteriore unita, unde pretium ab humanitate oblatum ita a Verbo fuit dignificatum, ut esset infiniti valoris. Ad conf. neg. maj. Nam unio ad meritum infinitum essentialiter prærequirebatur, adeoque sub hoc meritum cadere non potuit.

682 Dices. Quando peccator elicit contritionem perfectam, meretur quidem de congruo gratiam sanctificantem, attamen gratia sanctificans pro posteriore signo existens non potest contritionem ita dignificare, ut sit meritum condignum gloriæ, eo quod contritio per ipsam gratiam sanctificantem jam abundanter præmietur: ergo neque Verbum in signo posteriore humanitati unitum potest infinite dignificare illius merita. Conf. Si Rex sub conditione obtinendæ victoriæ promitteret militi officium centurionis, & centurioni officium Ducis superioris, per victoriam miles non mereretur officium Ducis: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Si verum est antecedens tunc, quia gratia sanctificans tantum habet vim dignificandi limitatam, quæ se ad actiones natura præcedentes non extendit: quæ responsio etiam potest dari ad confirmationem. Interim Suarez, Vasquez, Gormaz cum S. Thoma 1 2 q. 112 art. 2 ad 1 negant primum antecedens. Quamquam enim officium centurionis, & Ducis sint præmia distincta, nec inter se connexa, nec militi simul promissa, tamen DEUS eidem contritioni simul promisit gratiam, & gloriam, & ipsa gratia jus ad gloriam tribuit; hinc licet per gratiam sufficienter præmietur contritio secundum se, non tamen sufficienter videtur præmiari ut a gratia dignificata.

DISPUTATIO V.

De adoratione Christi, cultu Sanctorum, SS. Reliquiarum, & Imaginum.

683 Adoratio in genere significat quemlibet cultum, qui alicui exhibetur propter ejus dignitatem, & excellentiam; hinc in Scriptura rebus natura, & dignitate valde diversis accommodatur, præcipue quidem DEO, tum vero etiam Arcæ fœderis, Angelis, Regibus &c. Hic adoratio strictius accipitur pro contestatione submissionis erga alium ob ejus excellentiam; quare ex parte intellectus supponit quidem cognitionem, & judicium de excellentia, & superioritate alterius, formaliter autem consistit in voluntate se alteri submittendi, & illius excellentiam per aliquod signum contestandi, ac præcipue in ipsa hujus signi actuali exhibitione. Differt ab oratione, quia adoratio potest fieri sine petitione alicujus rei: a simplici autem honore, & reverentia, quia hæc est tantum signum excellentiæ, & absque submissione etiam æquali, imo inferiori exhiberi potest; hinc S. Augustin. lib. contra sermon. Arianor. cap. 27 ait: *Honorat omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat.*

684 Dividitur adoratio 1 in internam, & externam. Hæc fit per actus externos corporis, sensu aliquo perceptibiles, uti sunt genuflexio, capitis inclinatio &c. Illa fit per actus internos intellectus, & voluntatis, quos ordinamus ad protestandam submissionem nostram DEO, & Beatis, quibus tales actus innotescere possunt absque signis sensibilibus. Dividitur 2 in absolutam, & respectivam. Adoratio absoluta est, quæ exhibetur alteri propter se, ita, ut in propria ipsius excellentia sistat. Adoratio respectiva est, quæ alicui exhibetur ob excellentiam non propriam, sed alterius, quem repræsentat, aut aliam ad ipsum relationem habet. Primo modo adorari

tari poteſt ſola ſubſtantia intellectualis, quia ſola eſt capax talis excellentiæ, ob quam nos illi prudenter, & honeſte poſſumus ſubmittere: poſteriore modo adorabiles ſunt etiam res inferiores, quia adoratio ipſis exhibita non ſiſtit in illis, ſed terminatur ad perſonam, propter cujus excellentiam adorantur.

685 Dividitur adoratio 3 in politicam, ſeu civilem, & in ſacram, ſeu religioſam. Politica eſt, quæ alicui defertur propter præſtantiam, & excellentiam ſæcularem, ac naturalem; ita colimus Reges, Principes, Magiſtratus, homines inſigniter doctos, aut peritos. Religioſa eſt, quæ alicui defertur propter ſupernaturalem aliquam excellentiam ex motivo Religionis. Subdividitur in Latriam, Duliam & Hyperduliam. Latria exhibetur propter excellentiam increatam, eſtque ſummus cultus, qui ſoli DEO ut primo omnium rerum principio debetur. Dulia exhibetur creaturis propter excellentiam ſupernaturalem ſanctitatis, vel gloriæ, vel utriusque ſimul. Hyperdulia exhibetur B. Virgini ob eximiam ejus ſupra cæteras creaturas dignitatem, & gloriam. Differt a cultu Duliæ non ſpecie, ſed ſolo gradu; B. Virgo enim, quamquam ſit DEI Genitrix, nihilominus creatura eſt.

QUÆSTIO I.

An & quomodo adorandus ſit Chriſtus?

686 Tripliciter hic poſſumus Chriſtum conſiderare, 1 ut DEUM hominem, 2 præciſe ut DEUM; 3 præciſe ut hominem. Ut DEUS homo eſt perſona ſubſiſtens in duabus naturis humana, & Divina, cui utique perfectiſſima adoratio latriæ debetur, quia per unionem cum natura humana nil amiſit de ſua excellentia, & dignitate increata, quam ab æterno per identitatem habuit. Chriſtus præciſe ut DEUS eſt perſona ſubſiſtens in natura Divina, cui proin iterum debetur cultus latriæ non minus, quam Patri

Divino, & Spiritui Sancto. Quin si etiam præcise ut homo spectetur, est ipsum Verbum, qua subsistens in natura humana, seu suppositum naturæ humanæ: ergo sicut Verbum ut subsistens in natura humana non desinit esse persona Divina, sic non desinit esse adorabile propter excellentiam increatam: ergo Christus in concreto sub omni consideratione summa latriæ adoratione est adorandus.

687 Restat controversia, an eadem adoratione latriæ cum Christo adoranda sit ejus humanitas, non quidem propter se ipsam præcise in se spectatam, sed propter intimam, & indissolubilem illius cum Verbo unionem? Negant omnes illi, qui veram, ac realem unionem inter Verbum, & naturam humanam inficiati sunt, uti Nestoriani, Apollinaristæ &c. Imo teste Tournelyo etiam ex Catholicis quidam post Gilbertum Porretanum contenderunt, humanitati Christi non esse impendendum cultum latriæ: Alensis vero, & Gabriel eidem solum concedunt latriam relativam. Verum sententiam oppositam tenent reliqui communissime cum S. Thoma 3 part. q. 25. art. 1 in Corp. eaque clare definita videtur in Concil. Lateranensi sub Martino I consult. 4 can. 9 his Verbis: *Si quis non una adoratione DEUM Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ DEI Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit*; proin

688 Dicendum. Humanitas Christi una eademque adoratione latriæ cum Verbo Divino est coadoranda. Prob. auctoritate Scripturæ, in qua Christus simpliciter nulla facta distinctione inter naturam Divinam, & humanam adorandus dicitur; sic Psalm. 96 v. 8 legitur: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Quæ verba Apostolus ad Hebr. 1 v. 5 Christo adoptat. Idem ad Philipp. 2 v. 10 ait: *In nomine JEsu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Denique Joan. 5 v. 23 ipse Christus eundem latriæ cultum, qui DEO Patri debetur, sibi vin-

vindicat. Neque Pater, inquit, *judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hoc ipsum passim tradunt SS. Patres. S. Ambros. lib. 3 de Spiritu S. cap. 11, S. Augustin. in Psalm. 98, S. Athanas. in epist. ad Adelphium. S. Damascen. lib. 4 de Fide cap. 3, ubi rem ita explicat: *Caro suapte quidem natura minime adoranda est, verum in incarnato Verbo DEO adoratur, non quidem vi sua, sed ob DEUM Verbum personaliter ipsi copulatum.*

689 Ratio ulterior est, quia, cum adoratur aliqua persona propter excellentiam, quam habet, adoratur tota, quamvis ejus excellentia non sit in omnibus ejus partibus; sic homo sanctus propter excellentiam sanctitatis, quæ in sola anima residet, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus dulia adoratur: ergo Christus propter excellentiam increatam totus suprema latria adoratur, licet hæc excellentia solius Divinitatis sit: atqui Christus totus constituitur etiam ex natura humana: ergo. Dixi, humanitatem Christi suprema latria esse coadorandam: per quod non nego, quod etiam sit adorabilis cultu latriæ inferiore propter excellentiam propriam, quam habet ob Divinitatem sibi substantialiter unitam; item cultu hyperduliæ propter gloriam, & sanctitatem creatam. Interim nihilominus, quoties Christus adoratur, adorandus est cultu latriæ supremo, tum quia excellentiam, in qua fundatur adoratio, proprie non habet natura, sed persona: tum quia quisque simpliciter adorari debet honore summo sibi debito; alias non satis decenter tractatur, ut patet in Rege, qui semper colitur honore regio, non Ducis, aut Comitis.

Objectiones.

690 Obj. 1. Solus DEUS adorari potest suprema adoratione latriæ; sed humanitas Christi non est

DEUS: ergo. Conf. S. Damaſcen. orat. 1 de imaginib. expreſſe negat, carnem Chriſti ut DEUM adorandam eſſe: *Non materiam*, inquit, *ſed materiæ auctorem adoro, qui propter me materia factus eſt*. Reſp. Diſt. maj. Solus DEUS ſuprema adoratione latriæ adorari poteſt primario, & propter excellentiam propriam, conc. maj. ſecundario, & propter excellentiam Deitatis, neg. maj. Quando adoramus Chriſtum, eandem reverentiam, eundemque cultum tam Divinitati, quam humanitati exhibemus; neque enim e. g. genuflexio, aut ſubmiſſio interna inter humanitatem, & Divinitatem dividitur. Diſcrimen tamen eſt in eo, quod Divinitatem velimus adorare primario, & ob propriam excellentiam; humanitatem vero ſecundario propter excellentiam increatam Divinitatis, cum qua ſubſtantialiter eſt unita. Hinc non dicimus, ſimpliciter humanitatem ſuprema latria adorari, ſed coadorari. Ad conf. redit data diſtinctio, quam ad mentem S. Damaſceni eſſe patet ex num. 688.

691 Dices. Si humanitas tantum adoratur ſecundario, ejus adoratio eſt inferior adoratione Divinitatis: ergo non eſt eadem, nec ſuprema. Conf. Divinitas habet ſummam excellentiam modo perfectiſſimo, nempe per identitatem, humanitas tantum modo finito per unionem: ergo non eſt eodem cultu adorabilis, quo Divinitas. Reſp. Diſt. ant. Adoratio humanitatis eſt inferior ex parte rei volitæ, neg. ant. ex parte modi volendi, conc. ant. & neg. conſ. Ut adoratio humanitatis non eſſet ſuprema, deberet inferioritas non ſolum eſſe ex parte modi volendi, ſed etiam ex parte rei volitæ, id eſt, ex parte ſubmiſſionis internæ, & reverentiæ externæ; atqui hæc reſpectu Divinitatis, & humanitatis eſt eadem, ut diximus num. ſuperiore. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Ergo non eſt eodem cultu adorabilis propter excellentiam ſibi propriam, conc. conſ. propter excellentiam propriam Divinitati, neg. conſ. Quia humanitas excellentiam

lentiam Divinam tantum participat per unionem, ipſimet dicimus, quod ideo tantum ſit adoranda cultu latriæ inferiori, quo tamen non obſtante ob excellentiam increatam poteſt etiam ſecundario adorari cultu latriæ ſupremo.

692 Obj. 2. Vel adoratio latriæ ſumma, quæ exhibetur humanitati, eſſet abſoluta, vel tantum reſpectiva? non primum, quia illi non exhibetur propter excellentiam propriam, ſed tantum ob relationem, quam habet ad Verbum; non ſecundum, alias hoc ipſo non eſſet ſumma. Conf. Si in Chriſto cum Divinitate coadoraretur humanitas, Verbum poſt Incarnationem adoraretur alio modo, quam antea; hoc abſurdum: ergo. Reſp. Conc. maj. neg. min. quoad 1 memb. Licet humanitas non adoretur ob excellentiam propriam, quia tamen cum Verbo idem conſtituit ſuppoſitum, adoratio abſolute, & immediate exhibetur etiam humanitati per modum unius objecti; adoratio autem reſpectiva tunc datur, quando unum ſuppoſitum adoratur ob excellentiam alterius ſuppoſiti. Ad conf. diſt. maj. Poſt Incarnationem Verbum adoraretur alio modo ex parte objecti materialis, conc. maj. ex parte objecti formalis, neg. maj. Adoratio Verbi poſt Incarnationem habet quidem aliud objectum materiale, quatenus ſimul terminatur ad humanitatem, & Divinitatem; objectum autem formale ſemper manet idem, nempe eadem excellentia increata Verbi.

693 Dices. Licet adorans Regem ſimul adoret purpuram per modum unius objecti, tamen adoratio purpuræ eſt tantum reſpectiva, & inferior adoratione Regis: ergo idem eſt de adoratione humanitatis. Conf. Sacrificium tantum poteſt offerri Chriſto ut DEO: ergo abſolute tantum poteſt adorari Chriſtus ut DEUS. Reſp. Neg. ant. Adoratio purpuræ eſt quidem reſpectiva, ſi purpura ſpectetur tanquam ſuppoſitum a Rege diſtinctum; quatenus vero adoratur Rex ut indutus purpura, adoratio immediate terminatur

natur ad Regem, & purpuram, eo quod totum adoretur propter excellentiam, quam in se includit, adeoque propter se. Ad conf. conc. ant. neg. consf. Sacrificium in lege nova non potest offerri Christo ut homini, quia a Sacerdotibus offertur nomine ipsius Christi, ita ut Christus qua homo sit offerens principalis; Christus autem qua homo nec per se, nec per alium sibi ipsi qua homini potest sacrificare. Econtra quando adoramus Christum, illum non adoramus in persona ipsius, sed in nostra propria persona. Quod si Christus etiam instituisset tale sacrificium, quod homines in propria persona offerrent, id posset offerri Christo non solum qua DEO, sed etiam qua homini Verbo Divino subsistenti.

694 Obj. 3. Humanitas Christi ob propriam suam excellentiam est adorabilis latria inferiori: ergo non potest adorari suprema. Nam juxta Concil. Lateranense cit. num. 687 Christus una adoratione est adorandus. Conf. Christus est perfecte unus: ergo unicam habet excellentiam, & unica adorationis specie adorabilis est. Resp. Conc. ant. neg. conf. Concilium Lateranense solum vult, quod Verbum, & humanitas ab illo assumpta non possint adorari tanquam diversa supposita, sed quod una eademque adoratio in utrumque tendat tanquam in unum objectum, & sic adoratio sit una ex parte rei adoratæ; ex quo non sequitur, quod humanitas Christi nequeat simul adorari ob propriam suam excellentiam latria inferiori, adeoque simul, & concomitanter dari duplex adoratio ex parte modi adorandi. Ad conf. dist. ant. Christus est perfecte unus in ratione suppositi, conc. ant. in ratione naturæ, neg. ant. & conf. Christus cum sit unicum suppositum subsistens simul in natura Divina, & humana, excellentiam Divinam habet duobus modis valde diversis, nempe per identitatem & unionem, quæ diversitas proin fundat duplicem latriæ adorationem.

Dices.

695 Dices. Sæpe ſolemus adorare pedes, manus, vulnera Chriſti: ergo Chriſtus ſaltem non ſemper debet adorari cultu latriæ ſupremo. Conf. Poſſumus Chriſtum amare, & laudare propter ſolam excellentiam creatam ſanctitatis, & gloriæ, vel ob ſolam increatam participatam præſcindendo ab excellentia increata per identitatem habita: ergo ſimili modo poſſumus illum adorare. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Quando honoramus manus, pedes, & vulnera Chriſti, non honoramus ea præciſe ſecundum ſe, ſed in partibus ipſum totum, videlicet Chriſtum, ut advertit S. Thom. 3 p. q. 25 a. 1 in corp. Rationem dat, quia honor proprie exhibetur toti rei exiſtenti, non parti. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Qui amat, vel laudat Chriſtum ob ſuam excellentiam creatam, vel participatam, nihil agit indecens, etſi præſcindat ab excellentia increata, quam habet ut DEUS per identitatem, modo hanc non excludat. Econtra ſecundum prudentem æſtimationem indecenter tractatur perſona, quando non colitur perfectiſſimo honore, propter maximam ſuam excellentiam ipſi debito, ut colligitur ab exemplo Regis indicato, num. 689.

QUÆSTIO II.

An liceat colere Angelos, & homines ſanctos in cælo cum Chriſto regnantes?

696 Quamquam ipſi Novatores cultum mere civilem Angelis, ac Beatis in cælo non denegent, nihilominus Lutherani, & Calviniſtæ Gentilibus, & antiquis hæreticis Manichæis, Eunomianis, Wicleffiſtis &c. adſtipulantur in eo, quod omnem cultum religioſum, quem orthodoxi Sanctis exhibent, non ſolum rejiciant, ſed etiam idololatriæ damnare non vereantur, eo quod adoratio ſoli DEO ſit debita. Aſt quod vox adoratio ab ipſa Scriptura diverſis rebus tribuatur, ſtatim initio hujus diſputationis adverti, neque

adeo

adeo rudes ſunt Catholici, ut ignorent, cultum latriæ, quo infinitam, ac increatam DEI excellentiam, noſtramque ſummam ſubmiſſionem erga ſupremum rerum omnium Dominum teſtificamur, ſoli DEO debitum eſſe. Ne tamen vox adoratio forte rudes offendat, ipſa Eccleſia, ejusque orthodoxi ſectatores eam fere ſemper in ſenſu ſtrictiſſimo pro ſupremo veri, ſoliusque DEI cultu uſurpant, Angelos vero, cæterosque Sanctos ſolum dicunt, colendos eſſe, cultu nempe longe inferiore, quem Duliam vocare ſolemus; ut adeo cum S. Hieronymo lib. contra Vigilant. merito ex obtrectatoribus noſtris quærere poſſimus: *Quis, o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit DEUM?*

697 Dicendum. Licitum, & laudabile eſt cultu religioſo colere Angelos, aliosque Sanctos cum Chriſto in cælis regnantes. Eſt de fide. Prob. 1. Auctoritate Scripturæ, in qua Sanctos ſæpe a viris piis, & prudentibus adoratos fuiſſe legimus; ſic de Joſuæ cap. 5 libri ejus habetur, quod, poſtquam vidit virum evaginato gladio contra ſe ſtantem, & intellexit, illum eſſe Angelum, pronus ceciderit in terram, eumque adoraverit. Idem refertur Geneſ. 18 de Abraham, & cap. 19 de Loth. Quod ſi laudabiliter coluntur Angeli beati, idem dicendum de aliis Sanctis, qui pariter ſunt amici DEI, & donis ſupernaturalibus excellunt. Imo 1 Reg. 28 Saul dicitur adoraſſe animam Samuelis ſibi apparentem. Et 3 Reg. 18 Abdias adoravit Eliam adhuc viventem. Ipſe quoque DEUS honorat amicos ſuos, & ſe glorificantes glorificat: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum,* 1 Reg. 2 verſ. 30. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus,* Joan. 12 v. 16.

698 Prob. 2. Auctoritate Patrum, & perpetua praxi Eccleſiæ, quam præter veteres ſynodos Laodicenam can. 31 & Gangrenſem can. 20 teſtantur tot templa in honorem Sanctorum erecta, inſtituta feſta, & piæ peregrinationes, quas ſibi placere DEUS ſæpe miraculis

culis ostendit. Origenes Homil. 3 in diversos ait: *Horum* (Sanctorum Martyrum) *memoria, ut dignum est, in Ecclesia celebratur.* S. Cyprian. lib. 4 epistolar. epist. 5: *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* S. Augustin. serm. 1 de S. Petro, & Paulo: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium.* Plurima alia ejusmodi Patrum testimonia exhibet Bellarmin. de Sanctor. beatitud. lib. 1 cap. 13. Id solum addo, conclusionem nostram jam definitam fuisse a Concil. Nicæno II act. 4 in decr. Fidei. Quin ipsa Pseudo-Synodus Iconoclastarum, licet adnitente Constantino Copronymo usum sacrarum imaginum prohibuerit, tamen can. 17 aperte definivit, Sanctos invocandos, & venerandos esse. Adeo aperte, & constans de hac veritate Catholica fuit Traditio.

699 Colliges 1. Cultum Sanctorum non tantum esse respectivum, sed absolutum; fundatur enim in propria, & intrinseca illorum excellentia, nempe in illorum gratia, & gloria apud DEUM. 2. Illum esse religiosum; neque enim Angelis, qui nobiscum civiliter non conversantur, cultus politicus competit, neque Saul animam Samuelis, aut Abdias potens aulicus pauperem Eliam adorasset, nisi excellentiam aliquam supernaturalem illis inesse credidissent. 3. Cultum hunc absolutum, & religiosum esse Duliam, quia Sanctis directe non exhibetur propter excellentiam increatam, sed creatam tanquam amicis DEI; hinc est longe inferioris ordinis, quam cultus latriæ, quem soli DEO deferimus. 4. B. Virgini tamen competit cultus hyperduliæ tum propter singularem sanctitatem, & gloriam, tum propter dignitatem Matris DEI, quo duplici titulo omnibus aliis sanctis tam Angelis, quam hominibus speciali modo eminet. An vero propter contactum ad Corpus Christi etiam possit adorari cultu respectivo latriæ, patebit ex dicendis de Sancta Cruce.

Obje-

Objectiones.

700 Obj. 1. Juxta S. Scripturam solus DEUS est adorandus, & colendus: *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies*, Deuteron. 6 v. 13. *Soli DEO honor & gloria*, 1 ad Timoth. 1 v. 17. ergo S. Scriptura reprobat cultum Sanctorum. Conf. Si in Scriptura aliqui leguntur adorasse Angelos, id fecerunt ex ignorantia, vel quia putarunt, esse homines; nam postquam Deuter. 12 varia præcepta de cultu DEI data sunt, v. 31 additur: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas:* ergo. Resp. Dist. ant. Juxta Scripturam solus DEUS adorandus est cultu latriæ, conc. ant. cultu religioso qualicunque, neg. ant. & conf. In lib. Deuteronomii textus Græcus expresse habet λατρεύσεις, & ad Rom. 2 v. 10 dicitur: *Gloria, & honor omni operanti bonum.* Unde textus objecti loquuntur de illa servitute, & cultu, qui omnium Creatori, ac Domino debetur. Ad conf. neg. ant. Josue optime sciebat, se adorare Angelum, nec ullibi legitur, quod Scriptura, aut Angeli hunc cultum reprobaverint. Porro Judæis quidem prohibitum fuit addere aliquid ritibus ad colendum DEUM præscriptis, ne in superstitionem, aut idololatriam deflecterent: at ideo ipsis non fuit prohibitum, ne Sanctos tanquam amicos DEI venerarentur.

701 Dices 1. Ipsi Sancti non sunt passi, ut ipsis cultus religiosus exhiberetur; sic Actor. 10 Petrus prohibuit Cornelium, se adorare volentem. Actor. 14 Paulus, & Barnabas vetuerunt Licaonibus, ne se adorarent. Apoc. 19 v. 10 Angelus non admisit adorationem a S. Joanne: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, DEUM adora.* Resp. Dist. ant. Non sunt passi, ut ipsis exhibeatur cultus latriæ, conc. ant. cultus duliæ, subd. ex modestia, transf. quasi judicassent, illum esse malum, neg. ant. Cornelius juxta S. Hieronymum lib. cont. Vigil. putavit, Petro inesse ali-

aliquid Divinum; vel si ipsum tantum veneratus est ut sanctum, Petrus id recusavit ex modestia, ut hunc locum exponit S. Chrysost. Licaonii Paulo, & Barnabæ voluere sacrificare tanquam Jovi, & Mercurio. S. Joannes juxta S. Augustinum quæst. 61 in Genes. putavit, Angelum, qui ipsi apparuit, esse Christum: dixerat enim cap. 1 v. 17: *Ego sum primus, & novissimus, & fui mortuus, & ecce sum vivens.* Alii cum S. Gregor. Beda, Anselm. &c. ajunt, Angelos quidem ante adventum Christi passos esse, se ab hominibus adorari, postea autem in reverentiam humanitatis Christi id non amplius admisisse. Ex quo tamen non sequitur, nos adorando Angelos male facere, nam & nos recte facimus illos adorando, & ipsi recte adorari recusant. Hinc S. Joannes Apoc. 22 eundem Angelum rursus voluit adorare.

Dices 2. Quamvis Aman a Mardochæo non petierit cultum latriæ, noluit tamen coram illo genuflectere, *Ne*, ut ajebat Esth. 13 v. 14, *honorem DEI transferret ad hominem*; & ipse Christus Dæmoni adorationem postulanti Matth. 4 v. 10 respondit: *Dominum DEUM tuum adorabis:* ergo creaturis ne quidem licet deferre cultum duliæ. Conf. Apostolus Galathas cap. 4 reprehendit, quod servierint iis, qui natura non sunt Dii; loquitur autem de cultu duliæ, quem verbum Græcum ἐδουλεύσατε significat. Resp. Trans. ant. neg. conf. Quod Dæmon a Christo postulaverit cultum latriæ, docet communis. Idem de Amano colligunt interpretes ex verbis: *Ne honorem DEI* &c. si tamen hoc alicui minus credibile videatur, dicat cum Vasquez, sicut Dæmonem omni, sic Amanum cultu religioso omnino indignum fuisse. Unde Mardochæus genuflexionem, quæ apud Judæos communiter soli DEO exhiberi solebat, merito illi negavit, ne forte aliis Judæis scandalum præberet. Ad conf. neg. ant. Verbum Græcum δουλεύειν est commune servituti DEI, & creaturarum, proinde exponi debet pro exigentia circumstantiarum, quæ

702

loco objecto postulant, ut sumatur pro cultu soli DEO competente.

703 Obj. 2. SS. Patres omnem cultum religiosum Sanctis denegant. Sic S. Athanas. serm. 3 contra Arian. docet: *Neque Angelos, neque homines sanctos adorandos esse.* S. Epiphan. in hæres. Collyridianorum sæpe repetit, *Mariam non esse adorandam, sed solum DEUM.* S. Ambros. in cap. 1 ad Rom. reprehendit eos, *qui adorant conservos.* S. Augustin. lib. de vera Relig. cap. 55 ait: *Non sit nobis Religio cultus hominum mortuorum, quia, si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, nos meriti sui esse consortes.* Denique Concil. Laodicen. can. 35 anathematizat eos, *Qui Angelos colunt.* Resp. Neg. ant. SS. Patres loquuntur de cultu latriæ; agunt enim contra errores Gentilium, & superstitiones quorundam Christianorum, qui B. Virgini, vel Sanctis defunctis Divinos honores detulerunt. Concilium Laodicenum can. cit. juxta Baronium solum prohibet cultum Angelorum malorum, seu Dæmonum, juxta alios cultum latriæ, quem exhibuerunt Angelis quidam hæretici, propterea dicti Angelici.

704 Dices 1. Catholici colunt Sanctos sacrificiis, templis, altaribus, votis, juramentis, &c. sed hic cultus est latreutricus; & soli DEO debitus: ergo. Conf. Sæpe eadem signa honoris, & reverentiæ Sanctis exhibemus, quæ DEO: ergo illos eodem modo colimus. Resp. Neg. ant. Sicut sacrificia proprie dicta, quia sunt contestatio supremi dominii in omnes creaturas, offeruntur soli DEO, sic templa, & altaria, super quæ Missa celebratur, soli DEO eriguntur, & tantum secundario ordinantur ad memoriam, & honorem Sanctorum, ut sic DEUS etiam laudetur in dilectis amicis suis, quemadmodum dudum advertit S. Augustin. lib. 20 contra Faustum cap. 21. Idem est de votis, quæ ex essentia sua principaliter DEO fiunt, ad quem etiam ultimato referuntur juramenta,

licet

licet nonnunquam immediate, & secundario juretur per creaturas, ex quibus DEI virtus specialiter relucet. Ad conf. transf. ant. dist. conf. DEUM eodem modo colimus spectando præcise signa externa, transf. conf. spectando mentem, & submissionem internam, neg. conf. Ritus, & actus externi plerumque sunt indifferentes ad cultum latriæ, duliæ, vel etiam politicum, unde circa illos spectanda est mens, qua peraguntur.

705 Dices 2. Ipsi SS. Patres B. Virgini tales titulos tribuunt, qui soli DEO possunt convenire; sic S. Athanas. appellat illam *Nostram Regeneratricem.* S. Bernard. *Restauratricem, & Advocatam.* S. Ephrem *Salutem Mundi.* Ecclesia in antiphona Salve Regina *Spem nostram.* Conf. Catholici sæpe feruntur majori devotione, affectu, & fiducia in Mariam, quam in ipsum Christum, ut patet ex concionibus, & libris typo editis, adeo, ut dicant, Mariam Filio imperare posse. Resp. Neg. ant. Patres ejusmodi titulos B. Virgini tribuunt, non quod credant, illam habere æqualem cum Christo dignitatem, & potestatem, sed quia ejus intercessio apud Divinum Patrem, ejusque Filium est maximi ponderis, ut huic quasi imperare videatur. Hinc ad conf. dico, devotionem, affectum, & fiduciam nostram subinde quidem esse tenerrimam, & intensive majorem ad Divinam Matrem, quam Christum, quia illum ut severum Judicem apprehendimus, B. Virginem vero tantum quam amantissimam matrem: at vero neutiquam est major appretiative, cum bene sciamus, Christum solum esse nostrum Redemptorem, & omnibus puris creaturis infinite superiorem; quod si quidam in libellis precatoriis, & concionibus per nimias hyperboles excedant, id non probat Ecclesia.

706 Obj. 3. Cultus religiosus est soli DEO debitus: spectat enim ad primam Decalogi tabulam: ergo non potest exhiberi Sanctis. Conf. Dulia, & latria tum in Scriptura, tum apud profanos Auctores idem significant,

ficant, & passim confunduntur: ergo. Resp. Dist. ant. Omnis cultus religiosus est soli DEO debitus, neg. ant. cultus latriæ, conc. ant. & neg. conf. Cultus duliæ, qui exhibetur Sanctis, proprie nec ad primam, nec ad secundam Decalogi tabulam spectat, utpote in Decalogo nullibi præceptus, ad utramque tamen reduci potest: ad primam ultimato, & mediate: ad secundam immediate, & proxime, in quantum Sanctos colimus tamquam amicos DEI, & sic ultimato propter DEUM, fere sicut proximum ultimato diligimus propter DEUM, quæ dilectio proximi immediate ad secundam, ultimato vero ad primam tabulam pertinet. Ad conf. transf. ant. Quamvis Scriptores profani duliam, & latriam sæpe confundant, tamen latria secundum usum Scripturæ fere nunquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturæ, & secundum usum Ecclesiæ nunquam. Dulia vero ab Ecclesia determinata est ad significandum cultum religiosum quidem, sed creaturis competentem.

707 Dices. Latria significat cultum, dulia servitutem; hinc ut S. Augustin. q. 94 in Exod. dicit: *Latria tribuitur DEO ut DEO, dulia vero ut Domino:* ergo dulia plus est, quam latria, & multo minus Sanctis potest exhiberi. Conf. Quamvis possimus colere pares tanquam amicos, & collegas, non tamen servimus, nisi Dominis: atqui non sumus servi Sanctorum, sed conservi: ergo. Resp. Dist. ant. Latria significat cultum qualemcunque, neg. ant. cultum servitutis, & quidem summæ, conc. ant. & neg. conf. Latria juxta determinationem Ecclesiæ significat cultum, qui exhibetur DEO in recognitionem supremi Dominii, adeoque est conjunctus cum summa servitute. Econtra dulia solum significat servitutem latius sumptam, quatenus nempe Sancti nos movent, & juvant ad bene operandum exemplo suo, & intercessione apud DEUM. Dum igitur S. Augustin. ait, duliam exhiberi DEO ut Domino, loquitur de dulia, quæ est talis per excellentiam, & specie distincta ab

ea,

ea, qua Sancti coluntur. Ad conf. dist. maj. Non servimus, nisi Dominis servitute stricte, & proprie tali, conc. maj. servitute latius accepta, neg. maj. & sic dist. min. cont.

708 Obj. 4. Si Sanctos tantum colimus ut amicos DEI, colimus ipsos propter DEUM: ergo ipsis tantum exhibemus cultum respectivum. Conf. DEUS communiter dicitur honorari in suis Sanctis; atqui hoc non est verum, nisi honorentur propter DEUM: ergo. Resp. Neg. ant. Quando Sanctus colitur, quia Sanctus, & amicus DEI est, colitur ob propriam excellentiam luminis gloriæ, gratiæ habitualis, aliorumque donorum supernaturalium, quæ illum amicitia Divina dignum reddunt: unde colitur quidem propter aliquid quod habet ordinem ad DEUM, non vero propter ipsum DEUM, seu excellentiam increatam. Ad conf. conc. maj. neg. min. DEUS in Sanctis suis sufficienter intelligitur honorari per hoc, quod illi specialem cum DEO habeant conjunctionem, & per sanctitatem specialiter naturam Divinam participent, ferme sicut honoratio ministri, aut consanguinei Regis ob specialem eorum conjunctionem in morali æstimatione est quædam honoratio ipsius Regis.

709 Dices. Si cultus Sanctorum est absolutus, non elicitur ab habitu Religionis: ergo non est cultus Religiosus. Conf. Sancti nobiscum non degunt: ergo non possumus illos colere, præsertim quia juxta aliquos non est de fide, quod hic homo e. g. S. Christophorus sit in cælo. Resp. Transf. ant. neg. conf. Si habitus Religionis stricte accipiatur, prout pertinet ad latriam, ab eo quidem non videtur procedere cultus Sanctorum, utpote specie diversus, & longe inferioris ordinis, procedit nihilominus ab alio habitu supernaturali, & est vere religiosus, quia exhibetur propter excellentiam, quæ est singularis, & supernaturalis participatio naturæ Divinæ. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Ex eo, quod Sancti non

 degant

degant nobiscum, non minus sunt digni reverentia, imo magis, utpote positi in feliciore, & sanctiore statu. Cæterum ut Sanctus aliquis possit coli, sufficit moralis certitudo, quod sit in cælo, & saltem de fide est; quod Sanctos colere sit licitum, & laudabile.

QUÆSTIO III.

An Angelos, aliosque Sanctos in cælo cum Christo regnantes etiam liceat invocare?

710 Invocare aliquem est cum aliqua fiducia ab illo petere auxilium, vel patrocinium. Unde invocatio religiosa Sanctorum, de qua nobis hic sermo est, cultui Sanctorum duo superaddit, nimirum fiduciam aliquam cordis, & preces nostras immediate ad illos directas, ut nos sua intercessione apud DEUM adjuvent. Contra hanc invocationem acriter insurgunt hæretici. Primus illam impugnasse dicitur Vigilantius: hunc tempore S. Bernardi secuti sunt Henriciani, seu Petrobrusiani, & Apostolici. Eundem errorem postea docuerunt Waldenses, Cathari, Wicleffistæ, Taboritæ, ac denique Lutherus, Calvin. Melanchton &c. quia, ut inquiunt, Sancti in cælo nec preces nostras, quas ad ipsos fundimus, cognoscere possunt, nec pro nobis orant, nisi ad summum in genere, ut adeo illorum invocatio prorsus sit inutilis, imo Christo, qui est unicus Mediator, & Intercessor noster, injuriosa. Quod ultimum jam refutavimus part. 2 disput. 3 quæst 4. Hinc ulterius

711 Dicendum: Non solum licitum, sed etiam bonum, atque utile est invocare Sanctos, ut pro nobis apud DEUM intercedant. Est de fide, definitum a Concil. Nicæno II act. 4 & 6, & Tridentin. sess. 25 in decreto de Invocat. Sanctorum. Prob. 1 ex Scriptura, quæ tum Angelos, tum alios Sanctos, sæpius invocatos fuisse commemorat; sic Genes. 48 v. 16 Jacob bene-

benedicens filiis dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Job. 5 v. 1 Eliphaz Jobum hortatus est: *Voca, si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Apocal. 5 v. 8 dicitur: *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas, quæ sunt orationes Sanctorum.* Ubi per 24 Seniores intelliguntur Sancti Novi, & Veteris Testamenti, qui offerebant orationes Sanctorum in terra adhuc degentium, sicut de Angelis legitur Apocal. 8. Conf. In utroque Testamento sæpe leguntur viventes a viventibus invocati, ut pro illis apud DEUM intercedant: ergo multo magis licet invocare Sanctos in cælo regnantes. Imo Moyses Exod. 32 v. 13 DEUM etiam per mortuos deprecatus est: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.*

712 Prob. conclus. 2. Sancti in cælo pro nobis non solum in genere, sed etiam specialiter preces nostras audiunt, easque DEO offerunt: ergo bene, & utiliter invocantur. Ant. prob. Zachar. 1 v. 12 Angelus DEUM specialiter in gratiam Jerusalem, & urbium Juda deprecatus est: *Usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda?* 2 Machab. ult. Judas in quadam visione vidit Oniam Pontificem, & Jeremiam Prophetam, qui jam obierant, orantes pro populo Judæorum. Genes. 19 v. 21 Angelus Loth deprecanti pro urbe Segor, respondit: *Suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.* Tob. 12 v. 12 Angelus Raphael dixit: *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Quod autem de Angelis dicitur, idem est de hominibus Sanctis, qui in cælo sunt, sicut Angeli DEI, & pro nostra salute non minus soliciti; sicut igitur jam in hac vita ex revelatione DEI aliqui cognoverunt secreta cordium, ut Samuel Saulis 1 Reg. 9, & res absentes, ut Elisæus sui famuli 4 Reg. 5, sic Sancti possunt cognoscere nostras preces etiam internas, præsertim cum hoc videatur pertinere ad accidentalem eorum beatitudi-

 nem,

nem, ut necessitates, & preces suorum clientum, & supplicum intelligant, in quo etiam consistit illa communio Sanctorum, quam in Symbolo Apostolico profitemur.

713 Prob. conclus. 3 ex Traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, quam in Sæculo IV jam viguisse cum ipsi Novatores negare vix audeant, solum ex tribus primis sæculis aliqua afferam. Itaque invocationis Sanctorum jam Sæculo I meminerunt S. Dionys. Areopagita cap. 7 Hierarch. Eccles. & Lyturgiæ S. Petri & S. Jacobi. Sæculo II Acta S. Polycarpi, & S. Ignatii Martyr. Item S. Irenæus lib. 5 adversus hæres. cap. 19. Sæculo III S. Cornelius Papa in epist. de translat. corp. Apostol. inquit: *Orantes DEUM, & Dominum nostrum JEsum Christum, ut intercedentibus Sanctis suis Apostolis, maculas nostrorum purget peccatorum.* S. Cyprian. serm. 18 de Sanct. *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes* &c. Origenes homil. 26 in cap. 31 Num. *Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment exemplis.* Confirmantur hæc omnia ex innumeris beneficiis, & miraculis, quæ fideles per intercessionem Sanctorum se impetrasse testati sunt, quorum multa jam olim memoriæ tradiderunt Euseb. lib. 5 historiar. S. Ambros. Augustin. Gregor. Thaumaturg. & Gregor. M. apud Bellarm. lib. 1 de Sanct. Beatif. cap. 19, ut adeo non nisi impudentissime omnia negari, aut in dubium vocari possint.

Objectiones.

714 Obj. 1. Illum solum licet invocare, in quem possumus credere: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* ad Rom. 6 v. 14; atqui in solum DEUM possumus credere; ergo. Conf. In Scriptura nullum datur mandatum, aut promissio de invocatione Sanctorum; ergo. Resp. Dist. maj. Illum solum, in quem possumus credere, licet invocare tanquam au-

ctorem,

ctorem, & largitorem beneficiorum, ac gratiarum, conc. maj. tanquam intercessorem, & patronum, neg. maj. Textus Apostoli solum vult, necessario prædicandum esse Evangelium, ut verus DEUS, ac Christus salutis nostræ auctores innotescant, quia nemo invocari potest, nisi cognoscatur. Porro sicut DEUM ut DEUM nemo invocare potest, nisi in illum credat, id est, nisi credat, DEUM esse; sic non potest invocare Sanctos ut Sanctos, & amicos DEI, nisi suo modo in eos credat, seu judicet, illos Sanctos esse. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Quod DEUS exaudiat eos, qui Sanctorum patrocinium ad aliquid impetrandum adhibent, satis testantur innumera signa, & prodigia ad invocationem Sanctorum facta, unde nulla alia promissione opus est. Imo talis promissio legitur Job. 42 v. 7: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis, & ego suscipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur stultitia.* Interim non asserimus, cultum, & invocationem Sanctorum esse præceptam, sed licitam, honestam, & utilem.

715 Dices 1. Si invocatio Sanctorum DEO placeret, haud dubie in Scriptura id nobis revelasset; ibi enim omnem suam voluntatem de obtinenda salute nobis manifestat; nec quisquam apud terrenum Principem audet agere causidicum, nisi ab ipso Principe constitutus vel admissus. Conf. Omnis cultus DEO gratus debet esse juxta voluntatem DEI: ergo in Scriptura debet de illo extare præceptum, & promissio formalis. Resp. Imprimis neg. suppositum, quod cultus Sanctorum in Scriptura non sit revelatus. Dein falsum est, quod omnia salutis media in Scriptura sint revelata, præsertim clare. Sic ipsi hæretici credunt existentiam Scripturæ, utilitatem, ac necessitatem baptizandi parvulos &c. licet in Scriptura nulla de his fiat mentio. Denique juxta nos Sancti non sunt causidici, qui jure agunt, & justitiam petunt, sed patroni nostri, qui pro gratia apud DEUM intercedunt. Ad conf. dist. ant. Nisi sit

juxta voluntatem DEI consulentem, aut approbantem, conc. ant. necessario præcipientem, neg. ant. & conf. Non omnia, quæ DEO placent, præcepta esse, manifestum est ex Consiliis Evangelicis.

716 Dices 2. Ex una parte in antiquo Testamento mortui nunquam fuere invocati, sed tantum illorum merita DEO proposita: ex altera parte etiam in novo Testamento nil de hac invocatione reperitur, & primis Ecclesiæ temporibus non nisi pauca illius exempla reperiuntur: ergo. Conf. Quod sancti Angeli invocentur, & nobis opitulentur, ideo fit, quia a DEO sunt constituti hominum custodes: ergo non est paritas cum aliis Sanctis. Resp. Neg. conf. Si mortui in antiquo Testamento non fuerunt directe invocati, ratio est, quia nondum fruebantur gloria cælesti, & visione beatifica; fuere tamen invocati indirecte, dum eorum merita fuerunt DEO proposita, ut advertit Theodoret. q. 67 in Exod. In novo Testamento expresse habetur ad Rom. 15, quod viventes fuerint invocati a viventibus, & de mortuis id docet Traditio. Dum autem Evangelium scriptum est, nondum multi sanctitate insignes erant mortui, & pauca alia primæ ætatis opera ad nos pervenerunt; quo non obstante sufficientia traditionis testimonia in probat. 3tia allegavimus. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Psalm. 44 v. 17 de omnibus Sanctis dicitur: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Et Apocal. 2 v. 26: *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes;* ex quibus colligitur, omnes Sanctos aliquo modo ad nostram custodiam esse deputatos, & licet non essent, ideo non minus pro nobis possent esse soliciti.

717 Obj. 2. Sancti non cognoscunt preces nostras: ergo frustra invocantur. Ant. prob. 3 Reg. 8 v. 39 de DEO dicitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Eccles. 9 v. 5: *Mortui nihil noverunt amplius.* Isai. 63 v. 16: *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Resp. Dist. ant. Sancti non cognoscunt

ſcunt preces noſtras naturaliter, & ex propria virtute, conc. ant. ſupernaturaliter, aut ex DEI revelatione, neg. ant. Quod Sancti cognoſcant ea, quæ fiunt in terra, clare colligitur ex cap. 11 & 19 Apocal. & ex epiſt. 1 ad Corinth. ubi cap. 4 v. 9 dicitur: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Neque obſtant textus objecti; nam primus tantum vult, quod DEUS cognoſcat cogitationes, & ſecreta omnium hominum ex propria virtute, & infinita perfectione, in quo ſenſu etiam dicitur ſolus bonus; ſecundus loquitur de cognitione naturali, quam ſolam ante adventum, & deſcenſum Chriſti ad inferos habebant mortui, etiam juſti, utpote nondum beati: tertius in eodem ſenſu poteſt exponi, vel cum S. Hieronymo in hunc locum intelligi de ſcientia approbationis, in quantum Abraham, & Jacob non agnoverunt Judæos pro filiis ob eorum peccata.

718 Dices. S. Auguſtin. lib. de cura pro mortuis cap. 13 docet: *Mortuos neſcire, quid vivi agant, & patiantur*, idque probat non ſolum exemplo Abraham, & Jacob, ſed etiam matris ſuæ, quam putabat eſſe beatam. Origenes lib. 2 in epiſt. ad Rom. inquit: *An Sancti poſt mortem aliquid agant, vel orent pro nobis, inter occulta DEI myſteria habendum eſſe.* S. Gregor. Nazianz. orat. in Gorgoniam ſororem ſuam per modum dubitantis interrogat: *Si tibi noſtri aliqua eſt ratio, & hoc Sanctis a DEO munus, ut talia reſciſcant, ſuſcipe noſtrum ſermonem* &c. Reſp. S. Auguſtinus ſolum docet, quod Sancti res noſtras non cognoſcant naturaliter, nec illis interſint aſſidue more humano. In eodem ſenſu loquitur Origenes; S. Gregor. autem non interrogat per modum dubitantis, ſed affirmantis, ut cum Apoſtolus ad Philemon v. 17 dixit: *Si habes me ſocium, ſuſcipe illum.* Cæterum hi ipſi Patres aliis in locis clare docent, quod Sancti ſint invocandi, & preces noſtras cognoſcant, ut videre eſt apud Bellarmin. lib. 1 de beatitud. Sanctor. cap. 20.

719 Interim qua ratione preces, aliæque res nostræ Sanctis innotescant, non est omnino exploratum; duæ sententiæ inter Catholicos sunt magis celebres. Una vult, Sanctos a principio suæ beatitudinis per visionem beatificam in DEO videre omnia, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, proinde etiam orationes nostras ad se directas: Altera putat, orationes nostras tunc primum Sanctis a DEO revelari, quando illas fundimus, ferme sicut Prophetis, aliisque Sanctis adhuc viventibus multa futura occulta revelata fuerunt. Posterior hæc opinio videtur esse S. Augustini lib. supra cit. cap. 16, & magis idonea ad refellendos modernos hæreticos, qui negant, Sanctos ante ultimum judicii diem ad visionem beatificam admitti; opinio tamen prior, quam tenet S. Thom. & Gregor. M. lib. 12 moral. cap. 13 vocatur a Bellarmino probabilior, eo quod alias Ecclesia non tam audacter omnibus Sanctis diceret: *Orate pro nobis*, sed aliquando a DEO peteret, ut illis preces nostras revelaret. Præterea sic convenientius redditur ratio, quare Sancti in antiquo Testamento saltem publice non fuerint directe invocati, quia nempe ipsis ordinarie non fuit revelatum, quid in terra agatur, eo quod nondum habuerint visionem beatificam.

720 Obj. 3. Quis sit invocandus, optime novit Christus; atqui Christus verbo, & exemplo nos docuit, solum DEUM invocandum esse. Nam Matth. 6 v. 9. *Orantes*, inquit, *dicite: Pater noster, qui es in cælis* &c. & ipsemet orans Patrem aliquoties compellavit: *Pater! salvifica me*, Joan 12. v. 27. *Pater venit, hora*, Joan. 17 v. 1. Conf. Sancti in cælo jam acceperunt omne præmium pro suis meritis, & sibi ipsis nil amplius possunt mereri: ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. Quando Christus Apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de rebus, quæ petendæ sunt, illos voluit instruere; quod enim solus DEUS tanquam auctor bonorum invocandus sit, jam nove-

noverant Apoſtoli, neque Chriſtus, utpote omnium reliquorum caput, alium, niſi DEUM potuit invocare. Argumentum probaret, ſolum Patrem, non item Filium, & Spiritum Sanctum eſſe invocandum. Ad conf. tranſ. ant. neg. conſ. & ſuppoſitum, quod Sancti nobis adhuc aliquid mereantur. Attamen propter præcedentia ſua merita digni ſunt, ut pro nobis intercedentes exaudiantur, imo hoc videtur pertinere ad illorum beatitudinem accidentalem, quæ non ſtatim initio debuit tota concedi.

721 Dices. DEUS ipſe nos magis amat, quam Sancti, & paratiſſimus eſt nos exaudire, modo ipſum rogemus: *Petite & accipietis*, Luc. 11 v. 11. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joan. 16 v. 23: ergo fruſtra ad Sanctos accedimus. Conf. S. Chryſoſt. in Homil. de profectu Evangelii ait, quod apud DEUM non opus ſit patronis: *Neque enim tam facile DEUS annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipſimet oramus, etſi plurimis pleniſſimi malis*. Reſp. Conc. ant. quoad 1 memb. diſt. quoad 2. Modo ab ipſo petamus, prout oportet, conc. ant. aliter, neg. ant. & conſ. Licet DEUS nos magis amat, quam Sancti, tamen magis amat Sanctos, magisque paratus eſt illos exaudire, quam nos, quia oratio requirit diſpoſitionem in orante, quam non ſemper habemus. Argumentum probaret, etiam fruſtra peti preces viventium. Ad conf. S. Chryſoſtomus loquitur de iis, qui preces viventium implorant, & ipſimet nihil orant, ſed tantum pauperibus largiuntur eleemoſynam, ut orent pro ipſis.

722 Obj. 4. Nos ipſi fatemur, quod invocatio Sanctorum non ſit præcepta: ergo eorum cultus tantum eſt electitius: atqui Apoſtolus ad Coloſſ. 8 omnem cultum electitium reprobat: ergo. Conf. Habetur ab experientia, quod Sancti ſæpe in periculis, morbis &c. fruſtra invocentur: ergo ſignum eſt, quod eorum invocatio DEO non placeat. Reſp. Conc. ant. & conſ. ſi per cultum electitium nihil aliud intelli-

telligatur, quam cultus positive non præceptus, neg. min. subs. Apostolus ibi solum reprobat cultus superstitiosos, inanes, & falsos, contra voluntatem DEI ab hominibus excogitatos. Porro quamvis cultus Sanctorum stricte præceptus non sit, recte tamen ait Tournelyus, eum merito de errore, aut contemptu Sanctorum suspectum fore, qui hunc cultum Ecclesiæ totius usu perpetuo comprobatum per totam vitam suam de industria omitteret. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Non raro ipsum DEUM frustra pro aliquo beneficio rogamus, quin ideo nostra oratio DEO displiceat, sed ratio, quare non exaudiamur, est, quia non petimus satis devote, & constanter, vel id, quod petimus, non profuturum nobis DEUS, & Sancti præsciunt.

723 Dices. Catholici non solent invocare promiscue omnes Sanctos, sed determinatos quosdam e. g. pro viatoribus, alios pro captivis, alios pro bobus, vel ovibus &c. sed ista ad minimum redolent vanam superstitionem; ergo. Conf. Nonnunquam invocantur Sancti, de quibus merito dubitatur, utrum aliquando in rerum natura fuerint, adeo eorum Legendæ scatent fabulis, falsitatibus, & ridiculis narrationibus: ergo. Resp. Conc. maj. neg. min. Cum certi aliqui Sancti in aliqua virtute specialiter floruerint, aut singulari cruciatuum genere in aliquo membro passi sint, vel experientia constet, in quibusdam necessitatibus sæpius a DEO aliquid impetrasse, quam alios, neutiquam vanum, ac superstitiosum est, si præ aliis invocentur. Ad conf. Nos tantum defendimus, illos Sanctos posse invocari, de quorum sanctitate satis constat. Quod si universa Ecclesia aliquem colat, sine protervia non potest dubitari, utrum in rerum natura exstiterit. Neque obstat, quod historiæ quorumdam fabulis corruptæ fuerint; ejusmodi enim acta apocrypha Ecclesia non approbat, nec veritatem historiæ, sed sanctitatem hominum definit.

Quæres;

Quæres: An etiam animæ Juſtorum, quæ adhuc in Purgatorio detinentur, ſint invocandæ? Reſp. cum Suario, Valentia, Alenſi, negative, quia necdum fruuntur viſione beatifica, adeoque ordinarie preces noſtras non cognoſcunt, & potius ipſæmet noſtris ſuffragiis indigent Hinc Eccleſia in orationibus publicis animas purgantes non invocat, ſed tantum pro illarum liberatione DEUM deprecatur. Addit tamen Suarez, illum, qui in privata iſtarum animarum invocatione ſentit devotionem, & fructum, non eſſe ab ea removendum. Nam animæ purgantes de noſtris precibus poſſunt admoneri per Angelos Cuſtodes, vel a DEO per revelationem edoceri. Præterea illarum interceſſione plura beneficia impetrata leguntur, & S. Gregor. lib. 4 Dialog. cap. 40 & 41 refert de quodam Paſchaſio, quod adhuc in Purgatorio exiſtens miracula patrarit. Ob quas rationes Medina, Konink &c. ſimpliciter dicunt, animas purgantes privatim poſſe invocari; quam ſententiam Bonacina judicat eſſe probabilem. 724

QUÆSTIO IV.

An liceat colere Reliquias Sanctorum?

Reliquiarum nomine non ſolum intelliguntur corpora Sanctorum, eorumque partes, ſed etiam veſtes, roſaria, baculi, inſtrumenta martyrii &c. quæ eorum uſu, & attactu ſacrata fuerunt. Hinc ad reliquias vel maxime ſpectat Crux, in qua Chriſtus pependit, ejusque partes ſingulæ, etſi formam Crucis non amplius habeant; reliquæ vero cruces pertinent ad imagines ſacras, & perdita Crucis forma non amplius ſunt colendæ. Contra cultum SS Reliquiarum poſt antiquos hæreticos Eunomium, Vigilantium, & Conſtantinum Copronymum ſe iterum oppoſuere Wicleſiſtæ, Lutherus, & Calvinus, qui ob eundem Catholicos impudenter idololatriæ arguunt. Venerationem Crucis ſpecialiter impugnarunt Pauliani, 725

Petrus

Petrus Bruis, Henricus, & Centuriatores Magdeburgenſes centur. 4 cap. 4 & 6.

726 Dicendum: Licitum & honeſtum eſt colere Sanctorum reliquias. Eſt de fide, definitum in pluribus Conciliis particularibus, & Generali VII act. 3, ac Tridentino ſeſſ. 25 in decr. de Venerat. SS. Reliquiarum. Prob. 1 exemplis Scripturæ, in quibus DEUS oſtendit, cultum SS. Reliquiarum ſibi placere. Exod. 13 Moyſes ex Ægypto honorifice ſecum aſportavit oſſa S. Joſephi. 4 Reg. 13 Oſſa Eliſæi, cum tetigiſſent mortuum quemdam, continuo illum ad vitam revocarunt. Iſai. 11 v. 10 de ſepulcro Domini dicitur: *Erit ſepulcrum ejus glorioſum.* Luc. 8 Chriſtus ſanavit Hæmorrhoiſſam, cum fimbriam tetigit veſtimenti ejus. Actor. 5 umbra S. Petri ſanavit infirmitates. Actor. 19 ſudaria, & ſemicinctia S. Pauli deferebantur ad ægrotos, & convaleſcebant. Accedunt innumera alia miracula, quæ ad ſepulcra Sanctorum, & reliquias ſacras patrata a SS. Patribus, aliisque probatiſſimis Auctoribus referuntur.

727 Prob. 2 ex Traditione, & praxi Eccleſiæ. S. Clemens Apoſtolorum coætaneus lib. 6 conſtitut. Apoſtolic. cap. 8 ait: *Eorum, qui in DEO vivunt, neque reliquiæ ſine honore manent.* Euſeb. lib. 7 hiſtor. cap. 19 ſcribit: In Eccleſia Hieroſolymitana ſumma cum reverentia ſervatam eſſe cathedram S. Jacobi. Nicephor. lib. 3 hiſtor. cap. 19 narrat, oſſa S. Ignatii Martyris honoris cauſa Romam eſſe translata. Ruffinus lib. 2 hiſtor. cap. 26 reliquias S. Joannis Baptiſtæ Sebaſtæ ſummo honore ſervatas eſſe. Euſeb. Emiſſen. Homil. de S. Blandina inquit: *Ubi ſunt, qui venerationem ſacris Martyrum dicunt deferendam non eſſe corporibus?* S. Damaſcen. lib. 4 de fide ex profeſſo probat, reliquias Sanctorum Martyrum eſſe venerandas. S. Hieron. ep. 11 ad Riparium docet, Chriſtianos ſolum DEUM adorare, ſed Martyres, & reliquias eorum venerari. Similia habent SS. Cyrill. Chryſoſtom. Ambroſ. Auguſtin. aliique tum

Græci,

Græci, tum Latini apud Bellarm. de Reliquiis Sanctor. cap. 3.

728 Prob. specialiter de S. Cruce, quam Christus ipse tanquam aram summi sacrificii, & instrumentum vincendi Diabolum, ac redimendi genus humanum elegit; hinc DEUS non est passus, ut pretiosum lignum hoc absumeretur, aut semper lateret, sed eo tempore, quo tuto coli poterat, Helenam divinis visionibus admonuit, ut illud in lucem protraheret, idque veram Crucem esse, in qua Christus pependit, per evidentia miracula demonstravit, ut testantur S. Cyrill. Hierosolym. in epist. ad Constantin. Eusebius lib. 3 de vita Constantini, & ipse Constantinus in epist. ad Macarium. Similia miracula contigere, quando Heraclius a Persis, non sine prodigio devictis, Sanctam Crucem iterum recuperavit; hinc fideles jam primis illis sæculis summo desiderio tenebantur habendi, aut saltem videndi particulas veræ Crucis, ut referunt Cyrill. Hierosolym. catech. 12 & 13, & S. Gregor. Nyssen. in vita Macrinæ sororis: Ecclesia quoque inventionem, & exaltationem S. Crucis solenni ritu celebrat.

Objectiones.

729 Obj. 1. DEUS abscondit corpus Moysis, ut habetur Deuteron. ult. Christus quoque Matth. 23 reprehendit Judæos, quod ædificent sepulcra Prophetarum, & ornent monumenta Justorum; & Luc. 11 v. 48 dixit: *Profecto testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra:* ergo. Conf. Apostolus 2 ad Cor. 5 v. 16 inquit: *Etsi novimus Christum secundum carnem, jam non novimus:* ergo vult, quidquid in Christo carnale fuit, post ejus mortem oblivioni tradendum. Resp. Conc. ant. neg. conf. DEUS ipse Moysis corpus honoravit, dum illud sepelivit; abscondit autem, ne Judæi pro

DEO colerent. Porro Chriſtus Judæos non reprehendit, quod ornarent monumenta Prophetarum, ſed quod magis imitarentur eorum occiſores, quam Prophetas; ornabant enim ſepulcra Prophetarum tantum ex ſuperbia, ſicut eorum majores ex ſuperbia Prophetas occiderunt, quos illi revera imitabantur, quærentes occidere ipſum Dominum Prophetarum. Ad conf. jam alibi advertimus S. Paulum per carnem intelligere mortalitatem, & paſſibilitatem, quam Chriſtus poſt mortem non amplius habuit. Hinc in forma conc. ant. neg. conſ.

730 Dices. Judæi non coluerunt Moyſen viventem pro DEO: ergo non erat periculum, ne illum ita colerent poſt mortem, vel idem periculum nunc eſt in reliquiis Sanctorum. Conf. DEUS Eccleſ. 38 jubet ſepeliri corpora mortuorum, neque in ſepulcris amplius manent, ſed tantum cinis: ergo. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Dum Moyſes adhuc vivebat, Judæi quotidie ab illo audiebant, unum eſſe verum DEUM, ſe autem illius ſervum; at poſt mortem non amplius audientes illius verba, & recordati mirabilium ejus, facile potuiſſent adduci, ut crederent, illum eſſe DEUM, utpote aliunde proniſſimi ad idololatriam, ita, ut etiam vitulum aureum adorarent. Econtra apud Chriſtianos nunquam fuit auditum, quod aliqui Reliquiis honores Divinos detulerint, & nunquam in Eccleſia defuerunt, qui voce, & calamo populum docerent, quisnam cultus Reliquiis debeatur. Ad conf. Catholici viris ſanctis poſt obitum ſepulcra non negant, & illorum corpora tunc primum oculis hominum exponunt, quando exeſa, ab omni ſanie, & fœditate purgata, & pretioſe ornata ſunt. Nonnunquam tamen in ſepulcris Sanctorum oſſa manent, aut certe eorum memoria, ob quam honorari merentur.

731 Obj. 2. Cultus Reliquiarum in Eccleſia primum introductus eſt Seculo IV tempore Juliani Apoſtatæ, ut dicunt Magdeburgenſes centur. 4 cap. 6: ergo

non

non probatur ex traditione. Conf. S. Augustin. lib. 22 de civit. DEI cap. 8 cultum Reliquiarum vocat superstitiosum; & lib. 1 de moribus Eccles. cap. 34 ait: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa religione superstitiosi sunt; novi multos esse sepulcrorum, & picturarum adoratores.* Resp. Neg. ant. Nam B. Gregor. lib. 3 epist. 30 scribit, jam tempore, quo Petrus, & Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente, & eorum, tanquam suorum civium, Reliquias petiisse. Imo ipsi Centuriatores in vita S. Lucæ fatentur, ante tempora Juliani Reliquias SS. Andreæ, & Lucæ summo honore a Constantino Constantinopolim translatas fuisse. Plura ejusmodi exempla dedimus in probat. 2. Ad conf. S. Augustinus de civit. DEI cap. cit. ne quidem nomen superstitionis habet, sed venerationem SS. Reliquiarum aperte profitetur. In libro de moribus Ecclesiæ, quem statim initio suæ conversionis scripsit, reprehendit illos, a quibus sepulcra, & imagines cultu absoluto, & propter se honorari credebat.

732 Dices. S. Hieronymus lib. adversus Vigilant. eidem objicienti, idololatriam esse cereos accendere coram Reliquiis, respondit, qui hoc faciunt, *zelum DEI habere, sed non secundum scientiam.* Concilium vero Eliberitanum can. 34 ait: *Ejusmodi cereis Sanctorum Spiritus inquietari.* Resp. S. Hieronymus contra Vigilantium non impugnavit, sed propugnavit cultum Reliquiarum, & quamquam usum cereorum non approbaverit, quia tunc in Ecclesia nondum omnino receptus fuerat, simulque periculum, ne more gentilium ex superstitione adhiberi crederetur, nihilominus illos, qui bona fide cereos accendebant, excusat, dicens, *Eos secundum fidem suam habere mercedem.* Concilium Eliberitanum prohibet usum cereorum juxta morem gentilium, illos accendentium ad evocandas defunctorum animas, quæ superstitio utique Sanctis maxime displicebat. Porro accendere cereos coram Reliquiis, aut tumulis Sanctorum

 neuti-

neutiquam est signum adorationis DEO debitæ; alias neque liceret cereos accendere, cum mortui deferuntur ad sepulcrum.

733 Obj. 3. Crux, clavi, lancea, & cætera passionis instrumenta Christo attulerunt dolorem, & ignominiam: ergo potius sunt execranda, quam honoranda. Conf. Qui venerantur instrumenta passionis, imitantur hostes Christi; illi enim de passione Christi gaudebant, econtra amici Christi de illa dolebant. Resp. Transf. ant. neg. conf. Quamvis Crux, aliaque ejusmodi instrumenta tempore passionis Christo attulerint dolorem, & ignominiam, simul tamen majus ipsi attulerunt gaudium, & gloriam ob devictum in cruce Dæmonem, & redemptum genus humanum, unde sunt præcipua signa sui amoris erga nos, & gloriosa relati triumphi pignora, ex contactu sanctissimi illius corporis sanctificata, ejusque sanctissimo sanguine perfusa. Ad conf. neg. ant. Dum instrumenta passionis veneramur, simul compatimur Christo propter dolores, quatenus ipsum afflixerunt, simul autem propter eosdem gaudemus, quatenus Christo attulerunt gloriam, & nobis redemptionem.

734 Dices. Impius foret filius, qui amaret, & honoraret patibulum, in quo pater ejus suspensus fuit: ergo a pari. Conf. Est injuriosum Christo, quod honor ipsi debitus tribuatur Cruci, illoque relicto homines potius opem apud ligna, & mortua Sanctorum corpora quærant. Resp. Neg. conf. Qui nunc suspenduntur in patibulo, suspenduntur inviti, & ex culpa sua vera, vel saltem juridice probata; unde ex sua morte nihil aliud, nisi pœnam, & infamiam lucrantur: sicut ergo nulla est paritas inter Christum, & ejusmodi suspensum, sic nulla est inter Crucem Christi, & patibulum. Ad conf. neg. suppositum, quod honor Christo debitus tribuatur Cruci, aut quod Christus ab illis, qui SS. Reliquias venerantur, deseratur; quia dum illas colimus, neque in illis spem nostram ponimus, neque illos invocamus, sed prin-

principaliter in iisdem colimus Christum, aliosque Sanctos, ut istos nobis propitios reddamus.

735 Obj. 4. Si oporteret venerari omnes cruces, quia Christus in cruce pependit, oporteret pariter honorare omnia sepulcra, præsepia, omnes columnas, lanceas &c. quia Christus jacuit in sepulcro, reclinatus fuit in præsepio, ad columnam alligatus &c. 2. Possemus venerari labia Judæ, quæ osculando Christum tetigerunt. 3. Imo & asinam, in qua Christus sedit; hæc absurda: ergo. Resp. Neg. sequelas. Quia non omnia sepulcra, præsepia &c. sunt ordinata in hunc finem, ut sepulcrum, aut præsepe Christi exprimant, sed ad alios usus destinata. Econtra cruces ad exprimendam illam, in qua Christus pependit, ordinatæ sunt. 2. Labia Judæ fuerunt immediata instrumenta passionis, & pars scelerati Judæ, sicut manus aliorum Christum percutientium. Econtra crux, spinæ &c. tantum fuerunt instrumenta remota, & mediata. 3. Asina erat jumentum, cui religiosus cultus non poterat convenienter tribui, neque erat instrumentum specialiter electum a Christo ad peragendum redemptionis negotium, sicuti crux, ut advertit S. Athanas. libr. quæstion. ad Antioch. q. 15.

736 Dices. Etsi crux sit sine Christo, nihilominus exprimit veram crucem, in qua Christus pependit, & a nobis colitur, quia cum vera cruce habet similitudinem: ergo idem dicendum foret de sepulcris, & præsepibus, etsi Christum non contineant, quia nihilominus habent aliquam similitudinem cum sepulcro, & præsepio Christi. Conf. Superstitiosum est characteribus tribuere virtutem: at Papistæ signo crucis tribuunt varias virtutes e. g. vim pellendi Dæmones: ergo. Resp. Dist. ant. Exprimit veram crucem, & a nobis colitur ideo solum, quia cum vera cruce habet aliquam similitudinem, neg. ant. Quia simul est ordinata ad veram crucem significandam, conc. ant. neg. conf. Ut aliquid sit imago alterius, non sufficit similitudo, sed insuper ad alterum

 expri-

exprimendum debet esse ordinatum. Ad conf. Tribuere virtutes characteribus ideo est superstitiosum, quia nec ex natura sua, nec ex institutione DEI, aut Ecclesiæ aliquam habent, sed tantum serviunt pro signo fœderis cum Dæmone. At signum crucis habet suam virtutem a DEO, & Ecclesia, a qua ordinatum est ad Christum, & DEUM honorandum.

737 Obj. 5. Circa Reliquias plurimæ contigerunt fraudes, & adhuc possunt contingere, ita, ut loco Reliquiarum colantur ossa brutorum, membra latronum &c. ergo cultus Reliquiarum non est tolerandus. Conf. Non nunquam eædem reliquiæ monstrantur in diversis locis, uti corpus S. Dionysii Areopagitæ Parisiis, & Ratisbonæ. Resp. Neg. ant. de Reliquiis, quæ in Ecclesia publicæ venerationi exponuntur; Ecclesia enim, præsertim a tempore Concilii Lateranensis, & Tridentini, magnam curam adhibet, ne Reliquiæ sine sufficienti examine exponantur publicæ venerationi. Quod si tamen nonnunquam aliqua deceptio contingeret, minime sequeretur, quod omnes Reliquiæ deberent esse suspectæ. Sic licet non nunquam contingat, ut filii adulteri supponantur legitimis, ideo non dubitamus de omnibus, an legitimi sint. Ad conf. Quod eadem corpora subinde dicantur asservari in diversis locis, inde fit, vel quia in pluribus locis est illorum pars, vel quia dantur plures sancti ejusdem nominis, & per errorem putatur esse corpus ejusdem Sancti, eo quod documenta belli, incendii, aut temporum injuria perierint.

738 Dices. Saltem circa illas Reliquias, quæ privatim habentur, & coluntur, sæpe decipimur: ergo. Conf. De Cruce Christi tot hinc inde particulæ asservari dicuntur, ut simul collectæ integram navem onerariam replerent. Resp. Transf. ant. neg. conf. Vel enim adest prudens ratio dubitandi, vel non? Si non, ipsa bona fides, & ignorantia excusat ab errore formali, quo forte Reliquiæ falsæ coluntur, nec ideo

ideo minus in iis colitur ille ſanctus, cujus Reliquiæ eſſe creduntur, eo quod cultus Reliquiarum ex natura ſua ſit reſpectivus, & principaliter tendat in ipſum ſanctum; ſi vero adeſt ratio dubitandi, cultus vel debet omitti, vel ſolum adhiberi conditionate, ſi nempe ſint veræ Reliquiæ, per quam conditionem periculum errandi rurſus evitatur; quippe, ſi Reliquiæ ſint veræ, eorum cultu non erratur, ſi falſæ, non coluntur, quia non purificatur conditio. Ad conf. Particulæ crucis plerumque ſunt valde tenues, & parvæ: præterea probati Scriptores dicunt, lignum crucis per prodigium non fuiſſe imminutum, licet plurimæ particulæ in varias mundi partes fuerint aſportatæ.

739 Cæterum ut breviſſime aliquid dicamus etiam de ſigno Crucis, quod in fronte, aut aëre formare ſolemus, certum eſt, illius uſum eſſe antiquiſſimum, ut demonſtrat Bellarmin. lib. 2 de reliquiis cap. 29, adductis complurium SS. Patrum, & Scriptorum teſtimoniis, qui primis V Sæculis floruerunt, multaque narrant miracula per ſignum Crucis facta. Videlicet ſignum Crucis eſt quædam invocatio Chriſti crucifixi ſigno expreſſa, quæ tanto magis eſt potens, ac efficax, quanto magis procedit ex fide, fiducia, & devotione erga Chriſtum, ejusque merita. Imo ex ipſa inſtitutione DEI, & opere operato videtur ſignum Crucis valere contra Dæmones, eo quod etiam Pagani, & Infideles, qui nullam habuerunt fidem in Chriſtum, ſed ſolum intendebant facere, quod viderunt fieri a Chriſtianis, ſæpius ſigno Crucis fugaſſe Dæmonem legantur, uti videre eſt apud Epiphan. hæreſ. 30, & Gregor. Nazianz. orat. 1 in Julian.

QUÆSTIO V.

An etiam licitum sit colere imagines DEI, & Sanctorum?

740 Cultum sanctarum imaginum præter Judæos, & Mahumetanos primis Ecclesiæ Sæculis impugnavere Marcionistæ, Manichæi, Eutychiani, & Theopassistæ apud P. Simonet. Vehementius Sæculo VIII eundem persecutus Leo Isauricus, qui Judæorum instigatione imaginum usum publico edicto anno 730 penitus aboleri præcepit, propterea dictus Iconomachus, seu Iconoclasta. Impium patrem æmulati sunt filius Constantinus Copronymus, & Nepos Leo IV cognomine Chasarus. Deinde Sæculo IX Leo Armenus, Michael Balbus, & Theophilus pariter Orientis Imperatores. In Occidente hanc hæresim disseminarunt Sæculo IX Claudius Episcopus Taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus. Sæculo XII Albigenses. Sæculo XIV Wiclefistæ. Sæculo XVI Lutherani, Zwingliani, & præsertim Calvinistæ, qui non solum omnem cultum sacrum imaginibus denegant, sed eas, ubicunque possunt, frangunt, comburunt, vel abradunt.

741 Dicendum: Licitum, & pium est sacras imagines DEI, & Sanctorum colere. Est de fide, definitum a Synodo Generali VII act. 7, a Synodo VIII act. 10 can. 3, a Tridentina sess. 25 in decreto de sacris imaginibus. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ jubet aliquas res inanimatas honorari propter specialem relationem, & respectum, quem habent ad DEUM, & res Divinas; sic Numer. 21 DEUS jussit erigi æneum serpentem, qui erat figura Christi in cruce pendentis, ut qui eum (utique non sine veneratione) aspexissent, sanarentur a morsibus serpentum venenatorum. Arcam fœderis quanto in honore habuerint Judæi, cuivis notum est, & Psalm. 98 v. 5 de illa dicitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.*

est. Cum eadem Judæi etiam coluerunt duos Cherubinos, qui ex præcepto Domini ſupra Arcam poſiti erant. Certe cultus imaginum nullibi in Scriptura legitur prohibitus, cumque juxta ipſos Novatores liceat venerari imagines Cæſarum, Principum, parentum &c. cur non imagines Chriſti, & Sanctorum veneremur, non quidem cultu latriæ, aut quaſi in illis ſpem ullam, & confidentiam ponamus, attamen cultu religioſo propter meritum, & excellentiam illorum, quos repræſentant.

742 Prob. 2 ex Traditione, & praxi Eccleſiæ. Traditionem expreſſe allegavit Synodus VII act. 2 & 7. Eandem adductis veterum teſtimoniis probavit S. Damaſcen. in orationibus, quas conſcripſit de imaginum cultu, & uſu. De praxi Eccleſiæ teſtantur Patres antiqui Gregor. Nyſſ. orat. de S. Theodor. Mart. S. Auguſtin. lib. 22 contra Fauſt. cap. 73, & S. Chryſoſt. orat. 45 ad populum Antiochen. S. Ambroſius de obitu Theodoſii ait, *Sapienter egiſſe Helenam, quæ Crucem Chriſti in capite Regum locavit, ut in Regibus adoretur*. S. Hieronymus in vita Paulæ, *Illam autem Crucem Chriſti proſtratam adoraſſe, quaſi pendentem in ea Chriſtum vidiſſet*. Tertull. lib. 7 de pudicit. jam ſuo tempore Chriſtum ſub ſpecie paſtoris ovem inventam reportantis in calicibus depictum fuiſſe; imo Euſeb. lib. 7 hiſtor. cap. 18 narrat, quod illa mulier, quam Chriſtus a fluxu ſanguinis liberavit, in ejus honorem ſtatuam æneam erexerit. Accedunt innumera beneficia, & miracula, quæ DEUS per imagines Chriſti, & Sanctorum operatus eſt, ut referunt ac teſtantur Scriptores omni exceptione majores.

743 Colliges 1. Licitum eſſe facere, & pingere imagines non ſolum Chriſti, & Sanctorum, ſed etiam Angelorum, & ipſius DEI, ac SS. Trinitatis. Quippe Angeli juſſu DEI fuere collocati ſupra Arcam, & DEUS ipſe ſæpe ſub corporea ſpecie apparuit, eique a S. Scriptura omnia hominum membra tribuuntur;

neque ejusmodi imagines sunt ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, seu naturæ spiritualis, sed ad explicandas ejus proprietates per aliquam analogiam. 2. Imagines DEI, & Sanctorum recte collocari in templo; id enim semper fuit usitatum in Ecclesia, & clare definitum in Conciliis Generalibus supracitatis. Imo signa sacra nusquam melius, quam in templis, & locis sacris collocantur. 3. Sacras imagines non tantum utiles esse ad historiam, ut volunt hæretici; nam in Christianis memoriam Christi, & Sanctorum excitant, charitatem erga illos fovent, fiduciam conservant, imitationem suadent, & ipsorum Sanctorum cultum augent, ac promovent.

Objectiones.

744 Obj. 1. DEUS Exod. 20 & Deuter. 5 v. 8 prohibet omnem imaginem: *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile, neque similitudinem omnium.* Conf. DEUS in Scriptura sæpius conqueritur, quod Judæi eum repræsentarint per imagines: *Cui similem fecistis DEUM? aut quam imaginem ponetis ei?* Isai. 40 v. 18. *Cui assimilastis me, & adæquastis, qui confertis aurum, & argentum statera ponderatis, conducentes artificem, ut faciat DEUM?* Isai. 46 v. 5. Resp. Dist. ant. DEUS prohibet omnem imaginem, quæ adoretur ut DEUS, aut DEUM falsum repræsentet, conc. ant aliter, neg. ant. & conf. DEUS locis objectis prohibet idola, per quæ intelligitur non qualiscunque imago, sed talis, quæ velut DEUS colitur, vel DEUM falsum repræsentat; cum enim dicitur: *Non habebis DEOS alienos*, prohibetur actus interior idololatriæ; cum autem dicitur: *Non facies tibi sculptile*, prohibetur actus exterior, ut colligitur ex S. Augustin. q. 71 in Exod. & ex ipsa Scriptura, dum verbis objectis paulo post subjungit: *Non adorabis eas, neque coles: Ego sum Dominus*

minus DEUS tuus. Ad conf. Cum Judæi non fecerint imagines ad repræsentandum verum DEUM, conqueritur in his textibus contra simulacra falsorum Deorum, quæ habebant pro Diis, adeoque DEO æquabant.

Dices 1. Gentiles fuere idololatræ, licet in suis imaginibus coluerint verum DEUM; nam eidem Deo e. g. Jovi plura erigebant simulacra, & sua idola sæpius mutabant, quin ideo mutarent Deos, aut Deos novos se facere crederent. Hinc teste S. Augustino in Psal. 113, cum accusarentur idololatriæ, dicere solebant, se non colere idola, sed Numen, quod per idolum significabatur. Resp. Neg. ant. Imprimis licet gentiles non coluissent ipsa idola, tamen in illis coluissent Deos falsos. Dein quod multi, præsertim rudiores, ipsa idola coluerint, patet ex Scriptura, in qua Prophetæ sæpe laborant, ut doceant, idola argentea, & aurea non esse Deos, quia non loquuntur, non vident &c. idem testantur SS. Patres, Augustin. Tertull. Cyprian. &c. apud Bellarm. lib. cit. cap. 13, qui dum contra gentiles scribunt, eos rident, quod ligna, & lapides pro Deo colant. Falsum igitur, quod non putaverint, se posse Deos saltem terrestres facere, & mutare. Simili stultitia credere potuerunt, non esse absurdum, si unus Deus cœlestis e. g. Jupiter habeat in terra multos collegas minores. 745

Dices 2. Saltem Judæi in vitulo aureo coluerunt verum DEUM, & tamen fuerunt reprehensi: ergo. Ant prob. 1. Quia Exod. 32 v. 4 de vitulo aureo dixerunt: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* atqui verus DEUS illos eduxit. 2. Quia vitulum nullo speciali nomine appellaverunt; sed simpliciter DEUM vocaverunt: *Cras solemnitas Domini est: surgentesque mane obtulerunt holocausta, & victimas.* Resp. Neg. ant. Quod Judæi in suis idolis non semper coluerint verum DEUM, manifestum est ex Scriptura; sic Deuter. 32 v. 17 dicun- 746

dicuntur *immolasse Dæmoniis, & non DEO: Diis, quos ignorabant.* De vitulo aureo determinate ait Psalmista Psalm. 105 v. 19 & seqq. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile - - - obliti sunt DEUM suum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* Hinc ipsi vitulo, quem in Ægypto viderant tanquam DEUM summum coli, nomen veri DEI tribuerunt, eique adscripserunt, quod illos ex Ægypto eduxerit. Constat quoque ex libris Judicum cap. 17, & 3 Reg. cap. 12, quod Judæi non omnibus suis idolis speciale nomen dederint.

747 Obj. 2. Teste Paulo Diacono lib. 22 rerum Roman. duo Concilia Constantinopolitana, unum sub Leone Iconomacho, alterum sub Constantino Copronymo, cui interfuere Episcopi 338, definiere, abolendas esse SS. imagines: ergo. Conf. Concil. Eliberitanum, quod jam ante Nicænum I celebratum fuit, can. 36 statuit, *Picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Resp. Conc. ant. neg. conf. Ambo ista Concilia sunt illegitima, a nullo summo Pontifice approbata, sed in Synodo Generali VII a tota Ecclesia reprobata. Ad conf. Concil. Eliberitanum tantum fuit particulare, nunquam a Sede Apostolica approbatum, nec usum imaginum absolute prohibuit, sed solum, ne in parietibus depingantur, & sic persecutionis tempore ludibrio gentilium exponantur, aut facile dejectis parietum crustis deformatæ potius contemptui sint, quam venerationi. Interim ex hoc ipso Concilio patet, quod usus SS. imaginum jam fuerit primis Ecclesiæ temporibus.

748 Dices. Concil. Francofordiense anno 794 damnavit Synodum Nicænam II, quam per errorem Constantinopoli habitam fuisse dicit, quod anathema dixerit illis, *qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium, & adorationem non impenderent.* Conf. Libri Carolini, & conventus Parisiensis jussu Ludovici Pii convocatus omnem cultum, & venera-

tionem

tionem imaginum reprobarunt: ergo. Resp. Concilium hoc particulare, de quo solum constat, quod circa damnationem Elipandi, & Felicis approbatum fuerit, vel infida actorum in linguam latinam versione deceptum existimavit, Synodum Nicænam imaginibus decrevisse cultum latriæ, sicut Deificæ Trinitati, vel certe hanc Synodum nondum agnovit tanquam Oecumenicam, utpote a summo Pontifice nondum publico judicio approbatam, ut colligitur ex epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum. Ad conf. Libri Carolini, & conventus Parisiensis non videntur reprobasse omnem cultum imaginum quoad substantiam, sed tantum quoad certos quosdam modos Græcorum, apud nos inusitatos. Imo libri Carolini a Bellarmino, aliisque tanquam apocryphi rejiciuntur.

749 Obj. 3. SS. Patres sæpe reprobant cultum imaginum; sic S. Irenæus lib. 1 adversus hæres. cap. 15 reprehendit Gnosticos, quod colerent imaginem Christi, & Pauli. Tertull. lib. de idololatria cap. 3 invehitur in artifices statuarum, & imaginum, quos Diabolus, inquit, sæculo intulit. S. Epiphan. hæres. 79 ait, hæreticos esse, qui imaginem Christi circumferunt, & colunt. Resp. Dist. ant. Reprobant cultum imaginum falsum, superstitiosum, & indiscretum, conc. ant. pium, & discretum, neg. ant. S. Irenæus reprehendit Gnosticos, quia imagines coluerunt sacrificiis, ut gentes idola, & insuper easdem habuerunt eodem loco, quo imagines Platonis, Pythagoræ &c. Tertullianus manifeste agit contra idololatras, qui imagines tanquam Deos, aut Deo plenas adorarunt. S. Epiphan. Collyridianos vocat hæreticos, quod B. Virginem haberent pro Dea, eique ut DEO sacrificarent.

750 Dices. S. Ambrosius de obitu Theodosii ait, Helenam in Cruce Domini Regem adorasse, non lignum. S. Hieronymus in cap. 3 Daniel. cultores DEI eam (statuam) adorare non debent. S. Gregorius M. in

duabus

duabus ad Serenum epiſtolis illum carpit, quod imagines fregiſſet, laudat vero, quod eas adorari non permiſiſſet. Reſp. S. Ambroſius loquitur de cultu latriæ, & abſoluto, quem Helena utique non Cruci, ſed Chriſto exhibuit. S. Hieronymus agit de iis, qui ſtatuas Imperatorum Divinis honoribus afficiebant; arguit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri Babylone facere recuſarunt. S. Gregorius ſolum vult, SS. imagines non eſſe colendas incompetenter, & ita, quaſi in ipſis imaginibus aliquid Divinum lateret. Quod enim tam hic, quam alii Patres cenſuerint, imagines ſacras colendas eſſe, manifeſtius eſt, quam ut negari poſſit.

751 Obj. 4. Non poteſt fieri vera imago rei incorporeæ: ergo ſaltem non licet colere imagines DEI. Nam ut S. Paul. Act. 17 v. 29 inquit: *Genus ergo cum ſimus DEI, non eſt æſtimandum auro, vel argento, aut lapidi artis ſculpturæ, & cogitationis hominum Divinum eſſe ſimile.* Conf. Imagines ſunt rerum abſentium, DEUS autem ubique eſt præſens: ergo. Reſp. Diſt. ant. Non poteſt fieri vera imago, quæ exprimat perfectam ſimilitudinem rei incorporeæ, conc. ant. quæ illius proprietates explicet per aliquam analogiam, neg. ant. S. Paulus ſolum vult, quod imagines, & ſtatuæ DEI non poſſint ita fieri, quaſi DEO eſſent perfecte ſimiles quoad naturam, alias ne quidem liceret DEUM ſibi imaginari per ſpecies abſtractas e. g. alicujus hominis, cum tamen ipſe DEUS Adamo in paradiſo ita apparuerit, & a pictoribus ſæpe coloribus exprimantur virtutes, quæ nequidem ſunt aliqua ſubſtantia. Ad conf. diſt. ant. Imagines ſunt rerum abſentium tantum, neg. ant. etiam præſentium, præſertim illarum, quæ videri non poſſunt, conc. ant. Voces ſunt etiam invocationes eorum, qui non intuentur cor, an ergo non licet DEUM orare voce, quia omnium corda ſcrutatur?

752 Dices. S. Auguſtinus lib. 4 de fide, & Symbolo cap. 7 dicit, nefas eſſe DEO ſimulacra collocare. Origenes

genes lib. 7 contra Celſum; & S. Damaſcenus lib. 4 de fide cap. 17 docent, Chriſtianos nullam DEI imaginem habere, utpote incorporei, & inviſibilis. Euſebius, & Lactantius teſtantur, omnes, quorum ſimulacra viderint, fuiſſe homines mortales: ergo. Reſp. S. Auguſtinus, Origenes, & Damaſcenus loquuntur de ſimulacris, quæ formam, & naturam DEI perfecte referrent. Euſebius, & Lactantius vero agunt de idolis gentium; volunt enim oſtendere, Deos gentilium eſſe homines, idque probant ex eo, quia omnes ſunt ſtatuæ hominum, quorum ſepulcra oſtenduntur. Interim Bellarminus lib. de imagin. Sanctorum cap. 8 fatetur, non eſſe tam certum, an ſint faciendæ imagines DEI, & SS. Trinitatis, quam quod facere liceat imagines Chriſti, & Sanctorum; hoc enim ultimum eſſe de fide, non item primum.

753 Obj. 5. Etſi cultus imaginum de ſe eſſet bonus, facile tamen inducit in idololatriam, & ſuperſtitiones, ut docet experientia, qua videmus, Catholicos, dum precantur, non ſolum ad imagines accedere, ſed etiam unam e. g. imaginem Chriſti magis adorare, quam alteram, & magno labore ad illam peregrinari. Conf. Quando Ezechias vidit coli ſerpentem æneum, juſſit illum confringi: ergo. Reſp. Neg. ant. Catholici optime norunt, ipſis imaginibus nullam ineſſe vitam, aut virtutem, multo minus Divinitatem; hinc ad illas ſolum accedunt, ut illarum aſpectu excitetur major pietas, & devotio erga ſanctum, quem referunt; unam autem præ altera colunt, quia DEUS per unam ſolet operari plura beneficia, quam per alteram. Quodſi rudes forte aliquando per imagines in errorem inducantur, id eſt per accidens, ſicut quod ab aliquibus adoretur ſol, ignis &c. qui ab ipſo DEO producti ſunt. Ad conf. Judæi alias ad idololatriam erant valde proni, & tunc ſerpentem æneum coluerunt tanquam Deum.

754 Dices. Tamen S. Joannes epiſt. 1 cap. ult. Chriſtianos monet, ut ſibi a ſimulacris caveant; & S. Au-

guſtin.

gustin. sæpius, nominatim epist. 49, advertit, non posse imagines in templo collocari, quin infirmi decipiantur, credentes, illas spirare, ac vivere. Conf. S. Epiphan. in epist. ad Joann. Hierosolymit. ait, esse contra Scripturæ auctoritatem, quod in Ecclesia pendeat imago hominis. Et de Adriano Imperatore refert Ælius Lampridius in vita Alexandri Imperat. quod in gratiam Christianorum templa jusserit exstrui sine simulacris. Resp. S. Joannes loquitur de idolis; nam in textu Græco expresse habetur vox εἴδωλον. In eodem sensu intelligendus est S. Augustinus; vult enim dicere: Quando quis putat, simulacrum esse DEUM, & accedit, ut illud adoret, & invocet, in suo errore confirmatur per ipsam membrorum humanorum similitudinem. Ad conf. Locus S. Epiphanii est supposititius, ut ostendit Bellarminus lib. cit. cap. 9. Adrianus vero jussit fieri templa sine simulacris gentilium, quia Christiani nolebant orare in templis, ubi idola colebantur.

QUÆSTIO VI.

Quomodo colendæ sint Imagines, & Reliquiæ Sanctorum?

755 De modo colendi sacras Imagines (idem est de Reliquiis) tres sunt diversæ inter Catholicos sententiæ. Prima, quam videtur tenere Durand. Alphons. a Castro, aliique citati apud Catharinum, docet, imagines nullo modo esse colendas in se, sed solum exemplar coram imagine. Altera, quæ tribuitur S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Cajetano &c. vult, imaginibus eundem honorem respectivum esse exhibendum, qui competit exemplari, proinde imaginem Christi esse colendam latria, imaginem B. Virginis hyperdulia, imagines aliorum Sanctorum dulia. Tertiam inter duas priores mediam tenent Catharinus, Bellarmin. Tournely, contendentes, ipsas imagines in se, & proprie debere quidem honorari, sed honore minore,

minore, quam ipsum exemplar, ita, ut proprie, & simpliciter nec hyperdulia imagini B. Virginis, nec dulia imaginibus aliorum Sanctorum debeatur, sed illi solum hyperdulia, & istis dulia secundum quid, & reductive talis, cultu autem latriæ nullam omnino imaginem proprie adorandam esse.

756 Antequam aliquid decidam, præmitto triplicem cultus distinctionem probe notandam. 1. Potest aliquid honorari propter se, vel propter aliud. Propter se honoratur, quod in se ipso habet rationem venerationis independentem ab alio. Propter aliud honoratur, quod quidem in se habet causam honorationis, sed præcise dependentem ab alio, ut num. 684 jam advertimus. 2. Potest aliquid honorari per se, vel per accidens. Per se honoratur suppositum, per accidens honoratur id, quod est conjunctum supposito, quod honoratur; sic quando honoratur Rex, per se honoratur ille homo, qui est Rex, per accidens autem purpura, aliaque adjuncta. 3. Potest aliquid honorari proprie, vel improprie. Proprie honoratur, quod vere ratione sui honoratur: improprie, quod solum honoratur loco alterius; sic quando Legatus Regis honoratur ut Legatus, honoratur proprie, licet propter alium; si autem solum honoratur loco Regis honore Regibus proprio, ipse honoratur improprie.

757 Dicendum 1. Sacræ Imagines, & Reliquiæ Sanctorum proprie, & per se colendæ sunt. Prob. auctoritate omnium illorum Conciliorum, & Patrum, qui simpliciter docuere, imagines, & Reliquias Sanctorum esse honorandas; si enim solum possent honorari improprie, quia coram illis, vel in illis honoratur exemplar, proprie, & simpliciter non essent honorandæ, cum id, quod non nisi improprie de aliquo dicitur, simpliciter negari possit. Sane Concilium Constantinopolitanum IV act. 10 can. 3 expresse definit, sacras imagines esse venerandas, sicut Evangelia, & vasa sacra, & contrarium asserere ausis ana-

thema dicit. Ratio eſt, quia Reliquiæ, & imagines Sanctorum vere in ſe habent aliquid ſacri; nam Reliquiæ fuerunt inſtrumentum animæ ad opera bona, & pignora chariſſimorum noſtrorum Patronorum, ipſo uſu, & attactu illorum ſacrata: Imagines autem referunt eorum ſimilitudinem, & ad cultum ſacrum ſunt dedicatæ.

758 Dicendum 2. Imagines, & Reliquiæ ſacræ non ſunt colendæ propter ſe cultu abſoluto, ſed tantum reſpectivo propter exemplar. Prob. Illud ſolum poteſt abſolute, & propter ſe coli, quod habet propriam, & intrinſecam excellentiam independenter ab alio, propter quam honore, & cultu dignum eſt, ſeu propter quam homo honeſte poteſt velle ſe ipſi tanquam ſuperiori ſubmittere, atque hujus ſubmiſſionis notam aliquam exhibere: atqui Reliquiæ, & Imagines ſacræ non habent talem excellentiam, cum ſint res mere inanimatæ, & homine inferiores, quibus proin nullus ſe prudenter, & honeſte tanquam ſuperiori poteſt ſubmittere; hinc cultus abſolutus competit ſoli creaturæ rationali, res vero inanimatæ tantum venerabiles ſunt propter relationem, quam habent ad perſonas, ita, ut, licet SS. Reliquiis, & Imaginibus inſit propria aliqua excellentia, illa tamen tota dependeat ab ipſis Sanctis, quorum Reliquiæ, & Imagines ſunt, quam ob cauſam omnis cultus reſpectivus Reliquiarum, & Imaginum, ſimul eſt cultus abſolutus exemplaris.

759 Dicendum 3. Cultus reſpectivus, qui ſacris Reliquiis & Imaginibus exhibendus eſt, non eſt idem cum cultu, qui exhibetur exemplari, ſed illo inferior. Prob. Cultus, qui exhibetur ipſis ſanctis, eſt abſolutus, & fit ad conteſtandam ipſis ſubmiſſionem, & aliquam ſervitutem, eorumque ſuperioritatem recognoſcendam: atqui tali modo non poſſumus colere SS. Reliquias & Imagines; ſed ſicut imago eſt aliquid inferius ſuo exemplari, ſic cultus imaginis debet eſſe inferior cultu exemplaris. Item ſicut imago eſt ſuum

exem-

exemplar ſolum analogice, & ſecundum quid; nam homo pictus eſt tantum homo ſecundum quid, & analogice; ita cultus, qui imagini debetur, eſt tantum ſecundum quid, & analogice cultus debitus exemplari. Hinc Concil. Nicænum II, quando actione 7 definit imagines Chriſti eſſe venerandas, expreſſe addit: *Non tamen latria.*

760 Colliges 1. Neque Imagines, neque ipſam Crucem Chriſti per ſe, & proprie adorandas eſſe cultu latriæ. Quippe Concilia, & Patres paſſim dicunt, Imagines non eſſe colendas ut DEUM, & qui imagini Chriſti Divinos honores exhibuerunt, inter hæreticos numerati ſunt a S. Irenæo lib. 1 cap. 24, Epiphanio hæreſ. 27, Auguſtino hæreſi 7. Ratio eſt, quia latria eſt cultus ſummus, qui debetur DEO ut primo rerum principio; nulla autem imago per ſe, & proprie eſt DEUS, ſive conſideretur ſecundum ſe, ſive ſecundum relationem, quam ad DEUM habet: imo in terminis videtur implicare, exhibere alicui cultum ut primo principio, & hoc propter aliud. 2. Idem dicendum de ſanguine, quem DEUS in inſtrumentis paſſionis, aut alio modo in terra reliquit, quia non amplius eſt hypoſtatice unitus Verbo, ut part. 1 num. 182 adverti. 3. Quandoque tamen Sanguis, Crux, & Imagines Chriſti poſſunt adorari latria per accidens, & improprie, in quantum accipiuntur pro ipſo Chriſto, cujus vicem gerunt; ſic quando die Paraſceves Crucifixus paulatim detegitur, & adorandus proponitur, Crucifixus vicem gerit Chriſti, ita tamen, ut mens in Chriſtum ſit defixa, & honor, ac adoratio per ſe, & proprie ſoli exemplari exhiberi intelligatur.

Objectiones.

761 Obj. 1. Juxta ſententiam Baſilii in Synodo VII ſæpius repetitam, honor imaginis tranſit ad exemplar: ergo Imago non eſt honoranda per ſe, ſed per llam, & in illa ſolum exemplar. Conf. Ex verſicu-

lis, qui tempore Synodi VII dicuntur compositi, & visuntur Venetiis in æde aurea: *Nam DEUS est, quod imago docet, non est DEUS ipsa: Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.* Resp. Conc. ant. neg. conf. Etsi imago honoretur per se, & immediate cultum terminet, tamen iste mediate transit ad ipsum exemplar, in quantum, qui honorat imaginem alicujus, eandem honorat propter honorem illius, cujus est imago; sic qui eleemosynam propter Christum facit pauperi, illam mediate Christo fecisse censetur juxta illud Matth. 25 v. 40: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ad conf. Illi versiculi solum docent, non deberi imagini eundem honorem, qui debetur exemplari, ut patet ex ratione, quæ in ipsis versiculis allegatur, quia videlicet imago non est DEUS, sed imago DEI; nos autem non asserimus, eundem honorem deberi imagini, & exemplari, sed illi, quam huic minorem.

762 Dices. Imagines, & Reliquiæ sunt tantum res inanimatæ, sensus, & rationis expertes: ergo non sunt capaces cultus, & honoris; alias etiam potuisset coli sputum Christi, quo curavit cæcum. Conf. Homo, licet sit imago DEI, propterea non solet religiose coli: ergo minus ligna, & lapides colendi sunt, etsi imaginem DEI, aut Sanctorum referant. Resp. Conc. ant. dist. conf. Ergo sunt incapaces cultus, & honoris absoluti, conc. conf. respectivi propter exemplar, neg. conf. Christus non patravit miraculum sputo, ut sputum honoraret, aut nobis honorabile redderet, sicut sæpe patravit miracula per imagines, & Reliquias, ut earum cultum commendaret. Neque ejusmodi res viles censentur esse pignus a Sanctis relictum nobis, cum nec DEUS, nec Ecclesia velit, ut honorentur in iis, quæ potius nauseam, quam devotionem causarent. Ad conf. transf. ant. Quia etiam homo ut imago DEI juxta S. Cyrillum catech. 12, & S. Augustinum epist. 203 aliqua veneratione dignus est. Neg. conf. Homo ab Ecclesia non proponitur

ponitur ut colendus tanquam imago DEI, eo quod periculum esset, ne propter se coli putaretur.

763 Obj. 2. Si SS. Reliquiæ, & Imagines essent sanctæ, & simpliciter capaces cultus, & honoris, possent coli seorsim ab exemplari, ita, ut totus cultus ad ipsos terminaretur, & exemplar tantum esset fundamentum eas colendi: ergo non tantum possent coli cultu respectivo. Conf. Legatus Regis potest ita coli, ut Rex non sit terminus illius cultus: ergo a pari. Resp. Dist. ant. Si SS. Reliquiæ, & imagines essent sanctæ sanctitate absoluta, & tali, ob quam creatura rationalis se illis posset submittere tanquam superiori, conc. ant. si tantum habent sanctitatem relativam, quæ tota dependet ab exemplari, ad quam habet aliquam similitudinem, vel connexionem, neg. ant. & cons. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Disparitas est, quia Legatus Regis præter excellentiam relativam ad Regem, quam habet qua Legatus, etiam habet excellentiam propriam sibi intrinsecam, & absolutam, ob quam propter se ipsum coli potest. Licet hic quoque cultus indirecte, & in æstimatione morali in Regem redundet, ferme sicut num. 708 diximus de cultu Sanctorum.

764 Dices. Potest fieri, ut imago, & exemplar alicui ab intellectu repræsententur per modum unius objecti, & compositi cujusdam accidentalis: ergo tunc imago potest adorari eadem adoratione, qua exemplar: sicut quando purpura adoratur cum Rege. Conf. Humanitas Christi absolute adoratur eadem adoratione cum Verbo: ergo a pari. Resp. Transf. ant. dist. conf. Potest adorari eadem adoratione, sive eodem actu, ita, ut adoratio sit respectiva in ordine ad imaginem, & absoluta in ordine ad exemplar, conc. conf. ut sit absoluta respectu utriusque, subdist. potest ita adorari per accidens, & in complexo propter excellentiam totius, transf. conf. per se, & propter excellentiam propriam, neg. conf. Ad conf. Sub data distinctione potest transmitti totum: quamquam

 circa

circa humanitatem Christi sit aliqua disparitas in eo, quod imago sit aliquod suppositum distinctum ab exemplari, & per se incapax cultus absoluti; humanitas Christi autem de se est capax cultus absoluti, & cum Verbo constituit idem suppositum. Vide num. 692.

765 Obj. 3. Ecclesia Crucem Christi non minus colit, quam ipsum Christum; nam de illa canit: O *Crux ave, spes unica, auge justitiam, reisque dona veniam:* ergo cultus respectivus imaginum est idem cum cultu absoluto exemplaris. Conf. Quando Concilia, & Patres dicunt, imagines Christi non esse adorandas cultu latriæ, solum volunt, quod non sint ita adorandæ propter se. Resp. Neg. ant. Quando Ecclesia ita canit, vel Crucem accipit pro ipso Christo, vel illam alloquitur per prosopopœiam Rhetoricam, sicut Deuter. 32 v. 1 Moyses allocutus est cælum, & terram: *Audite cœli, quæ loquor* &c. Porro figurata hac allocutione solum intendimus significare, nos desiderare fructum Crucis, id est, salutem per merita Christi in Cruce passi. Ad conf. iterum neg. ant. Quod imagini propter se non competat cultus latriæ, per se patebat, unde opus non erat hoc definire, neque illi, qui ob adorationem imaginis Christi dicti sunt hæretici, eandem aliter, quam propter Christum adorarunt. Hinc Concilium Constantinopolitanum expresse ait, imagines Christi non esse aliter colendas, quam sacra vasa, & librum Evangeliorum.

766 Dices. SS. Ambros. & Hieronymus eandem adorationem Divinitati, & Cruci Christi tribuunt. Nam prior de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7 ait: *Num, cum in Christo imaginem DEI, & crucem adoramus, dividimus eum?* Posterior de obitu Paulæ: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Conf. Latria, licet sit cultus proprius DEO, quando aliis exhibetur propter se, non tamen est proprius DEO, si alicui tantum exhibetur propter aliud: ergo. Resp. Neg. ant. Sicut

S. Am-

S. Ambrosius per imaginem DEI intelligit Divinitatem, sic per crucem intelligit passionem Christi, seu Christum patientem; vult enim dicere, unum esse Christum DEUM, & Crucifixum, & propterea cum adoratur Christus DEUS, non separari ab illo humanitatem: & cum adoratur Christus Crucifixus, non separari ab illo Divinitatem. S. Hieronymus non dicit, a Paula proprie adoratam fuisse Crucem, sed tantum, quod prostrata ante Crucem adoraverit Christum, quem in Cruce repræsentari videbat. Ad conf. neg. ant. Quod enim colitur propter aliud, nec colitur summe, nec tanquam primum omnium rerum principium.

767 Obj. 4. Juxta Aristotelem idem est motus in imaginem, ut est imago, & in ipsum exemplar: ergo sicut Christus colitur vera latria, sic etiam ejus imago. Conf. Christo convenit vera latria: ergo si eadem adoratio simul terminatur ad Christum, erit vera latria. Resp. Conc. ant. dist. conf. Etiam Christi imago colitur latria per accidens, transf. conf. per se, neg. conf. Voluntas duplici modo potest simul ferri in exemplar, & imaginem. Primo ita, ut immediate, & directe adoretur ipsum exemplar e. g. Christus objective in imagine relucens, & tunc adoratio est quidem latria, & fertur in Christum per se, in imaginem autem solum per accidens. Secundo ita, ut immediate, & in recto adoretur ipsa imago tanquam imago Christi: Christus autem solum veniat in obliquo, & tunc adoratio fertur quidem in imaginem per se, sed non est latria proprie talis. Ad conf. dist. ant. Christo convenit vera latria, si adoretur, ut est in se, conc. ant. si tantum adoretur, ut est in imagine, neg. ant. & conf. Qui honorat famulum Regis, honorat Regem, non tamen ita, prout honoraret Regem in propria sua persona.

768 Dices. Ratio, sive excellentia, propter quam aliquid colitur, est mensura cultus: ergo cum imagines colantur propter exemplar, mensura cultus est

ipsa

ipſa excellentia exemplaris; honor enim imaginis tranſit ad exemplar: ergo cultus imaginis non eſt minor, quam cultus exemplaris, ſive dein exemplar colatur directe, ſive ſolum indirecte, & in obliquo. Conf. Qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur reus læſæ majeſtatis, ac ſi ipſum Regem contumelia affeciſſet: ergo. Reſp. Diſt. ant. Excellentia, propter quam aliquid colitur, eſt menſura cultus, ita tamen, ut cultus non ſemper debeat ipſam excellentiam adæquare, conc. ant. ut illam debeat adæquare, ſubd. ſi aliquid colitur propter ſe, tranſ. ant. ſi colitur propter aliud, neg. ant. & ſub eadem diſtinct. primam conſ. Ad conf. neg. ant. Qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur quidem reus læſæ Majeſtatis, quia vere læſit Regem, non tamen tam graviter punitur, ac ſi ipſum Regem contumelia affeciſſet; vel ſi hoc fieret, tunc ideo, quia conſtaret, non læſiſſe ſtatuam ut ſtatuam Regis, ſed ſtatuam accepiſſe pro ipſo Rege.

Cæterum quæ hactenus de ineffabili Incarnationis Myſterio, ejus cauſis, & ipſius Chriſti præcipuis perfectionibus dicta ſunt, precor, ut in debitam amabiliſſimi Redemptoris noſtri laudem, & gloriam cedant, qui per infinita ſua merita nobis impetrare velit, ut illum non ſolum in ſua imagine venerari, ſed in propria perſona aliquando videre, & perpetuo latriæ cultu adorare poſſimus.

MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO